



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>









PHILOSOPHIA  
PERIPATETICA  
ANTIQUORUM PRINCIPIIS,  
ET  
RECENTIORUM EXPERIMENTIS  
CONFORMATA.

AUCTORE  
R. P. ANTONIO MAYR S. J.  
SS. Theologiæ Doctore, & antehac in Uni-  
versitate Ingolstadiensi Philosophiæ, ac Theo-  
logiæ Professore Ordinario,  
*Nunc ibidem Studiorum Præfecto.*

Ad usq; F. ligilij  
Ord. Cifl. **TOMUS II.** cum bientia  
in seu stampa Superiorum

PHYSICA UNIVERSALIS.

Cum Privilegio Sacre Cesareæ Manifestatis, & Facultate  
Superiorum.

INGOLSTADIL.

Scripsit Vidua Joannis Andreas de la Haye p. m. Bibliopoliz  
Academici Ingolstadiensis.

Typis Johanna Petri Schneig. Typogr. Academ. Anno M.D.CC.XXXIX.

THE HISTORY OF  
PERIPATETIC  
PHYSICS

BY  
RECENTLY ADDED  
EXPERIMENTAL  
CONFIRMATION  
AND  
CORRECTION

OF THE PHYSICAL  
THEORY OF DOGMA, OR  
PHYSICAL PHILOSOPHY AS IT  
IS IN THE ORIGINAL  
WORK OF TOMASI.

TOMASI

SEBASTIANO

WITH A HISTORY OF THE  
PHYSICAL PHILOSOPHY OF  
TOMASI.

IN WHICH THE AUTHOR  
SHEDS NEW LIGHT ON  
THE PHYSICAL PHILOSOPHY OF  
TOMASI.

WITH A HISTORY OF THE  
PHYSICAL PHILOSOPHY OF  
TOMASI.

IN WHICH THE AUTHOR  
SHEDS NEW LIGHT ON  
THE PHYSICAL PHILOSOPHY OF  
TOMASI.

WITH A HISTORY OF THE  
PHYSICAL PHILOSOPHY OF  
TOMASI.

# FACULTAS R. PROVINCIALIS

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

**E**go Franciscus Mossu Societatis JEsu, per Superiorum Germaniam  
Prepositus Provincialis, facta mihi potestate ab Admodum Reve-  
rendo Patre Nostro Franciso Retz Societatis Universæ Præposito  
Generali, librum, cui titulas PHILOSOPHIA PERIPATETICA &c.  
TOMUS II. seu PHYSICA UNIVERSALIS, à P. Antonio Mayr Societari  
nostræ Sacerdote, SS. Theologiz Doctore, & Professore emerito con-  
scriptum, atque à Deputatis ejusdem Societatis Patribus lectum, proba-  
tumque, typis in lucem edi permitto, ac Dominæ Viduæ; Joannis An-  
dreæ De la Haye p. m. Bibliopolie Academici Ingolstadiensis, jas conce-  
do, usurpandi Privilegii Cæsarei, quo Typographus, ac Bibliopolis omni-  
bus adimitur copia, vulgatos à Societatis JEsu Patribus libros, absque  
Superiorum, Authorumque consensu, in eadem, vel diversâ lingue  
cudendi, vel intra Sacri Romani Imperii, & Provinciarum, S. C. Majes-  
tati hereditario jure subjectarum, fines importandi. Facultatem hanc,  
de una tantum impressione intellectam, manu mea, & solito Officii Si-  
gillo firmavi. Ingolstadii 19. Januarii 1738.

(L.S.) FRANCISCUS MOSSU  
Soc. JEsu.

## APPROBATIO FACULTATIS THEOLOGICÆ INGOLSTADIENSIS.

**P**Hilosophia hæc, à gravibus Societatis JEsu Patribus accuratè lecta,  
& approbata, solida, ac clara methodo, philosophicas difficulta-  
tes pertractat: à fideli vero orthodoxæ principiis, & morum san-  
ctitate, alienum nihil complectitur: sed potius naturalis scientiæ placi-  
da, cum doctrina Catholice veritate, firmissimo sexu conjungit: simul

tam recentiorum, quam veterum opiniones, amena varietate, & perspicuitate examinat; unde non modo Theologia speculativa difficultissimis questionibus penetrans subserviet, ilisque copiosam lucem affundet; sed ab erudito etiam orbe, & experimentalis Philosophiae avidissimo, approbationem feret. ita censeo.

IGNATIUS THIERBECK S. J.  
SS. Theologiae Doctor, ac in  
Moralibus Professor Ordina-  
rius, & p. t. S. Facultatis De-  
canus.


---

## APPROBATIO FACULTATIS PHILOSOPHICÆ INGOLSTADIENSIS.

**O**pus hoc, quod Aristotelis Philosophiam complectitur, non modo veteram Peripateticorum dogmata magno cum iudicio discussit, & quæ probata videntur, contra Novatorum assulitus novis rationum momentis confirmat: verum etiam eadem recentiorum experimentis, naturæque phænomenis rite explicandis, aptime comoda ostendit. Insuper materias philosophicas ea methodo pertractat, quæ speculationum subtilitatem cum explanationis claritate, & doctrinæ soliditatem cum eruditionis copia, conjunctam habet. Habebunt in eo, quo suam sciendi aviditatem pascant, qui hactenus Peripateticæ verâ Sophiâ inanem, aversabantur: habebunt & alii, quo suum veritatis amorem satient, qui recentiorum hypotheses, ingeniosè quidem confundas, neutrquam tamen veras, orbi dbrudi querebantur. Quare dignissimum est, quod ad recte sentientium utilitatem, & literariz rei incrementum, in publicam lucem prodeat. ita censeo.

HENRICUS HISS Soc. JEsu  
Matheseos Professor Ordina-  
rius, & p. t. Facultatis Philo-  
sophicæ Decanus.

PHI-



PHILOSOPHIAE  
PERIPATETICÆ  
TOMUS II.  
SEU  
PHYSICA UNIVERSALIS.  
PRÆFATIO.

1. **S**pinosis, & angustis Diale-  
ticæ callibus longè amœ-  
niorem, ac ampliorem  
campum, Physica Philo-  
sophis exhibit, in quo natura suas  
opes ostentat, nec tamen omnes,  
aut omnibus: sed, sicut non est pro-  
digia in rebus superfluè producen-  
dis, ità etiam est parca in suis se-  
cretis indiscriminatim revealandis.  
Sanè, quemadmodum cellus florum  
cæcumina oculis facile ingerit, ra-  
dices verò sinu suo abscondit, ità  
natura varios quidem effectus quo-  
tidie sensibus offert, ac eorum cau-  
sus, seu principia særissimè non  
evolvit: saltem nemini hactenus  
prima rerum omnium semina de-

*Tom. II.*

monstravit: quin imò vel ipsa  
primum mutationum omnium sub-  
jectum nulli clare, & evidenter in-  
tueri, hucusque fuit concessum.

2. Litigârunt hac de re antiqui  
per multa tempora, donec, aut vi-  
eti, aut mortui, Aristoteli cesse-  
rint, cuius doctrina quingentis, &  
pluribus annis, universalij judicio  
in scholis regnavit: quod tot secul-  
orum suffragium utique magnum  
est præjudicium veritatis. Equi-  
dem ingeniosi recentiores novam  
ei litem intentant, & veriora pro-  
ferre se jaëtant: at revera multa ob-  
scure dicunt, multa pro libitu fin-  
gunt, duces minimè securi. Sci-  
licet curiositati hominum Deus

A

suos

suos limites fixit, ut, cùm mundum tradidisset disputationi eorum, atque ipsi, diurno quavis certamine lassi, veritatem tamen certam non invenissent, fessi tandem infelicitis belli, ad æternæ veritatis contemplationem sese converterent.

3. Nobis, quibus in tanta opinionum varietate arbitris esse non licet, insistendum videtur Aristotelis vestigiis, utpote securioribus, & per Patres, ac Doctres diutissimè tritis, quos præentes sequi nobis & proficuum, & honorificum est. Indagat autem Philosophus noster naturam corporis mutabilis (quod Physicæ universalis objectum est) octo libris Physicorum, quos *accusticos*, seu *auscultatorios*, sive *de physico auditu* inscripsit; eoquod difficiiores quæstiones complexi, sine magna ad eorum explanationem attentione, intelligi nequeant.

Horum librorum primo agit de principiis in genere, atque aliorum de istis opiniones refellit: secundo verò tractat de natura, & causis communibus: sex reliquis libris examinat proprietates, & accidentia naturalium entium: & tertio quidem agit de motu, ac infinito: quarto autem de loco, & vacuo, atque de tempore: quinto de speciebus motus: sexto de partibus motus: septimo, & octavo iterum de motu, sed potissimum de primo motore.

4. Hunc materialium ordinem,

pro more inter nostros satis communi, paululum immutabimus, ut nempe post tractationem de causis poamamus disputationem de generatione, & corruptione, de quibus Philosophus peculiares duos libros conscripsit. Sed nec omnia, quovis Aristotelis libro contenta, eadem disputatione completemur, verùm, materias examinabimus, ordine in nostris Lycæis recepto, qui quasdam huc, quasdam alibi, quæstiones statuere assolet. Prima autem hac parte, seu *Physica universalis*, completemur quatuor disputationes, easque per amplias, scilicet primam *de principiis corporis naturalis*, secundam *de natura, & arte*, tertiam *de causis in generare, & specie*, quartam *de generatione, & corruptione*.

Evidem hac parte plures quæstiones tractamus, quas moderni Philosophi, præsertim corpuscularii, in *Metaphysicam* congerunt; hi enim autores, ferme omne id, quod speculationem aliquam sapit, & non immediatè sensibus subjacet, aut non nisi universalis, ac paullò magis præcisiva cognitione intellectus percipitur, ex *Physica* ad *Metaphysicam* alegend: in quo tamen ab antiquioribus auctoribus, & ab Aristotele (ut ex hujus libris *Physicorum* patet) apertè recentur. At nobis securius videtur, sequi duces, ab antiquitate, & soliditate doctrinæ, magis commendatos. Itaque sit.

DISPU-

*Quid sit Principium.*

5

# DISPUTATIO PRIMA.

## *De Principiis Corporis Naturalis.*

5. Disputatione hac ventilanda est præcipua Physicæ, Peripateticos inter, ac Atomistas controversia, & potissima inter eos discordiæ causa, quæstio nempe de materia prima, ac forma cujusque corporis naturalis. Etenim Atomistæ geminas à Peripato assertas incompletas substantias penitus eliminare contendunt: Peripatetici vero pro iis, tanquam pro aris, & focis, constantissimè pugnant. Præmittenda tamen sunt aliqua leviora, in quæ pars utraque communiter consentit; nempe statuendum,

dari aliquam materiam primam (seu subjectum omnium naturalium mutationum) cùmque ingenerabilem, ac incorruptibilem esse &c. Inde agendum de eo, in quo sit dicta materia, itemque forma omnium corporum: rursus de utriusque proprietatibus: tum de ambarum nexu, seu unione in substantiam unam completam: ac tandem monstrandum, corpus naturale præter enumerata non egere aliquo superaddito modo totalitatis, ut totum substantialiter completum reddatur.

## QUÆSTIO PRIMA.

### *De Principiis Corporis Naturalis in Fieri, & in Facto esse.*

#### ARTICULUS I.

*Quid sit Principiū.*

6. Ico 1. Principiū in genere est, à quo aliquid procedit. ita S. Thomas I. p. q. 33. a. 1. in corp. & communis. Conclusio hæc sufficienter probata est hac ipsa auctoritate; quia hæc quæstio est tota de nomine, seu de eo, quid intelligatur per principium. Ut autem multæ aliae,

it& hæc definitio, eget aliqua declaratione. Itaque intelligitur aliquid saltē inadæquatē distinctum à principio; nihil enim procedit, vel oritur à seipso, sed vel ab adæquatē alio, ut effectus à causa, vel saltē ab inadæquatē alio, ut totum à parte.

Ulterius illud à quo intelligitur tan-

tanquam à primo; nam principium debet esse primum, ut habet Aristoteles s. *Metaphys.* sex. 1. ubi sic scribit: *Omnibus igitur principiis commune est esse primum, unde aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Debet autem principium esse primum, non ita, ut sub nulla ratione habeat aliquid prius se: sed tantum, ut sub ea ratione, sub qua est principium, non habeat prius se, sed sit prius altero, cuius principium est; unde, licet causa creata non sit absolute prima; quia praesupponit Deum: tamen est prima in ratione causæ creatæ, sive applicativæ, sive dispositivæ, sive efficientis: item pater, e. g. Abraham, licet non sit absolute primus pater (hic enim fuit solus Adam) est tamen primus respectu Isaaci.

7. Primum autem, sive prius potest aliquid multipliciter esse 1. prius naturæ, quod scilicet constituit actum primum proximum ad alterum, de quo infra n. 821. plura, 2. prius origine, quod communicat alteri quomodo cuncte essentiam. 3. prius ratione, seu à subsistendi consequentia, quod ex altero legitime infertur. 4. prius dignitate, quod alteri excellit. 5. prius tempore, quod prius existit. 6. prius loco, quod habet locum ordine priorem &c. Tandem verbum procedit, in definitione principii positum, significat idem, ac oritur, sive effectivè, tanquam à causa extrinseca, sive constitutivè, tan-

quam à causa intrinseca, seu parte; nam S. Thomas 1. p. q. 33. a. 1. ad 1. ait, etiam punctum esse principium linea: adeoque suxta ipsius definitionem debet linea à punto procedere: non effectivè, ut patet, igitur constitutivè.

8. Licet autem omne principium sit primum, non tamen omne primum est principium; quando scilicet à primo nihil procedit: & sic Christus est primus in ratione Filii divini, non tamen est principium. Item omne quidem initium est principium, sed non vicissim; nam esse initium convenit tantum habentibus prioritatem temporis, vel loci. Item diversa etiam sunt principium, causa, & elementum; nam ad principium sufficit, alterum ab eo quomodo cunque procedere: causa vero tantum est illud, à quo alterum procedit cum dependentia: sic Pater divinus est principium Filii, non tamen causa, saltem in eo sensu, in quo Latini hanc vocem accipiunt, quamvis à Græcis principium, & causa confundantur. Ulterius elementum est causa tantum materialis; hinc omne elementum est causa, & omnis causa est principium, non tamen convertibiliter.

Adstruit autem Aristoteles citatus n. 6. triplex genus principiorum, per ea verba: *Unde aut est, aut fit, aut cognoscitur:* scilicet principia intrinseca, ex quibus tanquam partibus res est, aut constituitur:

tuitur : *extrinseca*, à quibus tanquam causis extrinsecis res fit, seu producitur : & *principia scientiarum*, ad quæ scilicet scientiæ suos actus, seu cognitiones, aut conclusiones reducunt.

Non male Ulloa in sua *Physica speculativa disp. 1. n. 3.* dividit *principia extrinseca* in *subjectiva*, & *objectiva* : & per *subjectiva* intelligit eas causas extrinsecas, quæ immediate per suam entitatem causant : per *objectiva* verò intelligit illas causas extrinsecas, quæ movent intellectum, vel voluntatem ad operandum : & ad hæc *principia objectiva* reducuntur *principia scientiarum*, de quibus aliqua diximus in Logica : de aliis extrinsecis dicemus disputatione de causis : modò de intrinsecis agimus. Itaque

9. Dico 2. *Principium intrinsecum* est pars, seu constitutivum rei, cuius est principium. Hæc conclusio non eget probatione ; quia est recepta ab omnibus ; nam omnes per principium intrinsecum intelligunt partem rei constitutivam ; hinc anima rationalis est principium intrinsecum hominis, & fundatum est principium intrinsecum domus : sed hæc sunt principia particularia rerum particularium.

Agitur autem hic de principiis generalibus, seu universalibus, corporis naturalis universaliter sumpti : & de his ait Aristoteles 1. *Physicor. sext. 42.* Oportet enim principia neque ex alterutris esse, neque ex ali-

is, & ex his omnia : hoc est : principia sub ea ratione, sub qua sunt principia, non debent esse ex alterutris, sive ex se invicem : seu, nec materia debet constitui ex forma, neque forma ex materia, neque etiam ex aliis : id est : materia non debet esse ex alia priore materia, nec forma ex alia forma : ex quo infertur, quod debeat esse simplicia ; nam, si simplicia non essent, tunc eo ipso, quod essent entia naturalia, & composita, ex aliquo subiecto, seu materia, & forma priore, composita essent. Ex ipsis tamen debent componi, seu constitui omnia : intellige corpora naturalia.

10. Ubi noto, quod quidem per corpus naturale possit intelligi quævis substantia materialis completa (nam, et si cœli, vel elementa, essent corpora simplicia, ut quidam volunt, adeoque non componerentur ex materia, & forma, tanquam principiis intrinsecis, tamen non essent corpora supernaturalia, sed naturalia) attamen hic Aristoteles sumit terminum *corpus naturale* in sensu restrictiore, pro substantia materiali composita : & quidem mobilis, seu mutabili, ut aperte patet ex contextu, si loc. cit. n. 9. anteriora, & posteriora legantur.

Plures notant in Aristotelico textu particulam *ex*, volūntque, eam significare causalitatem intrinsecam : econtra particulam *ab* significare causalitatem extrinsecam : sed Hurtadus *disp. 1. Physic. sec. 2.*

§. 11. contendit, particulam *ex* quandoque etiam significare causalitatem extrinsecam: & juxta S. Thomam, citatum n. 7. particula à, vel *ab* videtur debere etiam significare causalitatem intrinsecam; cùm ibi satis innuat, lineam à puncto procedere. Negari tamen non potest, hoc loco citato ab Aristotele assumptam fuisse particulam *ex* ad significandam causam intrinsecam; id enim *ex* contextu sat clare infertur.

11. Dices. Materia fit *ex* pluribus particulis materiae, ex quibus constituitur: item forma fit *ex* materia, tanquam *ex* subjecto: & tamen, tam materia, quam forma, est principium: ergo non requiritur ad principia, ut non sint *ex* aliis, vel *ex* alterutris. Responderi potest 1. cum Complutensis, & alii, neg. ant. quia, ut ajunt, juxta Aristotelem illud tantum fit, quod tanquam finis, intentus à natura, ultimatò terminat actionem generativam, quod est, solum compositum: & sane Aristoteles i Phys. text.

64. sic ait: *Manifestum est ex distis, quod omne, quod sit, semper compositum est*: & similia habet alibi saepius. vide Ptolemaeum *dissert.* 3. *Physic. gener. sec. 3. n. 5.*

Resp. 2. om. ant. dist. conseq. ergo non requiritur ad principia, ut non sint *ex* aliis, vel alterutris sub illa ratione. conc. conseq. non requiritur, ut non sint *ex* aliis, vel al-

terutris sub ea ratione, sub qua principiant. neg. conseq. Materia constituitur *ex* pluribus particulis, tanquam partibus physicis integralibus: principiat autem sub ratione partis physicæ essentialis: forma fit *ex* materia tanquam causa materiali: principiat autem tanquam causa formalis; unde non principiant sub ea ratione, sub qua fiunt *ex* aliis &c.

12. Nec dicas, materiam, & formam constitui *ex* genere, & differentia, tanquam partibus essentialibus; nam respondeo, has esse partes essentiales metaphysicas: materiam autem, & formam, principiare tanquam partes essentiales physicas. Ubi breviter addo 1. partem metaphysicam esse realiter totum, & tantum formaliter à toto distingui: & ita animal se habet respectu hominis: at partem physicam essentialē esse illam, qua præcisè non affirmata non affirmatur tota essentia rei: & ita se habet anima respectu hominis: non autem pedes, aut manus; nam non quidem sive illa, attamen sive his, potest affirmari tota essentia hominis: & pariter sive quavis particula materiae, determinatè sumpta, potest affirmari tota essentia materiae. Addo 2. partem physicam integralem esse illam, sine qua non potest affirmari totum integrum, & sic e. g. sive pedibus, aut manibus, non potest affirmari homo integer.

AR-

## ARTICULUS II.

### *Quae sint Principia Corporis Naturalis in Fieri, & in Facto esse.*

13. Per corpus naturale, ut dictum n. 10. intelligitur ab Aristotele corpus, ex principiis quibusdam compositum, idque mutabile: sed & omnes alii Philosophi (si excipiatur fors unus Gomesius, & ejus socius Valles) supponunt, corpus naturale componi ex quibusdam principiis, seu constare quadam materia, ac forma: quamvis dein quoad assentiam, seu naturam istorum principiorum, sit magna dissensio, dum Peripatetici volunt, materiam, ac formam, esse substantias incompletas, ac absolutas: econtra Atomistæ communiter contendunt, materiam quidem esse substantiam completam: at verò formam non esse ens absolutum, sed duntaxat modale, consistens in certa combinatione particularum materiæ, de qua controversia paulò post erit fusè agendum. Interim hic supponitur, dari aliquam materiam, & formam, qualescunque dein sint: & hoc supposito queritur, an, & quomodo materia, ac forma, sint principia corporis naturalis in fieri, & in facto esse.

14. Philosophi per *corpus naturale in fieri* intelligunt corpus, quod priùs non fuit, & modò fit, seu transit à non esse ad esse: at per

*corpus naturale in facto esse* intellegunt corpus jam factum, deneminativè sumptum, prout dicit solum corpus actu existens, non verò quidditativè sumptum, prout dicit etiam factionem, seu actionem productivam. Jam verò potest aliquid transire à non esse ad esse tripliciter. 1. per creationem, quando a liquid producitur independenter à subjecto, ut anima rationalis. 2. per generationem sine prævia privatione, quando scilicet subjectum non extitit antè privatum eà formâ: & sic juxta communem auctorum fuit generata forma cæli, & terræ, quæ eodem primo instanti, quo creata est materia prima cæli, & terræ, generata est ex eadem materia prima. 3. per generationem cum prævia privatione, quando scilicet subjectum antè extitit privatum hac forma; & sic generantur defacto omnia, quæcunque de novo generantur.

15. In hac ultima generatione (quæ est propriè transitus à non esse ad esse, & quæ sola hic venit ad rem) tria convenient: nempe *materia*, seu *subjectum*, quod mutatur: *forma*, quæ de novo producitur: & *privatio*, seu *carentia*. *forma in subjecto capaci*: per quas ultimas voces differt *privatio à ne-*

gatione genericè tali; nam hæc datur etiam in subjecto incapaci, seu inepto: e.g. datur negatio visus in lapide, at non ejus privatio. Talis generatio etiam dicitur *mutatio positiva*, seu *transitus à privatione ad habitum*: si autem forma non producitur, sed destruitur, seu corruptitur, dicitur *mutatio negativa*, seu *transitus ab habitu ad privationem*, de qua nunc non curamus; quia agimus tantum de aliquo positivo, seu de corpore naturali in fieri, sive de formaliter transente à non esse ad esse: & de corpore naturali in facto esse, seu formaliter existente. His præmissis

16. Dico 1. Corpus naturale in fieri involvit tria principia intrinseca, nempe materiam, formam, & privationem. ita communis. Prob. Corpus naturale in fieri, prout hucusque explicatum est, dicit subjectum antè privatum, & postea informatum: sed, si resolvatur hoc duplex concretum, clare apparet, quod involvantur hæc tria, scilicet subjectum, seu materia, & privatio tanquam obliquus prioris, & forma tanquam obliquus posterioris concreti: sive tanquam partes, & constitutiva, adeoque ex n. 9. tanquam principia intrinseca: ergo.

17. Dico 2. Corpus naturale in facto esse involvit duo principia, nempe materiam, & formam. ita iterum communis. Prob. Corpus naturale in facto esse dicit nihil aliud, quam subjectum informatum:

sed hoc involvit duo principia, scilicet subjectum, seu materiam, & formam: ergo. minor iterum patet ex resolutione concreti; nam subjectum informatum est idem, ac subjectum habens formam: adeoque subjectum, & forma involvuntur tanquam duæ partes, sive duo principia intrinseca.

18. Ob. 1. contra 1. conclus. Duo contradictoria non possunt constituere unam & eandem denominationem: sed forma, & privatio, sunt duo contradictoria: ergo non possunt constituere unam, & eandem denominationem corporis naturalis in fieri. Resp. dist. ma. duo contradictoria non possunt constituere eandem denominationem simultaneam, seu simul adæquatè existentem. conc. ma. non possunt constituere eandem denominationem successivam. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Denominatio corporis in fieri non est simultanea, nec ejus partes debent omnes simul, quin nec ipsa simul adæquatè existere: sed est denominatio successiva (quia est transitus) cuius partes debent tantum successivè existere, scilicet prius privatio, & postea forma: possunt autem utique duo opposita, sive contradictiones, successivè existere.

19. Ob. 2. Principia debent sibi esse contraria juxta omnes: sed materia, & forma non sunt sibi contrariae: ergo prob. ma. sic restatur Aristoteles 1. *Physic. text. 41.* scribens:

bens: Omnes igitur contraria principia faciunt: & text. 42. Quid igitur contraria quodammodo omnes faciunt principia, manifestum est: & hoc rationabiliter: ergo. mi. patet. quia appetunt se mutud, & coordinantur. Resp. dist. ma. omnia principia debent sibi esse contraria. neg. ma. aliquae conc. ma. & conc. mi. neg. conseq. Sufficit, si inter se contrariae sint forma, & privatio. ita clarè Aristoteles 12. *Metaphys.* sex. 6. ajens: *Est igitur aliquid tertium præter contraria ipsa materia;* & adhuc clarius text. 12. *Tres itaque causa, & tria principia, duo quidem ipsa contrarietas, cuius hoc quidem ratio, & forma: hoc vero privatio: tertium vero materia.*

Dices. Neque forma, & privatio, sunt sibi contrariae: ergo nulla solutio. prob. ant. forma, e. g. anima rationalis, potest existere in caelo, & privatlo ejus in corpore mortuo: ergo non sunt sibi contrariae. Confir. Privatio, & forma, sunt ex materia: sed principia, ut dictum n. 9. non possunt esse ex alterutris, vel aliis: ergo privatio, & forma, non sunt principia. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Contraria non opponuntur necessariò quoad tempus, sed quoad subjectum: certè calor, & frigus, albedo, & nigredo, sunt contraria, & tamen possunt simul tempore existere in diversis subjectis, at non in eodem: & eodem modo se habent forma,

*Tom. II.*

& privatio. Ad confir. neg. ma. quia formaliter esse, aut formaliter fieri ex alio, significat ex eo constitui: atqui, nec forma constituitur ex materia, nec privatio denominativè accepta, quæ est principium.

20. Ob. 3. Fieri est effici: ergo etiam causæ extrinsecæ sunt principia corporis naturalis in fieri. Confir. Corpus naturale in fieri est denominatio positiva, & privatio est aliquid negativum: ergo ista non potest esse principium corporis naturalis in fieri. Resp. dist. ant. fieri causaliter est effici. conc. ant. fieri formaliter, sive tantum formaliter transire à non esse ad esse. neg. ant. & dist. etiam conseq. ergo etiam causæ extrinsecæ sunt principia extrinseca corporis naturalis in fieri. conc. conseq. sunt principia intrinseca. neg. conseq. transitus enim à non esse ad esse non dicit formaliter, sed tantum arguitivè causas extrinsecas. Ad confir. dist. i. p. ant. corpus naturale in fieri est denominatio adæquate positiva. neg. i. p. ant. inadæquate positiva, & inadæquate negativa. conc. i. & etiam 2. p. ant. at neg. conseq.

21. Ob. 4. Si privatio esset principium; quia est terminus à quo: tunc etiam forma expulsa esset principium; quia etiam est terminus à quo: sed hæc forma non est principium: ergo. Confir. i. Si privatio esset principium, ideo esset; quia esset capacitas novæ forme: sed hæc ratio nulla est: ergo.

B

prob.

prob. mi. privatio non est capacitas novæ formæ; quia est essentia-lis exclusio formæ: ergo. Confir. 2. Privatio neque principiat, quando datur, neque principiat, quando non datur: ergo nunquam. prob. ant. quando privatio datur, non datur corpus: adeoque ipsa non potest, hoc intrinsecè constituere, seu esse ejus principium intrinse-cum: quando autem privatio non datur, etiam non potest principia-re; quia nihil principiat, nisi ex-i-stens: ergo. Confir. 3. Juxta nos eadem essent principia corporis na-turalis in fieri, & corporis natura-lis in destrui, ut patet consideran-ti: hoc videtur absurdum: ergo.

Resp. neg. ma. nam forma expul-sa non est terminus à quo immedia-tus, sed tantùm mediatus, & remo-tus, sínè quo potest affirmari tota denominatio *corpus substantialiter mu-tatum*, seu *corpus ante priva-tum*, & *postea informatum*: quæ tamen denominatio affirmari non potest sínè privatione. Ad 1. con-fir. neg. mi. ad prob. dist. ant. non est capacitas novæ formæ; ita, ut hæc conjungatur cum privatione. conc. ant. ita, ut pereunte privatione suc-cedat forma in eodem subjecto. neg. ant. & conseq. aliàs nec saccus vacuus esset capax recipiendi triti-ci; cùm, quando isto impletur, non amplius sit vacuus.

Ad 2. confir. neg. ant. & dico, privationem principiare, quando ultimò est. ad prob. dist. ant. quan-

do privatio datur, non datur cor-pus adæquate. conc. ant. non da-tur inadæquate. neg. ant. & conseq. ad hoc enim, ut aliquid sit principium, vel pars totius succe-sivi, sufficit, si istud detur inadæqua-te; aliàs neque dies ista esset pars hujus anni. Ad 3. confir. dist. ma. essent eadem principia, & eodem modo, ac ordine. neg. ma. alio modo, ac ordine. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. & retorquo argumentum in futuro, & præteri-to. Scilicet corpus in fieri dicit materiam, & privationem priùs, formam autem postea: econtra corpus in destrui dicit materiam, & formam priùs, privationem verò postea.

22. Ob. f. contra. 2. conclus. Idem est corpus in fieri, & corpus in facto esse: sed illud involvit tria principia: ergo etiam istud. Con-fir. 1. Corpus in facto esse involvit præter materiam, & formam, etiam unionem: ergo involvit tria prin-cipia. Confir. 2. Corpus in facto es-se est suppositum: sed hoc involvit etiam subsistentiam: ergo involvit tria principia. Confir. 3. In eo-dem corpore dantur plures formæ, e. g. principalis, & subordinata par-tialis: ergo dantur plura principia, quam duo. Resp. dist. ma. idem est in-adæquate corpus in fieri, & in facto esse. conc. ma. idem est adæquate. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Corpus in facto esse non dicit corpus privatum, sed tantùm informatum.

23. Ad

*An detur Materia Prima, eisque Ingenerabilis, & Incorruptibilis.* 11

23. Ad 1. confir. dist. ant. corpus involvit uniuersum, tanquam partem ut quo. conc. ant. tanquam partem ut quod. neg. ant. & conseq. *Pars ut quod* est, quæ primariò constituit totum, & primariò consideratur in toto: & talis pars ordinariè est subiectum, & forma concreti; unde, cùm privatio sic forma coaccreti *corpus privatum*, est etiam eius pars ut quod: at *pars ut quo* est tantùm complementum, aut vinculum partium ut quod, seu earum ad se invicem determinatum: & talis est unio. Idem responderetur, si quis objiceret, durationes successivas esse partes, ad-

eoque etiam esse principia corporis naturalis in fieri: scilicet, responderetur, esse tantùm partes ut quo.

Ad 2. confir. neg. ma. huc enim sumitur corpus, prout illud sumpsit Aristoteles, qui nihil scivit de distinctione corporis individualiter sumpti, & suppositi. Ad 3. confirm. om. ant. neg. conseq. nam, si dantur plures formæ in eadem parte materiae, constituunt unum principium; quia sumuntur, & considerantur per modum unius. Idem debet dici, si formæ, seu animæ brutorum sint divisibiles in partes heterogeneas.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *De Variis Systematibus circa Materia Prima.*

#### ARTICULUS I.

*An detur Materia Prima, eisque Ingenerabilis, & Incorruptibilis.*

24. Plures, praesertim recentiores, referunt Antonium Gomesium Pereiram in *Margarita Antoniana* (quam edidit Medina Campi an. 1554. ut testantur *Memoires &c. à Trevoux loc. mox citando*) negasse omnem materiam primam. At Ulloa in *Prologo Physice Speculari* (ubi refert, hunc Gomesium fuisse Medicum Hispanum) docet, eum potius negasse formas substantiales brutorum, atque pre-

visse Cartesianis, dum asseruit, bruta esse metas machinas (id quod etiam asserunt *Memoires pour l' Histoire des Sciences à Trevoux ad an. 1704. tom. 4. Novemb. art. 163. item. ad an. 1710. tom. 2. Avril art. 51*) Addit autem Ulloa, alium Medicum Hispanum Valles dictum in *Philosophia Sacra* negasse materiam primam, vel certe de ea dubitasse. Verum & hic auctor videtur, non negasse omnem materiam primam, sed

sed tantum Aristotelicam; nam idem Ulloa *disp. 1. Phys. Specul. n. 27.* ait, ex horum duorum libris originem habuisse systemata Cartesiana, vel Semicartesiana: quin etiam Arriaga *disp. 2. Phys. sec. 1.* scribit, Gomesium non negasse omne subiectum commune mutationum, seu omnem materiam primam, sed tantum docuisse, istam esse identificatam elementis, quæ sint corpora simplicia: quæ re ipsa est sententia Empedoclis. Mihi nec Gomesii, nec Vallesii, liber ad manum est; unde, quidquid sit de eorum mente, vel opinione.

25. Dico 1. Datur aliqua materia prima, seu aliquod subiectum, ex quo corpora naturalia fiunt. Prob. 1. Philosophi omnes, antiqui, & recentiores, admittunt, vel potius supponunt, dari aliquam materiam primam, seu aliquod subiectum commune generationum, & corruptionum, et si dein maximè differant quoad ejus naturam, vel essentiam: quin etiam ipsi SS. Patres complures talem quandam materiam adstruunt: & ex his S. Augustinus *l. 12 Confess. à c. 3 usque ad 9.* de ea agit, vocans eam informem materiam, docens eam esse insensibilem, & cum privatione formæ, &c. &c. pene nihilum: sed, quod tanto consensu omnium acceptum, ac hominum, asseritur, utique datur: ergo.

Confirm. Omnes, etiam indocti, & rustici, supponunt, ex rebus de-

structis remanere aliquid, e. g. ex animali occiso remanere carnes, & ossa priora: item ex cibis commestis remanere aliquid, quod convertatur in substantiam aliti: item aliquid ex aqua plantis affusa in eas converti: quin etiam Ecclesia supponit, post mortem hominis remanere corpus: certè, quando expavit venerationi alicujus defuncti reliquias, eas exponit tanquam partes, quæ remanerint ex tali Sancto: ergo ex communissima, immo etiam maxima Ecclesiæ auctoritate habetur dari aliquam materiam primam.

26. Prob. conclus. 2. Si non adstruitur materia prima, non potest dari sufficiens discrimen, inter generationem, & creationem: sed hoc debet posse dari: ergo. mi. negari non potest; debet enim utique posse assignari discrimen inter has duas actiones, & quidem fundatum in eo, quod creatio sit actio longè perfectior generatione; cum omnes admittant, creaturas habere potentiam generandi: econtra potentiam creandi eis communissime negant Philosophi, atque Theologi, cum pluribus Patribus, & Magistro sententiarum in 2. *dist. 1. ac S. Thomas l. p. q. 43. a. 5. in corp.*

Citat autem Angelicus S. Augustinum; qui *l. 3. de Trinit. c. 8.* negat, Angelos etiam bonos quidquam posse creare: & agit de creatione strictè sumpta; quia *ibidem* expressè negat, homines esse creatores aliorum hominum, aut pecu-

des

*An detur Materia Prima, & que Ingenerabilis, & Incorruptibilis.* 13  
des aliarum pecudum. Potest addi  
etiam S. Athanasius Serm. 3. contra  
*Arianos ante medium fol. mibi 183.*  
ubi ait : *Condere verò . & creare ,*  
*sicut sit Dei, ejusque Verbi , & Sa-*  
*piencie : & intelligit etiam creatio-*  
*nem strictè dictam ; nam suprà fol.*  
*180. præmittit : Si igitur Deus non*  
*nisi ex materia operatur , . . . non*  
*conditor appellari debet.* Plures, ut  
S. Cyrillum Alexandrinum , S. Ba-  
silium &c. citat Tannerus tom. 1.  
disp. 6. q. 1. dub. 2. n. 3. ubi recte  
observat, SS. Patres , dum disputa-  
rent contra Arianos , ex virtute  
creandi probasse, Filium divinum  
esse verum Deum. Unde saltem  
videtur certum esse , quod nulla  
creatura producta sit , quæ habeat  
virtutem naturalem creandi: quod  
etiam concedit Arriaga *disp. 11.*  
*Phys. sec. 5. n. 97.*

27. Prob. jam. major superior. Unicum discrimen , hactenus ab omnibus assignatum tanquam sufficiens, utpote ratione cuius creatio est actio fortior , & perfectior , quam generatio , est istud , quod generatio præsupponat aliquod subjectum , seu materiam , ex qua pro-  
ducatur effectus , ut sit ex nihilo quidem sui , sed non ex nihilo sub-  
jecti : creatio verò non præsuppo-  
nat tale subjectum , seu materiam ,  
sed per ipsam producatur effectus , tam ex nihilo sui , quam ex nihilo sub-  
jecti : atqui negatà materia pri-  
ma non potest dari hoc discrimen ,  
neque etiam potest assignari aliud ,

quod sufficiat : ergo. ma. constat  
ex communissima omnium. mi.  
quoad 1. p. est clara : quoad 2. p.  
patebit ex solutione objectionum:  
ergo.

28. Dico 2. Materia prima est ingenerabilis , & incorruptibilis. ita communissima. Prob. conclusio quoad primum membrum. Si mate-  
ria prima esset generabilis , deberet  
generari ex præexistente subjecto :  
atqui non potest generari ex præ-  
existente subjecto : ergo. ma. pro-  
bata est num. præc. mi. patet ; quia  
primum subjectum , quale est mate-  
ria prima , non potest habere aliud  
subjectum præexistens. Prob. etiam  
conclusio quoad secundum mem-  
brum. Corruptibile juxta commu-  
nem Philosophorum est , quod po-  
test destrui manente ejus subjecto :  
atqui materia prima , quæ non ha-  
bet subjectum , sed ipsam est sub-  
jectum omnium formarum , non  
potest destrui manente ejus subje-  
cto : ergo non est corruptibilis.

29. Dico 3. Materia prima non potest naturaliter destrui ab agente  
creato. ita communis. Prob. Agens  
creatuum , sicut nihil potest produ-  
cere , nisi ex præexistente subjecto ,  
ita nihil potest destruere , nisi reman-  
ente subjecto : ergo non potest  
destruere materiam primam. Con-  
firm. Agentium creatorum vis , &  
virtus , sicut versatur tantum circa  
generaciones , & non creationes , ita  
etiam tantum versatur circa corru-  
ptiones & non annihilationes : ergo.

Magis controversum esse posset, an materia prima possit naturaliter destrui ab agente increato, sive à Deo: videtur tamen probabilius, neque à Deo posse materiam primam naturaliter destrui, ut tenent Arriaga *disp. 2. Phys. n. 14.* Benedictis L. 1. *Phys. q. 2. c. 1. §. Deducitur secundo.* & aliū plures; nam, ut reētē Benedictis *loc. cit.* insinuat, quod Deus naturaliter facit, vel omittit facere, id facit, vel omittit, ad exigentiam alicujus naturæ creatæ: atqui nulla natura creata, seu nulla creatura exigit, ut Deus omittat conservare materiam primam: ergo. prob. mi. non enim id exigit ipsa materia; quia non exigit suam destructionem, tanquam summum suum malum: non exigit

alia creatura; quia nulla habet contrarietatem cum materia: imò, cùm ad conservandum universum corporale necessaria sit materia prima, potius exigitur ab universo conservatio materiae.

Ex quo etiam habetur, materiam primam non posse desinere ob contrarium, neque ex defectu finis, ut patet ex dictis, neque etiam ex defectu cause, quæ est Deus, adeoque ex nullo capite: quæ ratio, cum à quibusdam afferatur, tanquam evidenter pro immortalitate animæ, meritò à nobis adducitur, tanquam argumentum valde probabile, pro indestruibilitate materiae primæ: præsertim, cùm nulla ratio, aut experientia probet oppositum. videatur Arriaga *disp. 2. Physic n. 14.*

## ARTICULUS II.

### *Solvuntur Objectiones.*

30. **O**B. i. contra i. conclus. Si datur materia prima, seu subjectum commune omnium formarum, seu generationum, tunc omnia corpora possunt in se invicem transmutari: sed hoc est falsum: ergo. prob. mi. adamas durissimus non potest fieri cera molifissima, & sic de aliis plurimis: ergo. Confir. Est commune axioma Philosophorum: *Appropriatione non datur regressus ad habitum:* id est: ex corrupto non potest iterum fieri prior substantia, e. g. ex aceto,

in quod vinum corruptum versum est, non potest iterum fieri vinum: sed hoc esset falsum, si daretur materia prima: ergo.

Resp. dist. ma. omnia corpora possunt in se invicem transmutari immediate. neg. ma. mediately, & per longas ambages. conc. ma. & sic dist. mi. neg. conseq. Etiam adamas, post multas, & longas ambages variarum mutationum, potest tandem verti in ceram, & pariter etiam alia possunt mediately, seu post multas transmutationes, converti in

*An detur Materia Prima, & que Ingenerabilis, & Incorruptibilis.* 15  
in varia. Ad confir. Axioma illud moderno tempore propter varia experimenta Chymicorum est dubium: & de regressu etiam mediato intellectum, est omnino falsum; unde dist. ma. non datur talis regressus immediatè. om. ma. mediatè. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Certè aceto, saltem multâ aquâ diluto, possunt rigari vites, & ab his illud iterum converti in vinum.

31. Ob. 2. Existentia materiæ primæ est contra sensum communem, saltem vulgi: ergo, saltem sîne magnis rationibus, quales non videntur pro ea afferri, non debet admitti. prob. ant. quando rusticus videt accensum lignum, non existimat materiam ligni transire in ignem, sed existimat, ignem esse quoddam corpus simplex, totaliter de novo productum: ergo. Resp. i. neg. conseq. quia rationes adducunt pro materia prima sunt opido graves.

Resp. 2. neg. ant. quod videtur prorsus falsum *ex n. 25.* & certè etiam rusticci sentiunt, ignem nutriti, ligno, pice, & similibus: habentque familiarem phrasin, qua dicunt, ignem omnia devorare, licet non bene capiant rationem conversionis. Quin etiam, si ad sensum communem rusticorum appetetur, isti videntur sentire, quod igne extincto nihil novi producatur, sed, quod hic abeat in nihilum sui, & subjecti; eoquod nihil ma-

teriæ ex igne, e. g. in candela extincto, relictum videant: & sic daretur destructio sîne generatio[n]e; adeòque fieret locus pluribus aliis postea producendis: quod dici non potest ab iis, qui negant materiam primam, ut patebit ex sequenti objectione.

32. Ob. 3. Sîne admissa materia prima potest dari sufficiens discrimen inter generationem, & creationem: ergo non debet admitti ea materia. prob. ant. potest dici, quod generatio essentialiter exigat destructionem alterius substantiæ, ut scilicet detur locus substantiæ novæ: creatio vero, qua ordinariè producuntur spiritus, qui cum aliis compenetrantur, non exigat eam destructionem: sed sic habetur sufficiens discrimen: ergo. prob. mi. plus est introducere in subjectum calorem, & non expellere frigus, quam simul istud expellere: ergo actio creativa est fortior influxus, quam generatio, & consequenter habetur discrimen sufficiens.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. matum quia prorsus gratis afferitur, tum quia ratio de loco falsa est in generatione accidentium, seu qualitatum, etiam materialium, quæ invicem compenetrari possunt: & tota major falsa est in generatione accidentium, seu qualitatum perfectivarum, e. g. lucis, sensationum &c. quæ producuntur sîne alterius destructione. Dein etiam neg. mi. ad

ad ejus prob. dist. conseq. aliquando per accidens est fortior influxus. om. conseq. ordinariè, & per se. neg. conseq. potius enim, ex suo conceptu, & per se, fortior est influxus, qui aliquid producit, vel conservat, & simul aliquid destruit, quam influxus, qui tantum aliquid producit, vel conservat, nihil tamen destruit; nam est clarum, quod sit fortior influxus, quo conservantur accidentia eucharistica, & simul destruitur eorum subjectum, quam, quo conservantur accidentia una cum subjecto: item, quod sit fortior influxus, que producitur aliquis Angelus, & simul alias destruitur, quam, quo tantum unus producitur.

33. Verum est, quod aliquando per accidens sit plus produceret tantum, quam simul destruere, quando scilicet termini habent inter se contrarietatem, & oppositionem, ut contingit in objecto exemplo de frigore, & calore: at sepiissime generantur qualitates non contraria, quæ non habent ullam oppositionem; unde, si in talibus casibus per generationem simul aliquid destrueretur, actio generativa esset fortior actione creativa: quin etiam, si producantur substantiae corporeæ omnino similes, non habent oppositionem, nisi fors quoad locum, quæ probabiliter à causis naturalibus potest tolli, præser-tim, si admittatur condensatio corporum strictè talis. Aliud est in-

sententia admittente materiam primam; nam juxta hanc sententiam causa efficiens in generatione adjuvatur, & quasi sublevatur à subiecto sustentante: non ita adjuvatur causa efficiens in creatione, adeoque ista est fortior, & perfectior influxus. vide dicta inferius n. 118. & adhuc plura hac de re dabimus infra, quando agemus de causa materiali à n. 1219.

34. Ob. 4. contra 2. conclus. Si materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis, tunc est perfectior omni forma substantiali materiali: sed hoc est falsum: ergo, mi. est certa; nam ab omnibus asseritur materia esse valde imperfecta, & à S. Augustino citato n. 25. dicitur pene nihilum. prob. igitur ma. incorruptibilitas est participatio perfectionis divinæ infinitæ: ergo incorruptibile est perfectius quolibet corruptibili: ergo materia prima incorruptibilis est perfectior quilibet forma materiali; quia quilibet est corruptibilis. Confirm. Materia prima est mutabilis: ergo etiam generabilis, vel corruptibilis. prob; conseq. omnis mutatio est aliqua generatio, vel corruptio: ergo.

Resp. neg. ma. ad prob. conc. ant. dist. 1. conseq. incorruptibile est perfectius corruptibili, secundum quid, aut ceteris paribus simpliciter. conc. conseq. est perfectius simpliciter, etiam ceteris non paribus. neg. conseq. Aequivocatio est in eo, quod ab uno prædicato arguat

*An detur Materia Prima, & que Ingenerabilis, & Incorruptibilis.* 17

guatur ad complexum omnium. Ut aliquid censeatur esse simpliciter perfectius altero, debent comparari non solum unum praedicatum cum alio, sed omnia inter se, & videri, quæ collectio excedat: jam, si comparentur omnia praedicata formarum, cum omnibus praedicatis materiæ primæ, videbuntur praedicata formarum simul sumpta, multum excedere praedicata materiæ primæ simul sumpta, etiam cum ejus incorruptibilitate, præsertim, cum ista incorruptibilitas fundetur in materiæ imperfectione, sive in eo, quod materia sit potentia passiva, seu subjectum receptivum omnium formarum. Ad confir. om. ant. neg. conseq. ad prob. iterum neg. conseq. Etiam omnis actio est passio, non tamen denominat omne, quod afficit, passum: e. g. non denominat causam efficientem etiam passum; quia nempe eam non respicit ita passio, sed tantum ut actio: at ita etiam mutatio, quæ est realiter aliqua generatio, vel corruptio, non denominat omne id, quod afficit, generatum, vel corruptum: sed tantum id denominat generatum, quod incepit existere: & corruptum, quod definit existere: quorum neutrum congruit materiæ primæ.

35. Ob. 5. Si materia prima est incorruptibilis, tunc totus homo est incorruptibilis: hoc est falsum, & contra omnes: ergo. prob. ma. anima hominis est incorruptibilis:

*Tom. II.*

ergo, si etiam incorruptibilis est materia, tunc vel omnes partes, vel faltem præcipue hominis, sunt incorruptibles, adeoque totus homo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. conseq. In primis juxta multos autores corpus hominis non dicit solam materiam primam, sed etiam formas partiales, corruptibles, adeoque ipsum etiam corpus corruptibile est. Dein etiam hoc omisso, et si sola unio corruptibilis, vel etiam destruibilis sit, tamen homini convenit tota definitio entis corruptibilis, adeoque etiam ipse talis est. vide dicta hac de re in *Lógica n. 250. &c. seq.*

36. Ob. 6. Materia prima potest alterari: ergo etiam potest corrupti. consequentia est recepta apud Philosophos. prob. ant. materia in se recipit qualitates alterativas, vel etiam corruptivas, & aliter se habet cum illis, quam sine illis: ergo potest alterari, immo actu alteratur. Resp. neg. ant. si verbum *alterari* strictè sumatur; nam alterari strictè sumptum apud Philosophos, non tantum significat, quomodo cùnque recipere aliquas qualitates (hoc enī est tantum genericè mutari) sed significat dispositivè corrupti; unde non dicitur aer alterari à luce, nec homo ab alimento; quamvis aliter se habeat cum hoc, quam sine hoc; nam est communis modus loquendi: *Alienatum est, quod alteratur, & non alterat: medicina est, qua alterat,*

C

8

& alteratur : venenum est , quod alterat , & non alteratur . ad prob. neg. conseq. Materia prima quidem est subiectum , vel immediatum , vel saltem mediatum , omnium istarum qualitatum : at hæc non disponunt ad corruptionem materiæ , sed tantum ad corruptionem , seu destructionem formæ , vel totius compositi .

37. Ob. 7. contra 3. conclus. Si materia prima non est naturaliter destruibilis , vel annihilabilis , tunc destructio , vel annihilatio erit ipsi violenta : sed non potest ei esse violenta : ergo . prob. mi. quando datur destructio , vel annihilatio , non amplius datur ipsa materia , adeoque neque ejus appetitus : ergo non potest ea destructio , vel annihilatio , esse contra appetitum materiæ : ergo nec violenta . Resp. Hæc objectio solvi debet in morte cujuslibet animalis , priùs sani , sed pro sequenti instanti non amplius à Deo conservati ; nam etiam , quando datur formaliter mors , non amplius datur animal , consequenter neque ejus appetitus .

Quidam dicunt , ipsam mortem formaliter sumptam esse violentam , atque afferunt , ad violentum sufficere , si sit contra appetitum priùs existentem , & adhuc moraliter perseverantem , seu non retractatum . Alii dicunt , non mortem formaliter sumptam esse violentam , sed mortem causaliter sumptam , seu introductas in prio-

ri instanti dispositiones ad mortem .

Sed hi auctores debent admittere , quodd , si nullæ tales dispositio-nes præcessissent , & tamen Deus pro sua liberrima potestate cessaret à conservatione talis animalis , hu-jus mors non esset violenta . Neque tamen talis mors esset naturalis ; quia non esset juxta appetitum animalis , adeoque esset in suo sen-  
tu neutra : quamvis non esset motus neuter ; quia non esset motus ; eo-  
quod non esset aliquid positivum :  
quod in casu tam extraordinario  
fors non improbabiliter dicitur .  
Pari ratione responderi potest , vel  
debet circa annihilationem mate-  
riæ primæ .

38. Itaque , vel cum prioribus au-  
toribus neg. mi. ad prob. dist. ant.  
non amplius datur appetitus mate-  
riæ physicè perseverans . conc. ant.  
non datur appetitus moraliter per-  
severans . neg. ant. & conseq. Vel  
cum posterioribus auctoribus neg.  
ma. quia annihilatio materiæ est ,  
nec naturalis , nec violenta , sed  
neutra : nisi tamen possit dici , quod  
causalis , seu dispositiva annihilatio ,  
sit violenta : quæ tamen difficulter  
explicatur ; quia videtur vix posse  
dari dispositio ad annihilationem  
materiæ ; cùm , nec ullum accidens ,  
nec ulla forma substantialis , ei con-  
traria sit .

Benedictis l. 1. Phys. q. 2. c. 1.  
*sub finem* videtur insinuare , quod  
causalis annihilatio materiæ possit  
dici

dici decretum Dei de ea annihilanda : sed, cùm omne decretum Dei jam detur ab æterno , si decretum de materia quadam annihilanda es- set ipsi violentum, talis materia semper esset in statu violento, quod

fortè videbitur minùs convenien- ter admitti. Res est potissimum de modo loquendi , de quo non est operæ pretium pluribus litigare. videri potest de Quiros tr. 6. de *Animæ disp. 80. sec. 4 n. 35.*

## ARTICULUS III.

*Quale Systema circa Materiam Primam posuerit Epicurus,  
vel ejus Restaurator Gassendus.*

39. Diximus n. 25. Philosophos omnes convenisse in ad- mittenda aliqua materia prima : & hoc utique verum est : sed qualis illa sit, seu quam essentiam habeat, & cujus speciei sit, an scilicet sit sub- stantia completa, an incompleta, an sit subjectum formæ verè substan- tialis, vel an tantum sit subjectum formæ cuiusdam accidentalis, seu combinationis , aut texturæ &c. magna est dissensio inter Peripate- ticos , & Philosophos corpuscula- rios : quorum aliqui Atomistæ di- cuntur ab atomis , seu corpusculis indivisibilibus , ex quibus omnia corpora componi, & in quæ omnia resolvi docent: alii verò corpuscu- la adhuc ulterius divisibilia statu- unt. Plurimi ex his corpusculorum patronis non inviti dicuntur Phi- losophi mechanici ; eoquod velint, omnia corpora esse machinas qua- dam , ex corpusculis compositas, quæ pro varia corpusculorum com- binatione, ac figura, sint inter se diverse, atque etiam diverso mo-

tu agitatæ, diversos effectus produ- cant. Philosophi isti corpusculariï plura , non tantum Peripateticis contraria, sed etiam inter se diver- sa systemata , circa materiam pri- mam commenti sunt, adeò, ut fu- sissimum esse oporteret, si quis af- fectiones omnium singulares vellet refellere. Quare non cujuslibet particularis Philosophi opinatio- nem examinandam suscipimus, sed tantum systemata primaria adduci- mus, quibus rite intellectis , & sta- bilitis, vel convulsis, poterunt quæ- cunque alia sine magna difficultate, vel impugnari, vel defendi : inci- pimus autem ab Epicureo , prout emendatum fuit à Gassendo.

40. Itaque Epicurus Philosophus Atheniensis (quem aliqui, tanquam summum hominis bonum in vo- luptatibus corporis constituisse, vehementer incusat: alii verò tan- quam id bonum purissimis animi voluptatibus identificasset , non parùm dilaudant : et si tanquam de divinitate male sentientem omnes

vituperent) hic, inquam, sistema de atomis, à Democrito, ac hujus præceptore Leucippo acceptum, propagavit. Statuit autem pro materia prima atomos, æternas, increatas, & infinitas, ac ab æterno per inane chaos volitantes, donec casu in universi hujus machinam coaluerint.

At verò Petrus Gassendus Ecclesiæ Diniensis in Gallia Præpositus, simulque regius Matheœos Professor Parisiis, *circa annum 1645.* hoc sistema emendavit, ac docuit, atomos ab initio mundi à Deo fuisse numero finito creatas, & in hanc aspectabilem orbis hujus molem compactas.

Gassendum secuti sunt, & adhuc sequuntur plures recentiores: & hi cum suo Magistrō per atomos intelligunt corpuscula minima, se solis omnino insensibilia, attamen prorsus solida, inflexibilia, & impenetrabilia, ita, ut secari, aut dividiri, non possint. Soliditatis hujus causam asserunt esse, quod atomi nulla habeant in se vacua, qualia tamen habeant corpora ex atomis composita; nam istorum divisibilitatem refundunt in quasdam vacuitates, quæ arctissimum partium nexum impedianter.

41. Hæ atomi, ut ajunt, possunt quidem etiam naturaliter se solis existere, utpote substantiae compleæ: nunquam tamen extiterunt omnes ab invicem separatae, sed statim; sub prima orbis initia, à Deo

in certa corpora compaginatae sunt: & licet aliquando aliquæ separantur ab aliis, tamen nullæ manent solæ, sed semper plures manent conjunctæ, & compactæ in parvas moleculas, quæ rursus invicem unitæ corpora lensibilia constituunt.

Insuper hæ atomi juxta Gassendum, ejusque sequaces, differunt sola magnitudine, & figurâ; eoquod sint aliquæ cubicæ, aliæ cylindricæ, sphæricæ, pyramidales, hamatae, uncinatae, irregulariter angulosæ &c. quæ figura juxta ipsos atomis est essentialis (quamvis utique difficulter perceptibile sit, quodhami, & uncini, pyramides &c. sint indivisibles) hæc tamen diversitas juxta plures horum auctorum non infert differentiam specificam, sed tantum individualem: attamen aliqui eorum hanc differentiam dicunt essentialē (eoquod certis atomis sit propria, & ab iis inseparabilis) & vocant differentiam specificam metaphysicam, non verò physicam; eoquod differentia physica debeat esse sensibilis, qualis inter atomos solitariè acceptas, adeoque insensibiles, dari non potest.

42. Habent etiam juxta hoc sistema singulæ atomi suum pondus, & gravitatem, atque vim congruam se movendi, agitandi, evolvendi, extricandi, profiliandi, se se invicem comprehendendi, colligandi &c. insuper habent duploce motum, unum directum ad lineam perpendiculararem, alterum refe-

reflexum, in morem pilæ ad pavimentum alligè: & hunc quidem diversum pro diversitate figure atomi, aut moleculæ, à qua reflectuntur: atque per motum istum reflexum atomi, in se invicem impingentes, mutuò colligantur, fiuntque ex ipsis moleculæ, & ex his dein corpora sensibilia, seu naturalia.

Moleculis hujusmodi volunt plena esse omnia, tam aquam, quam terram, & aërem, ut scilicet sint quasi semina, ex quibus nova corpora naturaliter generari possint, ita tamen, ut quibusdam in locis moleculæ potius hujus, quam alterius sortis, in aliis verò locis aliae diverse sortis sint copiosiores; unde ratio sumitur, cur non omnis ferat omnia tellus. Ex his presuppositis

43. Deducunt auctores isti 1. materiam primam aliud non esse, quam atomos hucusque descriptas; cùm ex his omnia corpora naturalia, id est, sensibilia, componantur, ipsæque sint subjectum omnium generationum, & corruptionum: itemque sint ingenerabiles, & incorruptibiles; nam generabile, ut rectè ajunt, est, quod ex materia potest educi: atomi autem ex seipsis educi non possunt, nec etiam aliud subjectum prius ipsis existit, ex quo educantur: corruptibile autem est, quod potest destrui manente ejus subjecto: atomi autem non sunt destruibles, & præ-

sertim non sunt destruibles manente earum subjecto; cùm non habeant subjectum, nec componantur ex subjecto, & forma, sed sint omnino simplices.

44. Deducunt 2. formas rerum corporalium esse diversas dispositiones, seu texturas, aut nexus ipsarum atomorum; nam atomi per suam texturam, & inter se combinationem, fiunt radix motus, & quietis sensibilis, seu variarum proprietatum, ac effectuum, à corporibus naturalibus profluentium (in quo stat ratio formæ etiam juxta Peripateticos) eo ferè modo, quo ex materia secunda, seu corporibus naturalibus, per variam dispositionem, vel compositionem artificiale, fiunt instrumenta ad varias operationes idonea: e. g. ferrum, si in formam cultri formetur, scindit, ac dividit; si cedatur in figuram clavæ, divisa inter se connectit.

Per hanc etiam combinationem, vel complicationem, ex atomis fiunt corpora naturalia specie diversa; nam acquirunt diversum quantum sensibilem, in quo juxta hos auctores stat ratio differentiarum specificarum physicè acceptarum. Dicunt tamen etiam, formam aliquando posse stare in certis atomis magis spiritosis, quæ alias atomos crassiores intimè pervadant, subigant, atque activas reddant, fermè, ut partes vini spiritosiores toti vino vim confortandi, aut calefaciendi, seu quandam acrimoniam conferunt,

45. Deducunt 3. generationem novi corporis naturalis aliud non esse, quæ novam atomorum, partim priorum, partim de novo accendentium, texturam, & interjectis pluribus, vel paucioribus vacuolis complicationem; dicunt enim, atomos eum in finem, ut fiant novæ generationes, instructas esse motu, quo dum variè se movent, & se movendo, vel ad alias accedunt, vel ab iis recedunt, & novo modo cum his, vel illis conjunguntur, aut combinantur, amittunt sèpissimè priorem statum sensibilem, & acquirunt novum, ita, ut novo etiam nomine appellantur.

Sic e. g. ex ligno generatur ignis, dum hic applicatur illi, & plurimas atomos igneas cuspidatas, adeoque ad penetrandum instar cunei idoneas, emittit, quæ per poros, & vacua ligni spatiola penetrantes, ac ab aliis semper succendentibus adjutæ, tandem compagem ligni solvunt, ac atomos terreas, & aquæas, multitudine obruunt, atque magnam saltem partem disspellunt; ita, ut atomi igneæ, prius in ligno latentes, ac remanentes, suòque etiam motu novis adventantibus igniculis adjunctæ, cum ipsis constituant novum statum sensibilem ignis. Quodsi status novus non tam sensibilis sit, ut res novo nomine appelletur, dicetur contigisse alteratio, non generatio: e. g. si metallam, vel cera, ad ignem liquefiat.

Deducunt 4. corruptionem cor-

poris naturalis aliud non esse, quæ prioris combinationis corpuscularum resolutionem, & ipsarum atomorum transpositionem, adjectiōnem, vel detractionem, quam vel ipse atomi, in aliquod corpus quidem combinatae, sed ex se inquietæ, per motum suum naturalem, se ab aliis separando, aut aliis jungendo, efficiunt: vel corpuscula, ab extrinseco incidentia, aut quocunque demum modo impacta, causant, ut modò in destructione ligni ostensum est.

46. Deducunt 5. nulla esse necessaria, adeoque nulla dari accidentia absoluta, sed omnia stare in sola modificatione, numero, motu, figura, magnitudine, vel parvitatem atomorum aut parvis vacuis, seu, ut dicunt, vacuolis, inter atomos interjectis.

Per hæc in primis explicant quatuor qualitates, quæ dicuntur primariæ. Sic calor juxta ipsos stat in atomorum cuspidalium ebullitione, seu rapido motu: frigus econtra in ejusmodi ebullitionis compressione, vel impeditione: humiditas stat in vacuolis, inter atomos interjectis, in quæ scilicet atomi pressæ facilè possint se recipere, atque adeo facilè cedere, quod est humidorum: siccitas econtra stat in exclusione talium vacuolorum, ut scilicet atomi impenetrabiles cedere nequeant, quod est siccorum.

47. Simili ratione auctores isti etiam explicant qualitates secundas

*Quale Systema circa Materiam primam excoxitaveris Cartesius.* 23

das. Sic per injectionem diversam vacuolorum explicant duritatem, vel mollicitem corporum; nam corpus durum pauca: econtra molle plura talia spatiola inania numerat. Sic per situm diversum atomorum, aut vacuolorum, explicant diaphaneitatem, & opacitatem; nam in diaphanis vacuola occupant situm rectum, at in opacis situm obliquum, & interruptum.

Sic per figuram diversam explicant fluiditatem, & soliditatem, seu firmitatem corporum; nam fluida, ajugt, constant atomis sphæricis, & ob interposita vacuola inter se

disjunctis, adeoque facile à se invicem sensibiliter separabilibus: dum econtra solida, seu firma, constant particulis ramosis, inter se strictè, & tenaciter implexis, adeoque difficulter à se invicem sejungendis: quodsi istæ particulæ, seu atomi, insuper habeant figuram asperam, etiam asperitatem inducunt corpori: si vero habeant figuram planam, levorem in corpore causant. Et sic de aliis corporum qualitatibus, seu affectionibus, auctores isti discurrunt: de quorum tamen systmate, ne nimis profusi fiamus, hæc dicta sufficient.

## ARTICULUS IV.

*Quale Systema circa Materiam Primam excoxitaverit Cartesius.*

48. **A**pterum systema magis novum, quamvis quoad multa ab antiquis mutuatum, erexit Petri Gassendi contemporaneus Renatus Cartesius, qui ex Britannia minore, & familia ibidem conspicui ordinis natus, post lustratas varias regiones diu sedem in Hollandia fixit, ac Philosophicas Meditationes edere coepit: sed Voëtii Ultrajectinæ Academia Rectoris auctoritate, vix non pulsus, & Christinæ Suecorum Reginæ invitatione allectus, Holmiam concessit, ubi an. 1650. demortuus est: olla vero ejus Lutetiam translata fuere:

49. Hic auctor in primis corpus physicum identificat spatio mensu-

rabili quoad trinam dimensionem, scilicet in latum, longum, ac profundum. Ex quo manifestè sequitur (quod etiam admittit) impossibile esse vacuum: in quo est è diametro contrarius Gassendo, qui illud actu dari contendit. Cùm autem Cartesius insuper admittat, illud omne dari, quidquid clarè concipimus, & ubique etiam supra firmamentum, imo supra cælum empyreum, concipiamus aliquod spatium, sequitur ubique dari corpus, adeoque hunc mundum corporum esse infinitum: quod tamen Cartesius negat, docens, mundum tantum esse *indefinitum*, quam tamen phrasin nunquam satis explicat. **Quin**

Quin etiam clare concipiimus jam ante creationem mundi aliquod spatum, in quo mundus creari citius potuerit: adeoque jam ante creationem mundi, & quædem semper debuit dari corpus, consequenter ab æterno: quod Cartesius utique debet negare. Verum hic tantum refero, non impugno hanc opinionem Cartesii de corpore, ac spatio identificatis: cui insuper difficultas magna objici potest ex mysterio SS. Eucharistiae: sed de his alio loco erit agendum.

50. Itaque juxta Cartesium Deus hoc vastissimum spatum, seu corpus à se productum, primò divisit in partes quasdam magnas, sed tamen magnitudine inæquales, figuræ non perfectè rotundæ: sed aliquantum oblongæ, atque ovalis; eoquod inter se contiguæ, rautua quasi pressione, aliquantum à perfecta rotunditate cedere cogantur: dumque Deus has partes in gyrum continuò moveri voluit, vortices quosdam fecit. Dein idem creator unamquamque ex his magnis partibus divisit in particulas minores, quæ cubicam quasi formam habebant.

Inde Deus produxit in iis cubis motum, eumque duplē, unum circa centrum commune cujuslibet vorticis, alterum circa centrum particulare cujuslibet particulae, seu parvi cubi: ferme, ut quandóque in fluminibus accidit, ubi in majore quodam vortice alii minores

conspiciuntur, qui, dum circa proprium suum centrum gyrantur, & parva e. g. ligni segmenta secum circumagunt, simul etiam cum illis ipsis segmentis circa centrum majoris vorticis circumvolvuntur.

51. Hec motu, præfertim illo, quo circa proprium centrum cubi illi parvi, circumacti sunt, ipsis multò allisi, ac attriti, sive angulos, aut asperitates perdiderunt, & in globulos, quosdam majores, quosdam minores, quasi tornati sunt. Ut autem accidit, dum lignum tornatur, quod varia segmenta partim majuscula, partim minima decidant, ita etiam contigit in attritione istorum parvorum cuborum, quod separatæ fuerint duplicis classis particulæ.

Avulse sunt nempe aliquæ particulæ minimæ, instar scobis tenuissimæ, aliæ majores instar striarum, fimbriarum, cochlearum, vel alterius etiam irregularis figuræ segmentorum, quæ priùs cuborum angulos, aut corpusculorum asperitatem constituebant: qua ratione triplex elementum Cartesii, seu triplex materia prodiit, nempe materia primi elementi, seu scobs tenuissima: materia secundi elementi, seu globuli: & materia tertii elementi, seu partes striatae, oblongæ, cochleares, irregulares &c. ex quibus materiis, & earum mixtione, omnia corpora naturalia constitui hic auctor voluit.

52. Addit Cartesius, utrumque hunc

hunc motum esse perpetuum ; eo quod opera Dei non deceat unquam interire. Sed utique non negabit, etiam à Deo varia nova entia sepe produci, adeoque varias novas trium elementorum texturas, aut combinationes esse opera Dei, quas tamen interire negari non potest. Sed quidquid de his sit, juxta Cartesium manet semper tota quantitas motus, à Deo ab initio mundi producta : quamvis non maneat semper in eodem subjecto, sed transeat ab uno ad alterum ; & iterum revertatur ad prius, prout corpora mota variè in se mutuò impingunt, & per hoc sibi invicem motum communiciant.

Ut enim docet, quantum e. g. globus A de suo motu communicat globo B, tantum ipse deperdit : quod tamen oppido difficile est credere ; nam, si quis e. g. globulus plumbeus sclopeto ejectus perstringat extremitatem vexilli parvi ferrei, in alto sedificio statuti, probè inuncti, adeoque mobilissimi, vehementem ei imprimat motum : & tamen de suo vix aliquid perdit ; nam rapidissimè ulterius per ingens adhuc spatum fertur : quin etiam difficillimum est credere, quod, quando animal sponte se movet, propterea aliud corpus de suo motu aliquid perdat ; cum potius videatur aëris, circa illud animal prius quietus, novum motum accipere.

53. Ex dictis tribus elementis, seu materiis, maximo, sive celeri-

mō motu, gaudet primum elementum, ratione minutissimæ suæ motus, ratione cuius fit, ut ab incurritibus corpusculis majoribus a liorum elementorum facilius accipiatur augmentum velocitatis, & motus (quia parva à majoribus facile impelluntur) ipsum verò ferè nihil de suo motu perdat ; quia ob suam parvitatem aliis, in quæ incurrit, vix aliquid motus communicat ; quia ea vix impellit, sed potius abiit resilit.

Quod autem hoc primum elementum tamen maneat magis centro vicinum, quam elementum secundum, in causa est, ut vult Cartesius, major soliditas, & compactio globulorum secundi elementi ; nam, quo res solidior est, eo magis, dum rotatur, recedit à centro : & hinc globuli isti, licet non tam celeri motu gaudeant, quam materia subtilis, tamen præ ista recedunt à centro ; sicut, si plumbei globi inæqualis magnitudinis, sacco cuidam immisi, circumrotentur, experientia monstrat, maiores proximè superficiem facci interiorem gyrari, minores verò intimius in centro facci manere. Ubi tamen adverto, hac similitudine probari, globulos potius ob suam majorem molem, quam ob majorem soliditatem, magis à centro recedere ; nec enim globi plumbei maiores sunt solidiores, quam globi plumbei minores.

54. Ceterum hoc elementum secundum, seu globuli, etiam gaudent

D

motu

motu valde veloci, qui motum tertii elementi plurimum superat; nam istud, seu ejus materia, id est, particulae ramosae, cochleariae &c. vel ob irregularē, & se aliis facile impli- cantem figuram, jam initio minimum motum acceperunt (quod tamē difficulter dicitur; eoquod motus totus jam in cubis productus fuerit, quando tertii elementi materia adhuc pars eorum fuerat) vel certe, quia particulae istae, elementi primi, ac secundi corpusculis majores, in hæc impingendo, aut alia quacunque ratione, maximam sui motus partem in ipsa transtulerunt, ita, ut tertium elementum ferme tantum à primo, aut secundo agitur.

55. Quia autem globuli secundi elementi, agitatione sua irrequieta, se semper magis atterunt, & ab ipsis denuo subtilis scobs decidit, hinc materia primi elementi successivè magnum incrementum accipit: ne autem tandem totum vorticem occupet, dicitur quandōque transire in alios vortices. At hac ratione videntur debere tandem valde minui quidam vortices, præsertim quo ad secundum elementum, si non recipiant aliunde aliquod ejus supplementum. Sed respondetur, materiam primi elementi, dum implet poros, aut vacuitates, inter globulos se mutuo tangentes relietas, ipso nisu eas penetrandi quandōque quasi in longum diduci, ac in minimas strias mutari, quæ cum insé-

quentibus similibus novis striis im- plicatae, tandem in maiores ramosas particulas coēant, ac tertium ele- mentum constituant.

At necdum hac ratione defectus secundi elementi suppletur, nisi ad- mittatur, materiam tertii elemen- ti, præsertim majusculas, ac crassior- res ejus particulas, denuo in globu- los vario affictu, & attritu tornari posse: quod an Cartesius admittat, equidem dubito. Hoc tamen ex huicisque adductis elucet, à Carte- sio non adstrui pro materia prima atomos, seu particulas insectiles; cùm, & à cubis, & à globulis, non tantum scobs tenuis, sed etiam ra- mosa corpuscula, ad tertium ele- mentum spectantia, possint avelli, & abstrahi: imò ipsa scobs ulteri- us possit dividī; qua in re Cartesius ab Empedocle, & Epicuro recedit.

56. Jam verò ex triplicis hujus clas- sis corpusculis, seu elementis, tan- quam ex materia prima, docet Car- tesius componi omnia corpora: & quidem ex materia subtili corpora lucida, maximè solem, ac stellas: ex globulis secundi elementi ætherem: ex tertia verò, seu ramosa ma- teria, corpora crassiora, terram, pla- netas &c. quamvis etiam istis mi- sceatur ordinariè materia alia, e. g. subtilis, & vicissim etiam ætheri, aut corporibus lucidis, immisceatur aliquid materiae tertie.

Forma autem juxta hunc auto- rem, vel consistit in sola diversa mixtura, figura, motu, quiete, situ, vel

vel quacunque demum modificatione corpusculorum: vel consistit in particulis primi, & secundi elementi, que sunt quasi spiritus, & quinta essentia, à qua composita naturalia vim, & activitatem sortiuntur.

Hinc illa corpora, in quibus plus motūs, & activitatis, aut vītæ relucet, plus de primo, & secundo elemento participasse censenda sunt. At vero, in quibus plus inertis languoris, aut stupide quietis apparet, ex tertio potissimum elemento compaginata credenda sunt. Ubi nota, in hoc systemate, licet forma non esset de substantia compositi naturalis, si nempe consisteret tantum in figura, & textura &c. tamen fore de essentia ejus: sicut scilicet figura gladii non est quidem de ejus substantia, attamen est de ejus essentia.

57. Hæc materia Cartesii est eisdem speciei in omnibus corporibus; quia materia primi, secundi, & tertii elementi, ex eadem prima communi massa desumpta est, nec differt una ab altera, nisi figurā, & mole, ad quam tamen quilibet indiferens est, easque, ut dictum, perdere, atque etiam iterum recuperare potest. Insuper eadem materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, ut in systemate Gassendi: & dicta n. 43. huc applicari facile possunt.

Addendum h̄c est, quod juxta Cartesium etiam motus naturaliter

incorruptibilis sit; nam, ut dictum n. 52 manet semper eadem ejus quantitas, & tantum mutat subjectum. An autem motus non sit generabilis, seu producibilis ex subiecto, est alia questio; nam, licet Cartesius neget, creaturas posse producere motum (& certè, si eum producere possent, facile ipsum agerent contra voluntatem hujus auctoris) tamen non videtur eo ipso negare Deum potuisse primum motum, & etiamnum posse aliquod ejus augmentum, producere per actionem generativam: nisi tamen, ut nunc multi Cartesiani faciunt, negent omnem actionem eductivam, de quo alibi pluribus agendum.

58. Generatio, & corruptio corporum naturalium, in hoc systemate explicatur eodem modo, quo explicata est n. 45. in systemate Gassendico, nisi, quod nullum h̄c admittatur vacuum, & atomis ibi assertis substituantur tria elementa, per quorum novam combinacionem, & texturam, generetur novum corpus, etiam s̄pē specie diversum; nam pro varietate mixtrarum, figurarum, modificationis, motūs, quietis &c. res varios status sensibiles, varia nomina, & variam specimen sortiuntur. Pariter per destructionem prioris texturarum eorumdem elementorum fit prioris corporis destructionis, ut & generationis, generale instrumentum juxta Cartesium est motus dictorum trium ele-

mentorum, ut hucusque dicta considerant facili patebit.

Ubi addendum, juxta Cartesiano nihil novi posse produci à creaturis; nam nec possunt producere ipsa elementa, nee eorum motum: modificatio autem, vel textura, juxta ipsos nihil est realiter distinctum ab elementis modificatis: quae de re alibi redibit sermo. Admittunt tamen, utpote Christiani, animas rationales de novo produci, sed à Deo, & per actionem creativam, non generativam.

59. Quatuor elementa peripatetica Cartesius cum suis sic componit. Ignis est portio primi elementi, mixta elemento tertio, sive mixtura, saltem notabili, elementi secundi; nam, cum elementum secundum, seu globuli, si mixti sint, redundant, & impedian motum primi elementi, seu materie subtilis, ista in illorum præsentia non habetur sati virium, ut tertium elementum sibi innatans motu vorticoso velocissimo rotaret, & simul globulos circumstantes repercessos longè expelleret: quod tamen ad ignem, vel ejus effectum, est necessarium.

60. Aqua, & aëris, dicuntur constare ex tertio elemento, ita tamen, ut particulae potissimum partem sint teretes, & ideo facile mobiles, ac ab invicem separabiles: & quidem particulae aëreæ, utpote adhuc magis mobiles, dicuntur esse minores, & magis teretes, quam aquæ: item,

cum aëris debeat esse medium commune, in quo motus, influxus, & agitationes corporum naturalium peragantur, debent ejus particulae esse inter se magis diffitæ, ut primo, & secundo elemento dent liberum divagandi spatium: saltem casu quo ad hoc non sufficeret eam maxima mobilitas.

Agitantur autem, ut ajunt, aëris, & aquæ, ut & alia liquida omnia, continuo à particulis primi, & secundi elementi, & in hoc à solidis differunt; nam solida quiescent, liquida vero perpetua agitatione, licet insensibili, moventur, motu tamen æquabili, non vorticoso, aut perturbato; alias calefierent. Terra tandem constat particulis tertii elementi, ramosioribus, & magis inter se implexis, ac solidatis, & quiescentibus, quæ particulae primo in crustulas, tum in densiores crustas, aut moles æctantur, quod sit, ut densitate, ac soliditate sua, corpora alia sustentare queant.

61. Jam quatuor primas qualitates peripateticas Cartesius cum corpusculariis aliis negat: & calor quidem ab eo constituitur in motu vorticoso, & velocissimo primi elementi, secum rotantis tertium sibi innatans elementum: frigus vero constituitur in quiete, tam tertii elementi, si à primo non moveatur, quamvis ipsius primi elementi, quocunque obstaculo à motu impediti. Humiditas ab hoc auctore dicitur stare in motu aliquo tertii ele-

elementi, non vorticoso (qui calor esset) sed alio, qui eas particulas faciat facile aliis cedere : econtra sicutas stat in ejusdem tertii elementi stabili cohaerentia, & partium quiete.

Hinc etiam Cartesius nulla admittit accidentia absoluta : at, quid ergo juxta ipsum est motus ? certè substantia non est ; cum neque sit corpus, nec spiritus, & aliam substantiam Cartesius non admittat : igitur debet accidens esse : at non modale ; cum enim juxta Cartesium motus ab uno subjecto ad alterum transeat, & non sit substantia, debet esse faltem accidens absolutum. Respondeat Cartesius cum fuis, motum esse tantum quendam modum corporis moti, neque huic quidquam positivum superaddere : & hinc corpus motum à se ipso immoto, seu quiescente, per ens reale non differre. Sed sic, vel modus poterit separari à suo subjecto, & ad aliud transire: vel motus non poterit formaliter transire ab uno corpore ad aliud, sed tantum æquiva-

lenter, quatenus scilicet, destruta certa quantitate motū in uno corpore, Deus producit in alio corpore æqualem quantitatem motū : quod, nescio, an Cartesiani admittant. videatur Dechales *som. 2.*

*Cart. Mas. tr. 8. l. 1. propos. 1.* Rursus hac ratione Deus producens motum produceret nihil distinctum à re mota ; cum tamen Cartesiani velint, motum, etiam in se spectatum, posse à solo Deo produci. Ulterius sic dabitur nova denominatio realis sive nova parte ; nam distantia unius ab altero, vel vicinitas respectu ipsius, non est motus, neque per istas, tanquam per formas extrinsecas, explicari potest denominatio moti : aliud autem nihil assignatur à Cartesianis. Sed, ut jam dixi, hic refero duntaxat doctrinam Cartesii : non contra eam dispergo. Hæc de systemate isto hic allata sufficiant ; nam modò de eo duntaxat agimus in ordine ad materiam primam : plura de eodem, vel ejus sequelis, aut partibus, erunt dicenda variis aliis locis.

## ARTICULUS V.

### *Quodnam Systema circa Materiam Primam statuerit Anaxagoras.*

62. **A**naxagoras Clazomenius, ob ingenii subtilitatem mens dictus, & ob admissum mentis, sive Dci, in mundi fabrica prouidentissimum influxum, ab Aristotele *1. Metaphys. summa 2. c. 2.*

tanquam sobrios inter ebrios laudatus, aliud sistema circa materiam primam proposuit, quod dein alii quidam Philosophi, vel ex toto, vel ex parte amplexi sunt. Docet itaque Anaxagoras, Deum, universi

versi hujus auctorem, statim initio mundi innumeratas produxisse particulas, non tantum figurā (ut volunt Gassendus, & Cartesius) sed etiam ipsā naturā, seu specie, si non physica, saltem metaphysica, juxta dicta n. 41. differentes: & quidem produxisse earum particularum tot species, quot dantur species corporum, quorum generationi particulæ illæ debent servire.

Imò, cùm corpora, præsertim viventia, non sint quoad omnes partes homogenea, opinatur Anaxagoras cum suis asseclis, tot species talium particularum productas fuisse, quot partes heterogeneas in corporibus naturalibus est reperi-re: adeoque jam initio mundi productas fuisse particulas carneas, osseas, herbidas, argenteas, aureas &c. nam non tantum viventium, sed etiam inanimatorum, ut metallorum, saxonum &c. semina à Deo voluit esse producta.

63. Ubi obiter noto, Anaxagoreos nolle, has particulas minimas jam esse carnes, & ossa, herbas, aut metalla &c. sed tantum velle, eas esse carneas, osseas &c. sicut juxta Peripateticos forma irrationalis est corporalis, non tamen est corpus: vel accidentia plura sunt materia-  
lia, non tamen materia. Ratio, ut ajunt, est, quod particulæ minima-  
æ insensibiles sint: corpus autem debeat esse sensibile: item, quod istæ particulæ minimaæ non exi-

gant proprietates carnis, vel os-sis &c. donec aliis conjungantur.

Addendum, has particulas non esse atomos, sed esse divisibiles, & quidem juxta aliquos in infinitum: quod in ordine ad hanc quæstionem, non multum refert. Ratio est; quia particulæ, quæ sunt par-tes seminales, & primigeniæ, atque habent in se jam aliqua rudimenta organorum &c. itemque possunt crescere, non tantum per juxta po-sitionem, sed per veram nutritio-nem, nos possunt esse indivisi-biles; cùm vel ipsa rudissima organa debeant aliquo modo esse integra-liter composita. Licet autem hæc ratio non probet divisibilitatem particularum, ex quibus fiunt in-animata, tamen nec istæ in hoc sy-stemate sunt indivisibles: forte, quia ex indivisibilibus atomis, iisque tantum sparsim seminatis, ni-mis tardè acciperetur augmentum corporum.

64. Has particulas volunt Anaxagorei per omnem mundum à Deo fuisse dispersas, tanquam se-mina omnium de novo generabi-lium: inæquales autem eas esse, etiam intra eandem speciem, quoad magnitudinem, quasdam nempe minores, & adhuc insensibiles, quas germina, alias majores, & sensibi-les, quas ova nominant: totam autem omnium particularum undique dispersarum collectionem ap-pellant ponspermiam: id est, uni-versale rerum omnium seminarium.

Ajunt

*Quodnam Systema circa Materiam Primam statuerit Anaxagoras.* 3 r

Ajunt tamen, ita dispersas fuisse istas particulas, ut, quamvis ex omni fore specie aliquae ubique reperiatur, tamen in certis locis una species earum copiosius inveniatur, quam in aliis regionibus; cum experientia monstret, certa animalia, certas plantas, certa metalla &c. copiosius in una regione, quam in alia reperiiri.

65. Hisec particulis volunt plena esse elementa periparetica, saltem excepto igne, in quo vix aliquid novi nascitur; nam ajunt, in aqua, & terra, plurima nova generari, & experientia probari, etiam aërem istis seminalibus particulis, sive germinibus, sive ovulis, plenum esse; cum ea à ventis circumqueaque in omnem terram dispergantur: quamvis in ipso aëre, non nisi raro aliqua ovula excludantur: e. g. dum aliquando visum est cælum ranis pluuisse, de qua tamen pluvia vide infrà n. 1200. Si autem obiciatur, quod, si particulae hæ ita ubique essent dispersæ, sæpe etiam in ipso aëre essent colligendæ, sive per motum, sive per spiritum æthereum, aut sympathiam, addeoque aliquando subito nasciturus esset in aëre flos, aut etiam vitulus, responderetur, similes particulas non posse debito modo congregari, nisi in loco congruo, intra terræ, vel uteri materni sinum, ubi adsit debita dispositiones: item in ordine præsertim ad plantas non adesse debitum, seu proportionatè

attemperatum solis calorem &c. ferme sicut particulae salis, in aqua liquati, non possunt iterum in cubos coire, nisi aqua vel expiraverit, vel aliter remota fuerit.

66. Itaque hujus systematis patroni dicunt, materiam primam corporum naturalium esse hucusque descriptas particulas, germina, seu ovula, una cum elementis peripateticis; cum ista sint germinum receptacula, & omni mixto inesse debeant. Addunt tamen, corpus quodlibet non tantum componi ex particulis sibi homogeneis, sed etiam ex quibusdam heterogeneis; cum omne corpus etiam particulas heterogeneas involvere debat: e. g. planta, aut triticum, debet etiam involvere particulas osseas, & carneas; alijs homo ex solo pane non posset sufficienter nutriti, ut patet consideranti. Non tamen propterea opus est, ut in omnibus omnium specierum particulae insint; cur enim in adamante dicantur inesse particulae carneæ? Interim tamen ajunt, corpus nutriti, vel augeri potissimum ex particulis sibi homogeneis, quæ, dum numero, & quantitate, alias multum superant, etiam statum sensibilem sibi proprium corpori tribuunt, inque certa specie istud constituant: sicut scilicet, et si vinum aqua aliquâ mixtum sit, tamen, cum vinum prævaleat, vinum, & non aqua est, ac dicitur.

67. In hoc etiam Anaxagoræ systema-

stemate materia prima ingenerabilis, & incorruptibilis est; quia particulae dictæ ingenerabiles, & incorruptibiles sunt; nam non fiunt ex priore materia, vel subiecto; cum nullum prius detur: sed ex ipsis fiunt omnia, e. g. caro, ossa, arbores &c. adeoque non sunt generabiles. Sed neque sunt corruptibles; quia semper manent, & omne corpus, dum corrumpitur, in eas resolvitur; cum resolvatur in suas partes primigenias, ex quibus compositum fuit, & quæ postea manent, ac novis generationibus serviant; neque enim ex eo, quod e. g. caro, vel lignum corrumpatur, etiam eorum primaordiales particulae debent corrumpi; quia istæ (ut jam dictum n. 63.) non sunt caro, aut lignum, sed tantum sunt carneæ, aut ligneæ.

68. Jam forma mixtorum, seu corporum naturalium, juxta Anaxagoram, eloque adhaerentes, nihil est aliud, quam dictarum particularum inter se, & cum elementis combinatio, textura, & complexio, ut in systemate Epicureo: quamvis aliqui apud Cardinalem Ptolemaeum *dissent.* 6. *Physice general. sec. 3. n. 12.* videantur velle, formam esse quasdam particulas magis agiles, spirituosas, & calidas, quæ nempe vim, & vigorem,

reliquis compartibus tribuant. Primum autem, & universale instrumentum ad generationes, & corruptiones corporum, juxta hos autores est motus, quem volunt particulis saepe dictis imprimi, vel a Deo, vel a sole, vel ab æthereo spiritu; nam, ut ajunt, si calore solis, vel æthereo spiritu, particulae convenienter moveantur, sese jungunt sibi similibus (sive ad hoc determinentur à sympathia, sive ab alia ordinatione naturæ, aut Dei) ferme sicut gravia mota naturaliter tendunt ad centrum: junctæ autem particulae aliis sui similibus corpus sensibile certæ speciei constituunt.

69. Tandem generationem, & corruptionem corporum naturalium, Anaxagoras cum suis explicat eodem quasi modo, quo Epicurei, nempe generationem per novam combinationem particularum, maximè seminalium, atque etiam elementarium (nam elementa dicit etiam mixtis inesse) corruptionem verò explicat per ejusdem combinationis dissolutionem &c. Similiter cætera, quæ spectant ad qualitates, præsertim quatuor primas, itemque ad vim efficiendi creaturarum, ac similia, etiam explicat modo proportionaliter eodem, quo in suo systemate utuntur Epicuri, ac Gassendi sequaces.



## ARTICULUS VI.

### *Quale circa Materiam Primam sit Systema Chymicorum.*

70. **C**hymici, qui alio etiam nomine vocantur Spagyrici, ducibus potissimum Paracelso, atque Helmontio, aliam viam circa materiam primam ingressi sunt, atque alia elementa, seu principia statuerunt, quæ ad imitationem antiquorum, præsertim Pythagoræ, satis affectatam, symbolicis, vel potius obscuris verbis proposuerunt. Tria elementa, seu principia, communissimè adstruunt, quæ sal, sulphur, & Mercurium, seu spiritum appellant: plurimi addunt adhuc alia duo, quæ phlegma, & caput mortuum vocant. Ab hac communis Chymicorum sententia reddit D. Mongin Medicus Gallus, qui tantum quatuor principia chymica statuit; ait enim, spiritum, seu Mercurium, non esse numerandum inter principia; eoquod sit compositus ex sale, & aqua, quandoque fixus, quandoque volatilis. vide *Memoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* tom. 3. ap. 1704. doc. 2. 118. pag. 1401. Item sentit D. Gastaldus, alias Medicus Gallus; eoquod spiritus facile mutet, ut ait, suam naturam. vide *Memoires de Trevoux* tom. 4. an. 1713. Octobr. n. 144. pag. 1757. sed omis- sa hac istorum auditorum singulari opinione, id potius noto, quod

*Tom. II.*

Chymici his vocabulis *sal*, *sulphur* &c. non eam significationem tribuant, quam prima fronte linguae Latinæ peritis videntur ingerere, sed aliam magis reconditam.

71. *Sal* enim à plerisque dicitur substantia solida, sapida, aquâ soluble, calore levi spissius concrescens, intenso autem in fluorem liquefcens. *Sulphur* vocatur substantia pinguis, aut oleosa, liquida, viscosa, odorosa, & inflammabilis. *Mercurius* appellatur liquor subtilissimus, limpidus, acidus, facile corpora penetrans, ac etiam facile in auras evanescens: & hæc tria à nonnullis *actuosa* vocantur. *Phlegma* vocatur liquor insipidus, minimè inflammabilis, & fales facile solvens. *Caput mortuum* tandem, quod etiam dicitur *Terra damnata*, est substantia arida, pulvrea, solida, & humores, maximè phlegma, citò imbibens: & hæc duo vocantur *inertia*.

Imò hæc duo ultima quidam, ut dictum n. *preced.* è numero principiorum excludunt; eoquod activa non sint: quæ tamen ratio non est efficax; cùm ad principium sufficiat, habere influxum passivum: præterquam, quod dubium sit, an non ista duo etiam aliquo modo activè influant. Addendum hæc, quod

E

quod merito dubitetur, an, & quaque ratione defendi possit (quod tamen ad rationem primorum principiorum omnino spectat) hæc quinque elementa in omnibus, tam mineralibus, quam vegetabilibus, & animalibus, esse ejusdem speciei; nam est prorsus ingens diversitas inter unum, & alterum salem, inter unum, & alterum sulphur &c. sed quidquid de hoc sit.

72. In his elementis constituunt Chymici materiam primam, formam, & unionem corporum naturalium: & quidem materiam primam ajunt esse substantiam fixam, & crassam, quæ minimè evaporetur, etiam in magna intensione caloris: & hanc volunt esse caput mortuum, salibus quibusdam permixtum: formam vero asserunt esse partem compositi tenuem, volatilem, & fugacem, ac spirituosa, quam ajunt esse Mercurium, imbutum aliquo sulphure: tandem unionem docent esse partem aliquam humidam, & viscosam, quæ neccat partes fixas volatilibus: & hæc juxta ipsos est phlegma, immixto aliquo sulphure.

Ubi nota, ex Chymicorum longa experientia haberi, quod nulla operatione ex corporibus extrahi possint illa quinque principia pura, & ab omnibus aliis defæcata: & hinc nullum possit solum pro materia prima, aut forma statui; nam ratio n. 74, adducenda pro uno solo nil probaret. Ex quo satis aper-

tè sequitur, materiam primam Chymicorum non consistere in atomis; cum constat in complexo ex capite mortuo, ac sale, quod utique non est atomum. Eadem inseparabilitas, seu pertinax mixtio, juxta Chymicos etiam causa est, quod ista elementa possint transmutari, sive in ignem, sive in alias substancialias: quæ tamen transmutatio impossibilis foret, si ea elementa pura, ac defæcata essent.

73. Quæstio est, an materia prima in hoc systemate sit ingenerabilis, & incorruptibilis; nam, cum, ut dictum, non sit unicum purum elementum, varias mutationes subit, etiam ipsum caput mortuum; quia & istud in fluidum quoddam corpus vehementissimo igne redigi potest; nam, ut ajunt, etiam cineribus, vel pulveribus, in retorta relictis, sive capiti mortuo, inhæret adhuc humor aliquis tenacissimè viscosus, qui vehementissimo igne excitatus partes quoque fixas attenuat, ac eis statum corporis liquidi tribuit.

Videtur tamen dicendum, juxta Chymicos materiam primam, quin & formam, ac unionem, quoad substantiam ingenerabiles, & incorruptibiles esse; quia juxta ipsos generationes, & corruptiones, terminantur tantum ad aliquam combinationem, aut aliam accidentalem mutationem, vel producendam, vel destruendam; nam in generationibus nulla substancialis pars cor-

corporis de novo producitur : & in corruptionibus nulla destruitur ; cùm, ut ajunt, ista quinque elementa semper maneant: quamvis aliquam, sive à prioribus compartibus coniunctis separationem, sive cum novis combinationem , aut alias mutationem accidentalem, sèpissimè subeant, ità, ut novus physiscus status in variis compositis appareat.

Nam, (dicunt) quando e, g. sulphur, vel Mercurius, seu spiritus, quandoque videntur in ignem, vel aliud quidpiam verti, aut destrui, tantum in evaporationes, vel exhalationes vertuntur, quæ in aërem elevatae in sua specie perdurant, & suo tempore iterum, vel inter pluvias, vel inter quædam alia meteora, aut quacunque de mun ratione, in terras decidunt, atque híc iterum constituant corpora prioribus, è quibus excreta sunt, similia, perpetua inter cælum, & terram circulatione.

74. Quòd autem hæc quinque à se asserta elementa sint re ipsa prima corporum naturalium principia, Chymici probant ex eo, quòd omnia ex ipsis componantur: componi autem ex iis omnia inferunt ex recepto illo principio: *Ex illis res componuntur, in qua resolvuntur; subsumunt enim: at qui in hæc quinque elementa resolvuntur omnia corpora naturalia: ergo etiam ex iis componuntur: subsumptum probant ex analysi, tam*

naturali, quam artificiali; nam, si ignis naturaliter corripit lignum viride, primò exudat phlegma, tum Mercurius cum fumo diffidatur: sulphur autem in ignem vertitur, remanentque cineres, ex sale, & capite mortuo, seu terra damnata compositi.

75. Idem apertiùs patet in analysi artificiali; nam, si e. g. herbæ in alembico chymicè distillantur, primò Mercurius, aliquo sulphure mixtus, seu liquor spirituosus, & inflammabilis exudat: tum sequitur insipidum phlegma. Si jam massa residua in aliud vas distillatorium (quod retortam vocant) transfertur, & vehementior ignis admoveatur, primò iterum aliquid phlegmatis, tum liquor acidus, ac penetrans, quem aliqui denuo Mer curium vocant, colligitur: inde tertius humor viscosus, ac oleosus, seu sulphur egreditur: residuum autem materiæ in fundo residens redigitur in cineres, qui salem, ac caput mortuum in se continent.

Hæc duo ultima ab invicem separantur affusâ aquâ; nam hæc sales imbibit, ac etiam per linteum, quo filtratur, secum traducit: dein aquâ sensim evaporatâ, sales in suos cubos siccati restant: at caput mortuum adhibita filtratione in linteo, quod penetrare non potest, à salibus separatum relinquitur.

76. In hoc systemate præcipuum generationum, & corruptionum instrumentum est calor, præsertim solis;

solis ; hinc diversis anni temporibus, etiam diversa generantur, aut corrumpuntur, prout nempe sol diversimodè sua vi terras afficit , & alicui quidem corpori generando, alteri vero corrumpendo, sive quibusdam particulis congregandis, aliis vero dissipandis, proportionatum calorem immittit.

Alterum in hoc systemate generationum , vel corruptionum instrumentum, asseritur esse humiditas , quæ plurimum facit ad augmentum , aut nutritionem corporum , maximè viventium , quæ, dum præsertim adhuc exigua sunt, ex siccis non ita facilè possunt nutrimentum attrahere : sed & humiditas juncta calori multum prodest frividis seminibus teneris, ut patet vel ex agricultura. Viciissim intempestiva humiditas multis rebus noxia est, easque ad putrefactionem, adeoque corruptionem disponit.

77. Quare in hoc systemate non

negantur omnia accidentia absoluta ; dum enim admittuntur calor, & humiditas , tanquam res distinctæ à quinque elementis , quibus omnis substantia , sive sit materia , sive forma, circumscribitur, eo ipso admittuntur accidentia, eaque absoluta ; non enim in hoc systemate accidentia explicantur per modificationes elementorum, sed admittitur nova eorum productio , e. g. humiditatis , dum ob latentem in capite mortuo aliquem tenacissimum humorem etiam ipsum humiditatem imbuitur, & in fluorem convertitur , de qua re dictum n. 73. Interim tamen non nego, quosdam Chymicos Gallos recentiores videri, etiam accidentia absoluta negare, & , quæ per ista Peripatetici explicant, per fermentationes, aut alios motus principiorum chymicorum explicare velle : sed antiquiores Chymici non videntur idem sensisse.

## ARTICULUS VII.

*Quale circa Materiam Primam Systema fit Empedoclis,  
sue Elementare.*

78. **E**mpedocles Agrigentinus, Aristoteles antiquior, celeberrimus fuit suo ævo Philosophus: ac fertur, ob bilem copiosam cerebro infestam , & nimiam ad studia applicationem, tandem mente dejectus, seipsum in Aetnæ montis voraginem præcipitasse, atque sic flam-

mis consumptum fuisse : quamvis Horatius aliam hujus facti causam referat, sic de illo scribens, *de arte poët. ver. 464.*

*Deus immortalis haberi.*

*Dum cupit Empedocles, ardensem  
frigidus Aetnam,*

*Insiluit.*

Hic

Hic igitur pro materia prima assignat atomos elementares, seu corpuscula indivisibilia ignis, aquæ, aëris, ac terræ: quæ quatuor communiter vocantur elementa periparetica. Hæc non tantum figuræ, ut Gassendi, aut Cartesii corpuscula, sed ratione aliorum intrinsecorum prædicatorum, inter se specie differunt. Ex his atomis vult Empedocles componi omnia corpora naturalia, seu sensibilia, ita, ut ratione diversæ mixtionis, vel combinationis istarum atomorum, in tali, vel tali situ, aut proportione, item in maiore, vel minore quantitate hujus, vel alterius classis atomorum, etiam corpora mixta diversas species sortiantur. Unde in hoc systemate forma mixti aliud non est, quam combinatio, vel coordinatio certa atomorum elementarium, quæ pro diversitate mixtorum etiam diversa est: tum quoad quantitatem atomorum; nam in uno mixto e. g. plus est atomorum ignearum, quam in altero: tum etiam quoad medium; nam atomi alio ordine combinantes sunt in uno, quam in alio mixto.

79. Quia tamen (ut observat Cardinalis Ptolemæus *dissert. Phys. general. 6. sec. 2. n. 6.*) quatuor præcisæ elementorum species non videntur posse toties diversimodè combinari, quot innumerabiles species rerum corporearum, tam viventium, quam non viventium, in erbe existunt, hinc videntur, ali-

qui saltem Empedoclis assēclæ admittere, quodd dicta quatuor elementa non sint species infimæ, sed tantum subalternae, & re ipsa genera, quæ sub se contineant plures diversas species variorum ignium, aquarum &c. Sic Sanguens apud Ulloam *disp. 11. Phys. specul. c. 2. n. 40.* admittit triginta species elementorum: & n. 50. videtur asserere, hunc numerum elementorum sufficere pro combinatione omnium specierum substantialium materialium, quæ dantur in mundo: & sanè viginti quatuor tantum literæ sufficiunt ad combinanda innumera vocabula lingua, e. g. Latinæ.

80. Has atomos elementares non tantum Christiani Philosophi, qui Empedoclem sequuntur, volunt esse à Deo productas, sed verosimiliter ipse quoque Empedocles eas productas esse asseruit; nam, ut Aristoteles *l. 1. de Celo text. 102.* testatur, Empedocles, & Heraclitus, voluerunt mundum esse generatum, imò generabilem, & corruptibilem: quamvis, ut verum fatear, ex generatione, & productione mundi, tanquam alicuius magni mixti; non omnino legitimè, minus certo, inferatur etiam produc̄tio atomorum, seu elementorum, ut ex mox dicendis facilè patebit. Ulterius hæc atomi sunt juxta Empedoclem, aliōsque hujus systematis patronos, corpuscula simplicia, nec ex subiecto, ac forma physice distinctis composta, & in hoc

similes atomis Gassendi , vel Epicuri.

Ex quo infertur , has atomos etiam esse ingenerabiles , & incorruptibles , sicut sunt ingenerabiles , & incorruptibles atomi Epicuri : & tam istarum , quam illarum incorruptibilitas , ac ingenerabilitas eodem modo probatur , de qua re vide supra n. 43 . Cùm autem atomi hæ elementares sint , ut dictum n. 78. materia prima Empedoclis , etiam ista est ingenerabilis , & incorruptibilis . Interim tamen mixta , quæ ex his atomis componuntur , dicuntur generari , atque corrumpi ; nam , quando prior combinatio atomorum elementarium destruitur , mixtum corrumpitur : & quando fit nova atomorum textura , vel compositio , mixtum novum generatur .

81. Instrumenta generationum , & corruptionum primaria Empedocli sunt *lîs* , & *amicitiae* : quæ tamen vocabula symbolicum , aut tropicum sensum habent : videntur autem per ea intelligi homogeneitas , & heterogeneitas , vel qualisunque sympathia , & antipathia corpusculorum ; quia scilicet per sympathiam congregantur homogenea in aliquem statum sensibilem , in ordine ad generationem : at per antipathiam disgregantur heterogenea in ordine ad corruptionem , dum præsertim occasione talis disgregationis dispelluntur , & auferuntur etiam homogenea , vel certè tollitur eorum conjunctio ,

atque sic destruitur prior status sensibilis .

Alii dubitant , an non per vocabula symbolica litis , & amicitiae , intelligi possint calor , & impulsus , dum ille instar amicitiae homogenea congregat , iste instar litis , sed inimicitiae , corpuscula commoveat , & commota sæpe dispergit , quamvis ea etiam pro varia ipsorum habitudine aliquando congreget . At videtur Empedocles per item , & amicitiam , potius intellexisse aliquid atomis identificatum , ex quo orientur pugnæ inter ipsas ; nec enim videtur admisisse accidentia absolute : certè , qui moderno tempore eum rigidè se sequi profitentur , accidentia ista eliminant , non minus , ac asseclæ Epicuri . vide supra n. 46 .

82. Huic systemati Empedoclis valde affine est sistema P. Honorati Fabri , quod etiam videtur re ipsa amplecti Cardinalis Ptolemæus *disserit. 7. & 8. Phys. general. præsertim hujus conclus. 2.* uterque enim hic auctor , dum Aristotelis nomen , & verba præfert , Empedoclis atomos in peripatum inferre contendit , id quod & alii nonnulli facere videntur . Materia prima juxta hoc systema aliud non est , quam particulæ minimæ elementares , quæ in se sunt simplices , & necdum compositæ , quamvis elementum sit compositum ; nec enim quælibet particula seorsim jam est elementum , sed hoc debet esse complexum plurium ; cùm debeat esse principium

pium motū, & quietis sensibilis, quæ ab una sola particula minima, & insensibili, causari non possunt.

83. Hæc materia, in his particulis minimis consistens, est ingenerabilis, & incorruptibilis; quia ipsæ particulæ elementares de novo non producuntur, & præsertim non producuntur ex alio præexistente subiecto, neque etiam ipsæ destruuntur: sed tantum generatur, aut destruitur earum combinatio, vel modificatio: quæ si in tantum destruitur, ut non maneat status physicus, seu sensibilis prior, dicitur mixtum corrumpi: si autem adhuc maneat idem status, quamvis suo modo immutatus, dicitur mixtum alterari. Imò juxta hoc systema nulla substantia corporea de novo producitur, nulla etiam destruitur, sed tantum accidentia, de qua re infrà. Hæc etiam materia prima non potest naturaliter spoliari omnī forma; quia, ut ajunt hi auctores, nulla causa naturalis potest tollere à particulis omnem prorsus texturam, ut una indivisibilis, sola, & separata ab omnibus aliis existat. Potest tamen supernaturaliter id fieri; quia Deus potest quamlibet particulam ab omnibus aliis separatam conservare.

84. Jam forma (præscindendo à forma viventium, seu anima præsertim brutorum, & multo magis ab anima hominum) juxta P. Honoratum, eique adhærentes, est diversimoda particularum elementarium

combinatio, & modificatio; unde est tantum ens respectivum, & modale, seu modus substantialis: nec potest etiam de absoluta Dei potentia esse extra materiam, sicut extra æs, vel ceram, non potest esse rotunditas, quæ in ipsis figurata est. Hæc forma juxta suos auctores est substantialis; quia componit substantiam, eāmque constituit in actu: hoc est, reddit sensibilem, & potentem sensibiliter operari: quæ tamen ratio afferendi aliquid esse substantiale peripatetica non est.

85. Minùs adhuc peripateticè dictum est, quod Cardinalis Ptolemaeus *dissert. Phys. general. 7. sec. 2. n. 20.* scribit, nempe accidentia pleraque nihil aliud esse, quam partes illius combinationis, seu texturae, quæ totaliter accepta est forma substantialis; neque enim in sensu peripatetico potest totum substantiale maximam partem componi ex accidentibus: & hinc talis forma non esset magis substantialis, quam e. g. ubicatio substantiaz, quæ etiam, utpote applicatio, requiritur ad hoc, ut substantia possit, præsertim sensibiliter operari: certè hucusque nemo sincerè peripateticus dixit, formam substantialem mixtorum esse complexum accidentium. De hac forma insuper auctores hi ajunt, eam non generari, sed tantum resultare ex combinacione particularum; eoquid Aristoteles *Metaphys. text. 27.* & alibi etiam, doceat, formam non fieri, aut  
ge-

generari, sed tantum compositum, qua de re infra n. 99.

86. Instrumenta ad generationes, & corruptiones, in hoc systemate sunt calor, humor, frigus, & impetus; nam calor laxat, & rarefacit, congregat homogenea, & heterogenea separat: humor diluit, subigit, liquefacit, aperit, advehit, vel avehit: frigus contrahit, constringit, & indurat: impetus tandem agitat, atterit, miscet &c. Ista etiam, & similia, vocantur accidentia: sed in hoc systemate sunt tantum certæ modificationes corporis, exceptis calore, & impetu, quæ admittuntur esse accidentia absoluta.

Nam voluntisti auctores, hæc duo accidentia sola prebari ex communissima auctoritate, & mysterio evcharisticæ. Sed indigeret multa probatione hoc dictum; quia (ut nihil dicam de communissima auctoritate) sic ex mysterio evcharistico tantum probaretur unicus calor; nam in speciebus evcharisticis, in tabernaculo quietissimè conservatis, non datur impetus, vel

etiam motus; nisi cum Cartesio fingatur aliquis insensibilis: qui tamen, præsertim in speciebus panis minimè fluidis, prorius gratis fingeatur: hac autem ratione non dabuntur in SS. Evcharistia accidentia, sed tantum unum accidens: sed hac de re alibi.

87. Addunt hi auctores, ad mixtum componendum concurrere debere particulas plurium elementorum; alias enim, si tantum particulae homogeneæ unius elementi conjungantur, erit tantum elementum, non mixtum. Ex hac mixtione plurium etiam provenit, ut corpus compositum habeat, e. g. à particulis terreis quandam soliditatem, siccitatem, & constantiam figuræ: ab aquis autem flexibilitatem, & humorem: à particulis igneis colligationem; nam, ut ajunt, particulae igneæ sunt quasi filamina: quod inferunt ex eo, quod sumus ex candela extincta quasi in fila longa ductus ascendat: quæ tamen ratio parùm probare videtur. Hæc de isto systemate.

## ARTICULUS VIII.

*Quale circa Materiam Primam sit Systema Aristotelis.*

88. Aristoteles, ob ingenii, ac doctrinæ excellentiam, antonomasticè dictus Philosophus, fuit Stagiræ natus, patre Nicomacho, Amintæ Macedonum regis archia-

tro. Pluribus annis fuit Platonis discipulus: at postea, vivente adhuc Platone, ipsem docere cœpit, factus scholæ peripateticæ auctor. Systema autem ejus, seu peripateticum

cum, quale illud per quinque, & amplius sacerula, in Academus universaliter traditum fuit, sic habet. Dantur nempe tria principia corporis naturalis in fieri: duo autem e-jusdem corporis in facto esse, ut dictum & n. 16. & quidem quoad duo, nempe materiam, & formam, aliū, etiam Atomistæ, utcunque consentiunt: licet quoad essentiam materiae, & formæ magna sit dissensio.

Aristoteles materiam primam sic describit 7. *Metaphys.* text. 8. Dico autem materiam, que per seipsum, neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud quippiam dicuntur, quibus ens determinatur: & post pauca: Neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud est, neque etiam negationes: id est: Materia non est quid, sive non est substantia completa, qualis substantia est totum compositum; unde ibidem ait Philosophus: Quod ex ambobus (id est, comp. sicutum ex materia, & forma) substantia videsur esse magis, quam materia; quia scilicet est substantia completa; cum materia sit tantum substantia incompleta.

89. Atomistæ adversarii Aristotelis sape hanc ab eo assertam substantiam incompletam traducunt, tanquam rem imperceptibilem, & inexplicabilem: si juntque, cum non sit accidens, neque spiritus, neque corpus, esse Chimæram. Sed facile reponitur, cum esse corpus, non

*Tom. II.*

quidem adæquate, attamen inadæquate tale, sicut anima rationalis est inadæquate homo: In quo nihil est Chimærum. Ulterius substantia incompleta est talis substantia, quæ à natura ordinatur, ut per visionem informativam uniatur, alteri cuidam substantiaz, eodem modo à natura ordinata, ut cum hac, tanquam cum compare, constitutat aliquid totum compositum substantiale, seu totam substantiam compositam: & sic materia prima cum forma substantiali ligni, quæ etiam est substantia incompleta, constituit totum compositum substantiale, quod dicitur lignum.

Quæso, quid in hac explicazione est imperceptibile? Nec dicant ternarium incompletum non esse vera ternarium, sed tantum binarium: adeoque etiam substantiam incompletam non esse substantiam; nam est lata disparitas; ternarius enim ponitur incompletus in ratione ternarii; si enim ponatur incompletus in alia ratione (e. g. si ponantur tres facciæ incompletæ, seu tritico vacui) utique erit ternarius: at verò substantia incompleta non ponitur incompleta in ratione substantiaz ut sic (nam convenit ei tota ratio substantiaz ut sic, prout ali bi ostendetur) sed tantum ponitur incompleta in ratione corporis, vel compositi &c. sive dicitur non esse substantia completa; quia non est totum compositum, sed tantum pars, quæ à natura ordinata est ad

F

alio-

alteram comprehendit, ut cum ea faciat compositum substantiale.

90. Ulterius materia prima etiam non est *quantum*; quia ratione sui præcise, nec est extensa, nec impenetrabilis, de quo vide Suarezium *disp. 40. Metaphys. sec. 2. n. 21.* Neque est *aliud quippiam &c.* quia non habet ex se certas qualitates, seu accidentia, aut prædicata, quibus ens ad certam speciem determinatur, vel ad certam speciem pertinere colligitur. Neque tamen materia prima est *negatio* eorum prædicatorum, vel qualitatum, vel etiam quantitatis; quia, licet materia prima ex se ista non habeat, potest tamen ea recipere; non enim est ipsorum exclusio, sicut privatio est exclusio ejus, cuius est privatio: cum qua tamen privatione videntur Platonici voluisse identificare materiam primam, quam ideo dicebant esse non ens.

91. Paulò aliter, & magis intelligibiliter, describit Philosophus materiam primam *i. Phys. text. 82.* sic ajens: *Vico enim materiam primam subjectum uniuscujusque, ex quo sit aliquid, cum insit, non secundum accidens: & si corrumperetur aliquid in hoc abibit ultimum:* Id est: Materia prima est subjectum cujusque formæ, ex quo tanquam parte, per se, seu substantialiter, & non tantum per accidens, seu accidentaliter inexistente, fiunt omnia corpora naturalia: quando autem ista iterum corrumperuntur, nempe

destructa formâ, tunc tamen ultima adhuc remanet materia. Alii voce illas *secundum accidens* intelligi volunt de privatione, quasi significaretur, materiam inesse corporibus, licet ipsis non amplius in sit accidens, seu privatio, quæ suo modo perit adveniente forma: quæ explicatio etiam admitti potest.

92. Hujus materiæ primæ prædicta, vel proprietates, juxta Aristotelem, & Peripateticos sunt, quæ sequuntur. Prima. Materia est subjectum primum immediatum substantiale formarum substantialium; nam sine omni ratione ante ipsam adstrueretur aliud subjectum prius; vel enim in hoc sisteretur ultimò, & eodem jure sisteretur in materia prima: vel *non* sisteretur, & iretur in infinitum, quod est absurdum. Est autem subjectum immediatum; quia aliud immediatus assignari non potest: an sit etiam immediatum subjectum accidentium, discutietur infra *n. 1445.*

Secunda. Materia hæc est prima; quia differt à materia secunda, quæ jam est totum compositum, ex materia prima, & forma substantiali: e. g. est totum aurum, vel totum lignum: & quidem artes non versantur circa materiam primam, sed tantum circa secundam: at verò natura versatur circa utramque, præsertim, quando in materiam, jam formis partialibus instructam, introducit formam viventis, ut rectè observat Cardinalis Ptolemaeus

*marcus differt. 3. Phys. general. sec.  
t. n. 17.*

proprietas, esset ratione istorum  
contraria materia.

93. Tertiò. Materia hæc est sub-  
stantia simplex; quia antecedenter  
ad formam non est composita, sed  
primum cum ista compositam con-  
stituit: non tamen propterea est  
corpus simplex; quia corpus dicit  
substantiam completam, qualis non  
est materia, quæ est substantia qui-  
dem corporalis, at incompleta.  
Quarto. Materia hæc est ingenera-  
bilis, & incorruptibilis; quia sub-  
jectum primum, nec generari, nec  
corrumpi potest: videantur dicta

n. 23. Quintò. Est ejusdem speciei  
in omnibus sublunaribus (de cælis  
hic, & nunc abstrahimus) Ratio est;  
quia, sám quævis etiam in indivi-  
duo materia prima sit in actu primo  
subjectum omnium formarum, &  
tümque omnium mutationem in  
sublunaribus, quin etiam in actu se-  
cundo, modo hanc, modo illam  
formam habeat, nulla esse accidentia,  
minim necessitas differentia specifi-  
ca inter varias partes materie pri-  
ma; unde omnis differentia speci-  
fica oritur à formis, sive principali-  
bus, sive subordinatis.

94. Sextò. Materia hæc non habet  
contrarium; nam eo ipso, quod sit  
ordinata ad recipiendas disjuncti-  
vè omnes formas substantiales, nul-  
la potest ipsi esse contraria: cùm  
que omnia accidentia sint propri-  
tates cuiusvis formæ, neque ista pos-  
sunt materiae esse contraria; alias  
formæ, cuius illa accidentia essent

Septimò. Materia hæc juxta Ari-  
stotelem 3. Phys. text. 1. est divisi-  
bilis in infinitum: à qua tamen sen-  
tentia multi Peripateticī recedunt,  
juxta quos tandem per ulteriorein,  
& ulteriorem divisionem materie,  
deveniretur ad atomos ejusdem  
speciei, quæ tamen se solis non el-  
sent sufficienes ad constituenda,  
mediante diversa combinatio-  
ne, diversa corpora naturalia: qua in-  
re differt hæc opinio ab opinatio-  
ne Epicuri &c.

95. Octavo. Materia ista (sive ex  
atomis, sive ex infinitum divisibili-  
bus dicatur constare) non est à  
se, aut æterna, sed creata, in princi-  
pio, ut dicitur Gen. 1. v. 1. An au-  
tem iusta Aristotelem intuitus, vel  
materia prima creata sit, disputat  
Suarez disp. 20. Metaphys. sec. 1.  
n. 24 & seq. atque n. 26. ait, verosi-  
milius Aristotelem docuisse, omnia  
à Deo esse aliquo modo creata. An  
autem idem Philosophus mundum,  
& consequenter materiam primam,  
voluerit esse ab æterno, legi potest  
apud eundem Suarez disp. modo cit.  
sec. 6. n. 3. & 4. & Conimbricensis  
in 8 Physic. c. 2. q. 3. n. 1. ubi asse-  
runt, Aristotelem docuisse, mun-  
dum fuisse ab æterno: & me ad idem  
sentiendum valde inclinans,  
quæ Philosophus scribit l. 2. de Ca-  
lo text. 1. tibi ait: *Quod si gitter ne-  
que factum sit universum taliter  
neque contingat ipsum corrumpi,*

quemadmodum quidam dicunt, sed sit unum, & sempiternum, principium quidem, & finem non habens universi evi, habens autem, & continens in seipso infinitum tempus, & ex dictis licet accipere fidem, per opinionem eam &c.

96. Nond. Materia Aristotelica est pura potentia, seu non est activa, sed tantum receptiva: quod tamen tantum intelligendum est respectu formarum substantialium, aut com- plurum accidentium, non tamen omnium; nam, si quantitas non est realiter identificata cum materia, sed est hujus proprietas, tunc probabilius efficitur a materia, seu efficienter ab ipsa emanat, ut probat Suarez disp. 14, Metaphys. sec. 3. n. 67.

Quando autem idem Eximius negat, materiam aliquid producere per actionem, negat id tantum de actione ad extra; nam disp. 18. Metaph. sec. 3. à n. 3. usque ad 13. expresse docet, emanationem physicam esse aliquam efficientiam; unde per emanationem intelligit, quod alii vocant actionem, seu productionem ad intra. Videatur etiam materia prima ad intra producere suam ubicationem, & fors etiam alios modos. Plura de essentia, aut proprietatibus materiarum afforremus infra à n. 307.

97. Jam forma substantialis, quae in hoc systemate est alterum principium corporis naturalis in facto eius, à Suarezio disp. 15. Metaphys.

sec. 3. n. 1. recte dicitur, esse substantia quadam simplex, & incompleta, que ut actus materia cum ea constituit essentiam substantie composta: ubi termini substantia simplex, & incompleta, significant differentiam formæ, tam ab accidentibus, quam à substantiis compleatis, & compositis: at vero terminus actus significat differentiam à materia, quæ dicitur potentia, & non actus. Aliis dicitur forma actus primus corporis naturalis: ubi terminus primus significat differentiam formæ substantialis à formis accidentalibus, quæ sunt actus in hoc sensu secundi; quia supponunt formam substantialiem tanquam actum priorem, aut primum.

98. Aristoteles l. 2. de Anima c. 1. ubi in Latino textu babetur terminus actus, usus est in Græco textu termino ἐντελέχεια, quo significatur propriæ energia, seu perfectio, aut actus alterius rei perfectivus, sive etiam vis movendi, ut scilicet significanter exprimatur, quod forma sit principium omnis motus, & quietis in composito: sive sit radix omnium accidentium, & proprietatum, quæ dantur in composito.

Hæc forma in viventibus dicitur anima, in non viventibus retinet nomen commune formæ. Nempe debemus cogitare, quod, sicut in viventibus, e. g. in homine, datur anima, quæ est radix omnium operationum humanarum, e. g. sensationum, & intellectionum, ita

Ita etiam in non viventibus, e. g. in auro, detur aliqua similis radix omnium operationum, ac proprietatum auri, e. g. splendoris, gravitatis, virtutis mediceæ &c.

99. Hæc forma in aliquibus convenit cum materia prima, at in alijs differt. Convenit cum ea 1. in hoc, quod sit substantia; est enim ens, non tamen accidens, adeoque substantia; nam prossus gratis finitur medium, seu ens substantiale, quod non sit substantia 2. Convenit in eo, quod sit substantia incompleta, juxta explicationem n. 89. datam. 3. Convenit in eo, quod sit simplex; nec enim forma est compositum, ex aliquibus partibus physicè essentialibus, seu ex aliqua materia, & forma. 4. Convenit etiam in eo, quod sit absoluta, seu ens absolute, non modale, quod infra n. 409. & seq. pluribus fuisse probabitur.

At vero differt forma à materia prima 1. in eo, quod non sit subjectum recipiens, sed actus receperus. 2. quod non sit pars determinabilis ad speciem, sed determinativa. 3. quod non sit ejusdem speciei in omnibus, sed in plurimis differat specie, & in multis etiam genere. 4. quod non sit ingenerabilis, & incorruptibilis, excepta anima rationali; nam omnes aliae formæ generantur, & corrumpuntur.

Ne autem hæc statim objicias, formas, nec fieri, nec generari juxta

Aristotelem & Metaph. sent. 3. ubi sic: *Formam nullus facit, neque generatur, sed efficitur hoc compositum: fit autem, quod ex his, nempe compositum: quod idem docet etiam aliis locis; respondeo enī, utique non generari, nec fieri formas in eo restricto sensu, in quo Aristoteles 7. Metaph. text. 36. & 37. item 1. Physic. text. 60. & seq. atque etiam alibi quandoque sumit terminum fieri, scilicet pro effici, vel produci tanquam id, quod est ultimus terminus actionis, vel generationis, intentus à natura, qui est compositum substantiale. At vero fiunt formæ in alio sensu vero, & proprio, quatenus scilicet de novo producuntur, & per actionem ponuntur extra causas. Pariter etiam formæ corrumpuntur, quatenus manentibus earum subjectis ipsæ desinunt existerē. vide Suarezium disp. 15. Metaph. sec. 2. n. 1. (ubi bene obseruat, quæstionem hanc, an forma fiat, an non, potius esse de modo loquendi, quam de re) item n. 15. & sec. 4. n. 4. & seq. Plura adhuc de forma, ejusque proprietatibus, dabimus infra à n. 405.*

100. Ex his itaque duobus principiis, scilicet ex materia, & forma, inter se connexis unione physica (de qua unione infra à n. 570. peculiarem quæstionem instituimus) sit juxta Aristotelem, & Peripateticos, quodcunque compositum substantiale, seu corpus na-

cursus: & consue manet, donec ejus forma ab agentibus contrariis expellatur, vel quacunque de causa esse desinat: quod si fiat, corpus corruptitur; unde hæc materia prima, & forma, sunt duo principia cujuslibet corporis naturalis in facto esse, prout etiam iam probatum est n. 17.

In hoc systemate peripateticō vel maximē locum habent accidentia, tam absolute, quam modalia: & admittuntur qualitates, tum primæ, tum secundæ, quamvis utique etiam inter Peripateticos

de numero, tam istatum, quam illarum controversia sit, dum quidam aliquas inter se distinguunt, quas alii identificant: quidam aliqas negant, & earum sensibiles impressiones à substantiis, motu certo agitatis, provenire volunt, dum alii eas veras qualitates accidentales esse defendant: quidam asserunt, aliquas esse tantum quasdam negationes, dum alii contendunt, eas esse entia verè realia, ac positiva: de quibus multa variis locis dicenda erunt.

## ARTICULUS IX.

*An Systema Aristotelicum sit aliis preferendum.*

101. **D**ico. Systema Aristotelis, à n. ss. explanatum, est aliis preferendum. Prob. conclus. i. auctoritate gravissima. Hoc systema per plures centenos annos, à maximis ingeniis, Magistro Sententiæ, S. Thoma, Scoto, ab integris scholis, Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, Realistarum, in omnibus Universitatibus Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Germaniæ, ac aliarum regionum, unanimiter, à sæcularibus, & regularibus doctoribus traditum fuit: adeoque habet pro se suffragium unanime tot sæculorum, in communem consensum convenientiun: qui consensus sane est maximum præjudicium veritatis; neque enim in-

genia tam disparata, tempore tam diurno, consensisseat, nisi inducta rationibus gravissimis fuissent.

102. Quin imò, non tantum tribus, aut quatuor proximis sæculis, sed jam multo ante, hoc systema antiquitas amplexa est, in plurimi Aristotelis sequacibus: sed & SS. Patres jam primis temporibus illud supponere cooperunt, præsertim S. Augustinus, maximè l. 12. *Confess.* per sex capita, ubi c. 3. sic ait Deum alloquens: *Prinsquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non eras aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non samen omnino nihil. Eras quadam informitas sine ulla specie: at certe corpuscula minima Gal-*

Gassendi, Cartesii, Anaxagorae &c. sunt revera essentialiter corpora: non autem, sicutem strictè loquendo, sunt informis materia, qualem tamen iterum materiam primam nominat S. Augustinus *l. 1. de Genesi ad litter. c. 14.* & *c. 15.* item *l. 5. c. 5.*

Ex quo infertur, hoc systema in possessione veritatis tamdiu retinendi debere, donec rationibus convincentibus ab ea deturbetur: at qui nullæ rationes convincentes dantur contra hoc sistema: ergo. Hac illatio sanè est dictamen quoddam rectæ rationis, arque prudenter: subsumptum probabitur, partim solutione objectionum, partim earundem retorsione; quia sepiissime nullum systema experientias ita solvere potest, ut intellectus merito acquiescat.

103. Hinc ulterius infero, malè agere eos, qui systema Aristotelicum ex eo potissimum capite vividentur rejicere; quia jam antiquum est, & aliud novitatem sua eos ad se pellicit; nam novitas deberet potius systema reddere suspectum: certè Apostolus *2. ad Timoth. 4. v. 3. & 4.* ait: *Sanam doctrinam non sustinebunt... pruriientes auribus, & à veritate quidem auditum avertentes:* id est, ut exponit S. Thomas in hunc locum, qui volunt semper audire nova, inaudita, & curiosa.... *sanam doctrinam non sustinent, dum veritatem nolunt audire.*

104. Prob. conclus. 2. Systema Aristotelicum est magis conforme religioni Catholice: ergo est aliis preferendum. prob. ant. in hoc systemate prorsus clare, & ad mentem Patrum, ac Ecclesie, optimè, & facillimè, explicari potest transubstantiatio eucharistica, ac permanentia accidentium, aut specierum, panis, & vini, post consecrationem, quæ à SS. Patribus assertæ, & à Conciliis, Tridentino *Sessione 13. c. 4.* & *can. 2.* item Lateranensi sub Innocentio III. *Cap. Firmiter de Summ. Trin. & Fid. Cathol.* definitæ fuerunt: dum in aliis systematibus, in quibus negantur accidentia absoluta, ad mirabiliter tortos, ac alienos, aut difficilissimos sensus, in expositione Patrum, & Conciliorum, confugiendum est: ergo systema Aristotelis est magis conforme religioni Catholice. ant. probabitur infra à n. 232. ubi specialiter agemus de accidentibus absolutis.

105. Prob. conclus. 3. Hoc systema est etiam præ aliis conforme sensui communi, non tantum doctorum, qui habetur ex dictis à n. 101. sed etiam indoctorum: ergo, nisi ratione valde gravi revertatur, est retinendum. prob. ant. et si indocti non clare capiant materiam, & formam Aristotelicam, tamen judicant, dari in rebus corporalibus viventibus animam, quam istis vitam, & motum, seu vim agenti tribuat, atque eorum proprie-

priores conservet : ad hujus autem similitudinem judicant, etiam dari in aliis compositis aliquid, suo modo æquivalentes, quod nempe sit radix conservativa, & reparativa proprietatum, licet hoc plenè capere, aut explicare non possint.

Econtra alia systemata sunt prorsus contraria sensui communi; nam munquam homines, sive docti, sive indocti, sibi præjudiciis non præoccupati, sentient, quod (ut Anaxagoras debet admittere) in omnibus rebus sint quasi infinitæ species particularum: e. g. quodd in quavis herba, quæ innumeris animalibus cibus esse potest, sint particulæ ovinæ, bovinæ, caprinæ, cervinæ, equinæ &c. quod in quavis carne sint particulæ hominis, & tigridis, vulpis, & canis, muris, & felis, lupi, & leonis &c. quia omnia ista animalia ex his nutriuntur, & quidem ita, ut major pars nutrimenti in ea ordinariè convertatur. Item nemo crebet (quod etiam Anaxagoras debet admittere) quod in aëre, aqua, & terra, quin in omnibus quasi spatiis, sint dispersæ plurimæ particulæ, quæ post mortem brutorum, ab invicem, vel etiam ab aliis separatae (quia ut n. 67. dictum, incorruptibiles sunt) ubique vagentur, donec iterum per certam combinationem brutum vivens simul constituant: quæ, & similia sanè tantum gratia, & incredibiliter confusa, à quovis intellectu non præoccupato rejicientur.

Pariter repugnat sensui communis, quod e. g. aurum, caro, herbae, ac animalia, aliud non sint, quam aqua, aëris, & ignis, una cum terra, ut vult Empedocles: aut quod aliud non sint, quam mixtio particularum, figura duntaxat differentium, ut asserit Epicurus: vel mixtio materiae ramosæ cum ejusdem speciei globulis, & minutissima scobe, ut censem Cartesius: vel mixtio cuiusdam vix non metaphorici tantum Mercurii, salis, sulphuris cum quodam phlegmate, & terra dicta damnata, ut asserunt Chymici. Quod si addatur, in brutis non dari aliam vitam, quam in horologiis, indotti fabulas sibi narrari existimabunt.

106. Prob. concl. 4. Systema Aristotelicum est etiam magis conforme rationi: ergo. prob. ant. rectæ rationi longè conformius est, attribuere causis creatis veram vim agendi, & producendi aliquid de novo: atqui hoc facit sistema Aristotelicum, non autem systemata opposita: ergo. mi. communiter non negatur ab Atomistis modernis, qui negant causis secundis vim aliquid de novo producendi, ut Peripateticis objicere possint, generationem ab ipsis assertam, seu productionem novorum entium ex subiecto, esse fictam, & impossibilem. Itaque prob. ma. ex qua probatione apparebit, quam debile sit telum Atomistarum, & quo reducatur toties ab ipsis decantata claritas sententiarum atomisticarum.

107. Prob.

107. Prob. autem sic. Quod Sacrae Scripturæ causis creatis attribuunt, utique quām maximè conformat rationi iis attribuitur: sed istæ causis creatis attribuunt vim agendi &c. ergo. prob. mi. Sacrae Scripturæ, si accipiuntur in sensu proprio, & literali, satis aperte tribuunt causis creatis vim agendi, & producendi aliquid de novo: sed debent huc accipi in sensu proprio, & literali; cūm sine omni inconvenienti sic accipi possint, & SS. Patres etiam in eo sensu eas accipiunt: ergo. ma. prob. sic Gen. 1. v. 11. dicitur: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum. faciens fructum juxta genus suum:* & v. 12. *Proculis terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum:* item Lyc. 21. v. 29. ait Christus Dominus: *Videte ficalneam, & omnes arbores, cūm producunt jam ex se fructum:* rursus Lyc. 8. v. 8. dicit Dominus de semine: *Ortum fecit fructum censuplum.* Similiter innumeris aliis Scripturæ locis productio variorum effectuum, etiam corporalium, attribuitur feris, vel aliis bestiis, & multò magis hominibus, ac Angelis: ergo.

108. Prob. jam mi. & quidem quoad 1. partem ex eo, quod adversarii nullum possint offendere inconveniens, quod sequatur ex literali acceptione eorum textuum: quoad 2. partem vero prob. ex S. Basilio, qui homil. 9. in Hexameron,

*Tom. II.*

seu in Opific. sex dier. item ex S. Ambrolio, qui l. 3. in Hexameron a c. 8. & l. 5. & 6. fere per totos, ex his, & similibus textibus Genesis, aut aliarum Scripturarum, infert vim agendi, & producendi aliquid in causis creatis. Confir. SS. Patres non tantum in expositione Scripturarum, sed etiam alias, passim aperte supponunt activitatem, & vim aliquid producendi, non tantum in homine, in ordine ad actus liberos, sed etiam in aliis creaturis, in ordine ad alios effectus: ergo.

Sanè S. Augustinus l. 7. de Civis. c. 30. ita loquitur de Deo: *Sic ita que administrat omnia, que creavit, ut etiam ipsa proprios excercere, & agere motus finat.* Hinc Suarez, vir in censuris, & assertiōnibus suis modestissimus, tamen disp. 18. Metaphys. sec. 1. n. 5. de hac nostra sententia sic scribit: *Quam veritatem, non tantum sensu, & ratione, existimo esse evidensissimam, sed etiam, juxta doctrinam Catholicam, certissimam; unde, sicut ob priorem causam, oppositam sententiam Divus Thomas (l. 3. contra gentil. c. 69.) sustinapellavit, ob posteriorem vocare possumus temerariam, & erroneam: ideoque merito rejicitur ab omnibus Philosophis, & Theologis.*

109. Prob. eadem ma. superior, seu quod creature habeant activitatem, & vim aliquid, de novo producendi, etiam à ratione. Omnibus doctis, & indoctis, opposita.

G

sen-

sententia non præoccupatis, est persuassimum, se aliquid agere, volendo, loquendo, ambulando, laborando &c. item solem illuminare, ignem calefacere, herbas germinare, homines loqui, scribere, bruta comedere, laborare &c. & prorsus incredibile est, quod vel nihil novi unquam fiat, vel tantum Deus ad præsentiam creaturarum omnia faciat: cur enim Deus dedisset varias virtutes elementis, ac mixtis, cur organa plurima animalibus &c. si ea nihil operari voluisset? Certe nemini mortalium, nisi exoticis præjudiciis præoccupatus sit, incident, has virtutes, aut hæc organa, esse tantum dispositiones ad recipiendam actionem Dei. Rursus non esset ulla ratio, homines, aut bruta, tarda, vel otiosa, urgendi verberibus; ridiculè enim diceretur, ea ita urgeri, ut Deus determinetur ad producendum in ipsis celeriorem motum: ergo ipsæ creaturæ aliquid agunt, seu producunt.

110. Confir. 1. Est innegabile, quod homo, qui etiam est causa creata, aliquid agat, seu de novo producat, maximè actiones suas liberas, respectu quarum, etiamsi supernaturales sint, tamen non mere passivè se habet, sed revera in ordine ad eas cooperatur gratiæ, atque aliquid agit, ut aperte definit Tridentinum *sess. 6. can. 4.* ubi damnat asserentem, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, . . . sed veluti in-

*arime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere: ergo.*

Confir. 2. Est innegabile, quod homo liberè elicit, seu producat actiones suas peccaminosas: ergo aliquid potest agere. prob. ant. Deus non potest ex sua determinatione se solo ponere peccata, sed tantum potest concurrere ad ea cum creatura, & quidem ex determinatione creaturæ: quæ ipsa determinatio creaturæ est inexplicabilis sine actione creaturæ: ergo. Confir. 3. Juxta Concilia, & Patres, in Christo dantur duæ operationes, nempe naturæ humanæ, & divinæ: ergo etiam natura humana Christi, quæ excepto peccato est similis naturæ aliorum hominum, habet virtutem operandi, seu aliquid producendi: ergo eandem etiam habet natura aliorum hominum.

Confir. 4. Ut rectè observat eruditissimus Dechales *tom. 2. Curs. math. tract. 8. mechan. l. 1. prop. 2.* omnes hucusque Philosophi, in questionibus de causa productiva effectuum naturalium, vitârunt recursum ad Deum, tanquam inseitiæ perfugium: & sanè, si legitima esset philosophandi ratio, assignare ubique Deum pro causa rerum, facile omnes etiam abstrusissimæ difficultates solverentur: ergo est absurdum, negare causis creatis vim aliquid producendi; nam hac negata necessariò debet in omnium effectuum productione recurri ad Deum.

111. Re-

111. Respondent adversarii 1. se non negare, quod creature aliquid producant, sed tantum negare, quod producant entia absoluta; ea enim, quae à creaturis producuntur, esse tantum aliquos modos, seu modificationes, combinaciones, texturas, & similia. Sed contra est 1. Scripturæ, Patres, seculis communis, & ratio probant, ea, quae à creaturis producuntur, non esse tantum quosdam modos, sed entia omnino absoluta; scilicet herbas virentes, semina substantialia, fructus, & fructus corporeos, item co mestiones, nutritiones, intellectio nes, & volitiones &c. quae omnia non sunt modi; nam etiam intellegiones, & volitiones, licet juxta communiorem sint essentialiter affixæ suo principio, tamen non sunt propriè modi.

112. Contra est 2. Etiam si ea, quae à creaturis producuntur, tantum essent modi, seu modificationes, tamen non essent nihil, sed aliquid realiter de novo existens: ergo jam ruit famosa illa objectio contra Peripateticos, desumpta ex eductione formarum, vel aliorum entium ex materia, vel subjecto, quam eductionem ajunt esse inexplicabilem; nam retorquetur argumentum sic. Istæ intellectiones, volitiones, modificationes &c. producuntur à causis secundis ex nihilo sui, hoc est, ita, ut prius nihil earum fuerit: non autem creantur; cum nulla creatura possit creare, ut

Tantum adversarii, & probatum est n. 26: ergo educuntur ex subjecto; nam hoc esse discriminem inter generationem, & creationem, probatum est à n. 27. & certè aliud assignari non potest.

113. Respondent adversarii 2. has modificationes, combinaciones, & uno verbo modos, non esse strictè realiter distinctos à modificationis; unde nihil realiter novum debere produci ex nihilo. Sed contra est 1. Hucusque omnibus Patri bus, & toti Ecclesiæ, oppositio producentis, & producti (quæ hic datur inter creaturam producentem, & modum productum) fuit certissimum signum distinctionis realis, & ex ea semper illata est distinctio realis Patris divini à Filio.

Contra est 2. Est prorsus imperceptibile, quod aliqua causa producat aliquid, secum ipsa realiter identificatum, id est, se ipsam. Contra est 3. Omnibus modò Philosophis contra antiquos quosdam connotatores certum est, non posse dari novam denominationem, seu, quod idem est, novum totum, sine nova parte, adeoque has denominations *intelligens, volens, modifi catum &c.* quae sunt novæ denomi nations reales, debere involve re novas partes reales, consequenter intellectiones, modificationes &c. esse alias res, realiter de novo productas. An fortè veritates, à Philosophis constantissimè receptæ, non posse dari novum totum

sine nova parts, separabilitatem esse signum evidens distinctionis realis, idem non posse esse sine seipso, seu secum identificato &c. sunt Cartesianis tantum præjudicia infantia, quæ ajunt deponenda esse volentibus, in nova Philosophia profectum facere?

Meritò etiam Ulloa *disp. 1. Phys. Specul. c. 2. n. 33.* querit ex adversariis, an infans hodie conceptus, & sexaginta annos viaturus, possit dici, jam actu habere quoad entitatem, realitatēque, omnes penitus actus intellectus, & voluntatis, malos, & bonos, quos per omnem vitam elicitus est, an non? Si primum dicatur, certè dicitur aliquid contra persuasionem omnium hominum, & quod non videtur posse conciliari cum arbitrio libero: si autem dicatur secundum, debent isti actus de novo produci ex nihilo, & quidem ab homine, non merè passim se habente, sed neque creante, adeoque ab homine, eos ex subjecto educente.

114. Hic aliqui, contra omnem rationem, comminiscuntur, nescio quam, novam identitatem realem inter modum, & modificatum, nempe conjunctam, cum distinctione, non strictè reali, sed modali, cuius patronum volunt etiam esse Doctorem Eximum *disp. 7. Metaph. sec. 1. n. 16.* Verum Suarez nec à longè cum his adversariis sentit, sed per suam distinctionem modalem (quam *ibidem* ait, posse dici realem;

equidem verè à parte rei distinctiō sic) tantum intelligit distinctionem inter ea, quorum unum est modus, & alterum est modificatum, quæ ait, non ita distingui, sicut duo entia absoluta, quorum quodlibet potest manere sejunctum ab altero, quod tamen modo non competit; unde Suarez per ens reale simpliciter tale, ut etiam per realiter distinctum simpliciter tale, non intelligit, nisi ens absolutum, ut patet *ex n. 17. loc. cit.* quam distinctionem inter entia absoluta *ibidem n. 16.* vocat distinctionem realem maiorem.

115. Alii hīc recurrent ad distinctionem Scotisticam, quasi illa, vel similis daretur inter modificata, & modos. Sed sapientissima schola subtilis nunquam vel à longè admisit talem distinctionem, vi cuius una formalitas, alteri realiter identificata, possit existere sine illa altera: aut vi cuius intellectiones, vel voluntiones, seu modi quicunque, præsertim ii, qui loco qualitatum ab Atomistis inducuntur, ita distinguantur ab intellectu, & voluntate, aut substantia quacunque modificata, ut tamen illorum realitas simul cum ipsis identificetur, licet ab ipsis producatur, & ab iisdem separabilis sit.

116. Aliqui recurrent ad aliquam distinctionem virtualem, per quam volunt salvare contradictionia, quæ de modis, & modificatis, deque producentibus, & productis, objiciuntur.

ciuntur. Sed in primis nemo huc usque admisit distinctionem tantum virtualem inter producentia, & producta, aut inter antecedenter, & consequenter separabilia, si eis sunt modi, & modificata. Dein hac ratione adversarii invehunt in Physicam naturalem innumera mysteria, similia mysterio SS. Trinitatis, vel divinæ libertatis : consequenter faciunt quamlibet generationem, corruptionem, aut alterationem cuiuscumque minimæ rei, intellectui humano imperceptibilem. Nempe huc tandem recidit, toties ab adversariis decantata, & plenis buccis deprædicata, illustrissima claritas, & expeditissima facilitas suorum systematum, ut non nisi captivato in eorum obsequium intellectu possint admitti, nunquam autem rite percipi. Quæso, quid similis mysterii apud Peripateticos ?

Reponunt hic adversarii, esse commune axioma Philosophorum : *Ex nihilo nihil fit* : scilicet per potentiam creatam ; nam utique per potentiam divinam initio omnia ex nihilo creata sunt. Sed respondeatur, nihil quidem per potentiam creatam fieri, tam ex nihilo sibi, quâm ex nihilo subjecti : (nam hoc est creari, quod à solo Deo provenit) attamen fieri aliquid per potentiam creatam ex nihilo tantum sibi, non autem subjecti ; nam hoc est tantum generari, vel educiri : posse autem etiam creaturam aliquid generare, vel ex subjecto edu-

cere, hucusque non inefficaciter probatum est.

117. Reponunt iterum adversarii, imperceptibilem esse in systemate peripatetico generationem, seu educationem formæ ex materia. Sed respondeo cum Ulloa *disp. 1. Phys. specul. n. 16.* vocem *educo* adhiberi per metaphoram (sicut multæ aliae in Philosophia ita adhibentur,) adeoque non esse accipiendam in sensu grammatical, in quo significat, aliquid alicubi latens foras producere : sed re ipsa Peripateticis nihil aliud indicare, quâm aliquid produci per actionem talem, quæ essentialiter pro priori presupponat subjectum, in quo ipsa recipiatur ; unde formam materialem educi ex materia, significat, eam produci ex nihilo sui, & accipere esse de novo : attamen per actionem essentialiter, & immediate unitam materiæ, tanquam subiecto presupposito.

Sic fieri figuram ex cera (quæ est materia secunda, & in ratione subiecti convenit cum materia prima) nihil aliud est, quâm actionem, qua figura producitur, necessariò fieri in subiecto presupposito, nempe in cera, sive in hac necessario recipi : in qua tota explicazione nihil est imperceptibile, nihil simile mysterio SS. Trinitatis, aut libertatis divinæ. Hanc etiam educationem, seu generationem, a gregiè explicat S. Basilius *initio homil. 8. in Hexamer.* ubi ex occasione verborum illorum *Gen. 1. v. 11.*

*Germinet terra herbam &c. inter alia sic ait de terra: Nec sane palmam, aut querum, aut cupressum, aliquo in loco inferioris uteri sui extenuis retrusa, in apertum, & pro palam eduxit, & edidit: & iterum: Germinet inquit, terra: non id, quod habet, emittat, sed id, quo non est pradita, consequatur, actionis, operationisque Deo facultatem, atque potentiam largiente.*

118. Replicant Atomistæ, per hanc explicationem non ostendi, quod generatio sit debilior influxus, quam creatio, quod tamen juxta omnes debet explicari. Sed respondeatur, id sat facile explicari, dicendo, actionem generativam, seu causam generantem indigere pluribus adminiculis, quam causam creantem: adeoque ab illa non ponit tam fortē influxum. Explico rem paritate. Si quis esset faber, qui ferrum posset fortissimè sinistrâ teneare in aëre, & sine incude illud in quamvis formam cedere, certe ejus influxus esset longè fortior, quam fabri alterius, qui sine incude nihil posset efficere. Hæc similitudo quidem sat crassa est, & utique in quibusdam claudicat: at etiam adversarii sœpius similibus liberrimè utuntur: & certe similitudo horologii cum animali neutiquam est melior.

119. Prob. conclusio 5. Systema Aristotelicum, vel melius, vel saltem æquè bene satisfacit experimentis, quam alia systemata: ergo

non est, cur ista illi præferantur. prob. ant. Cartesiani, & alii adversarii, sœpe dicunt, quod, si suum systema admittatur tanquam hypothesis, tunc se omnium experientiarum rationem datus: sed etiam Peripatetici dicere possunt, quod, si admittatur systema Aristotelicum, cum suis formis substantiabilibus, & accidentalibus, absolutis, & modalibus, possint omnium experientiarum æquè, vel melius rationem dare: ergo æquè bene, vel melius, sistema hoc satisfacit experimentis. prob. mi. possunt sat facile pro ratione experientiarum signare, aut productionem novæ formæ, aut mutationem temperamenti qualitatum, aut corruptionem, aut alterationem factam, ob productam novam qualitatem &c. multa etiam cum adversariis poterunt explicare per gravitatem, & elaterium aëris, vel motum corporum, per effuvia corpusculorum, per vitam semi num &c. quæ etiam Peripatetici sine scrupulo adstruunt.

120. Verū vix risum tenent adversarii, dum qualitates audiunt, præfertim occultas, quas ut asylum ignorantiae passim explodunt. Sed meritò regeritur in ipsis hæc cavillatio, dum eodem modo configunt ad occultas combinationes, certas texturas, diversas modificaciones, nescio, quos motus &c. quos vagos terminos semper repetunt, quin eos unquam magis explicent, eodem, quo Peripatetici, in sicco  
hæ-

barentes: interim tamen valde, sed immerito gloriantur, de clariori, faciliore, & magis expedita explicatione experientiarum in suis systematibus.

Evidem fateor, quosdam ex antiquioribus Peripateticis nimis faciles fuisse in adstruendis qualitatibus, tam apertis, quam occultis: & sanè multa rationi, & experientiæ conformius explicari possunt sine iis, per ea, quæ insinuata sunt *n. præced.* at non prorsus omnia: certè aliquæ qualitates admittendæ sunt ex dictis *n. 104.* & adhuc magis ex dicendis *an. 242.* videbimus tamen per discursum hujus lucubrationis, plures experientias peripateticè solvi per alias vias.

121. Noto tandem cum Ulloa *disp. 1. Phys. specul. n. 39.* quod adversarii contra Peripateticos agglomerent omnes experientias difficilimæ, quarum ratio (ut ait hic auctor) humanum captum superat in quaunque sententia, quasi in solo systemate Aristotelico solvi non possint, & in aliis facilè solvantur; cum tamen æqualis difficultas alia systemata premat; nam qua ratione Cartesii, Empedoclis, vel Epicuri sectator, melius explieat experimentum illud famosum, quod tanquam fide humana certissimum refert Cardinalis Ptolemæus *dissert. 6. Phys. general. sec. 6. n. 2.*

Scilicet istud. In museo Chymici cujusdam fuere plures phialæ hermetice clausæ, in quarum fun-

do erant pulvres, seu cineres rosarum, arte certa præparati: quod si tali alicui phialæ liberè suspensa candela ardens in certa distantia supposita fuit, tunc cineres variè agitari coeperunt, ac tandem circiter post horam, in pulcherrimam rosam, nativo colore, & ordine foliorum, ac meditullio croceo visendam, in medio phialæ coierunt: remotâ autem candelâ iterum in fundum dilapsi sunt.

122. Quæso, quo in alio sistente experimentum hoc ita clarè ad captum solvit, ut intellectus facile acquiescat? Cartesius juxta suam hypothesin non habet, quod dicat, nisi, quod vagè respondeat, certo aliquo motu agitatos globulos cum scobe primi, & ramentis tertii elementi, in rosam coaluisse. Epicurus etiam vagum duntaxat responsum dare potest, scilicet corpuscula, certis figuris ad rosam formandam congruis prædicta, inter se convenisse. Empedocles quoque in genere tantum reponere potest, corpuscula elementaria, ignea, aquæ &c. in combinationem rosem confluxisse. Anaxagoras pariter dare non potest explicationem magis particularem, sed solum dicere potest, semina rosarum, seu particulæ roseas, calore congregatas fuisse, quin tamen ulla probabili ratione possit ostendere, cur in hoc singulari casu, tot particulæ roseæ illæsæ permanserint, vel cur tam facile ita congregata fuerint; cum

cum in aliis contingat mille casibus id nunquam contingat.

123. Sanè explicaciones istæ vagæ, & prorsus tantum genericæ, nulli intellectui magis satisfaciunt, quam alia quædam experimenti solutio, quam juxta sua principia Peripateticus dabit, quamvis forte nee ista sit penitus satisfactura. Certè intellectus æquè parùm contentus est, si tantam audiat vagos hos terminos *certus motus*, *certa figura*, *certa textura*, quin tamen in specie magis declarentur, quam si audiat terminos istos *certa forma*, *certa qualitas* &c.

Accedit, quod intellectus difficillimè capiat, ex globulis, & scobis minuta, vel particulis tantum variè figuratis, aut ex mero igne, aqua, & aëre, ac terra, aut ex sulphure, Mercurio, & sale, mediante solo candelæ calore fieri rosam. Sed nec Anaxagoræ panspermia intellectui satisfacit; nam in primis semper Philosophis certissimum fuit, & adhuc est, à privatione non dari, ita immediatè, regressum ad habitum, qui tamen in hoc easū ab Anaxagora deberet admitti. Dein intellectus etiam non capit, in massa sat parva cinerum, ex rosis combustis, vel arefactis, tot servatas esse particulas primigenias, quæ integrum rosam constituant, easque solo candelæ calore ordinatissimè congregari, & coordinari in rosam potuisse. vide infra n. 522.

124. Si experimentum hoc verè contigit, & non tantum fuit ludibrium oculorum, seu magiae naturalis lusus ingeniosus, dico, quod in phiala non apparuerit vera rosa, sed tantum mortua rosæ imago; unde nulla nova forma, aut anima vegetativa, fuit de novo producta: qualem autem per artem ea rosæ imago facta sit, aut quo artificio cineres illi fuerint præparati, equidem nescio: sed & adversarii quoque id nesciunt. Dici autem potest, quod artificiose præparatio cinerum, adjuta calore candelæ, potuerit efficere aliquid simile illi, quod quandoque facit frigus hyemale in fenestrī, ubi varij halitus, & vapores, invicem mixti, ac cohærentes, & frigore spissati, referunt sepe varias figuræ florū, lemni scorum &c.

125. Fateor, quod nec ista responsio plenè mihi satisfaciat: neque etiam alia, quam alii dant, & nos infra n. 522. referemus: at æquè parùm, vel adhuc minus satisfaciunt responsiones adversariorum: fateor tamen etiam, quod de hoc experimento valde dubitem, an non fuerit lusus oculorum; cum id semel duntaxat, seu ab uno Chymico factum narretur, cuius tamen Chymici, nec nomen, nec specifica fama, ullatenus superest: cum insuper ars illa cineres ita præparandi prorsus non extet, & defacto nemo de se profiteri audeat, quod rosam taliter pro-

productam , seu ortam exhibere possit.

De cætero in similibus objectiōnibus , ab experientia desumptis , s̄epe retorquendū est argumen-tum , & petenda ab adversariis solutio : certè , si excutiantur adver-siorum responsiones , seu similiū experimentorum explicaciones , s̄epe apparebit , eas intellectum mi-nimē quietare . Quodsi etiam aliquando in solvenda una experien-tia satisfaciant , ex aliis plurimis

extricare se nesciunt . Plura alia argumenta pro systemate Aristote-lis , & contra aliorum systemata , ab aliis solent adduci , sed , ne in-finitus sim , ea omitto : unum ta-men de generabilitate , & corrup-tibilitate elementorum infrā à n. 143 . & alterum de admittendis necesse-riō qualitatibus absolutis à n. 242 . fuisū ex instituto deducam : ad-dam etiam à n. 286 . quædam spe-cialia contra Chymicorum , & Car-tesianorum systemata .

## ARTICULUS X.

### *Solvuntur Objectiones.*

126. O B. i. Systema , n. 88. ad-ductum , non est Aristote-  
lis , sed tantū Arabum , seu Avi-  
cenñæ , Averrois , & similiū , qui  
medio s̄eculo octavo , tum in Afri-ca , tum in Hispania , præsertim  
Cordubæ , Aristotelem malè inter-  
pretati sunt : ergo dictum sistema  
malè adductum est tanquam Ari-stotelicum . Resp. neg. ant. Certè  
per quinque s̄ecula , ab eruditissi-mis q̄zibuscque viris ; etiam ab Al-  
berto Magno , S. Thoma , Scoto ,  
Alensi &c. qui se apertè Aristote-  
lis discipulos in Philosophia pro-  
fessi sunt , hoc systema tanquam  
Aristotelicum traditum fuit , usque  
dum s̄eculo elapso quidam , volen-  
tes nomine Aristotelis Empedo-clem palliare , aliter Stagiritæ tex-tus exponere tentarunt . videatur  
Benedictis l. i. Phys. q. 1. c. 7.

Tom. II.

127. Dices i. Arabes , qui ante  
orthodoxos Peripateticos Ari-sto-  
telem in scholis prælegerunt , eum  
valde corruptè traduxerunt in  
suam linguam ; quia in hac Græci  
idiomatis sensus vix exprimi potest :  
& ex ea versione Arabica mala , fa-  
cta dein est versio Latina adhuc pe-  
jor : hac autem versione Latina , ex  
Arabico traducta , postea usi sunt  
Latini Peripatetici ( qui à s̄eculo  
duodecimo florere cœperunt ) tum  
quia Græcis exemplaribus care-  
bant , tum quia putabant , se hac  
ratione Arabes , argumentis ad ho-  
minem , hoc est , ex propria eorum  
versione desumptis , efficaciū im-  
pugnare posse : ergo systema hoc  
fundatur tantū in Aristotele cor-  
rupto , nec est revera Aristoteli-  
cum , sed Arabicum .

128. Resp. neg. ant. Hæc , & si-  
milia

H

milia dicuntur, non probantur: certè jam extiterunt alii Latini interpres ante Arabes, ut Boëtius sèculo sexto, ac alii. Et sanè editiones Latinæ Aristotelis, quæ de facto in manibus sunt, atque à majoribus nostris ad nos devenerunt, non sunt versiones Arabum, sed præferunt alios interpres, partim Arabibus antiquiores, ut Boëtium, partim juniores, ut Cardinalem Bessarionem, Theodorum Gazam, Joannem Argiopolin.

Sed nec S. Thomas (consequenter nec alii eo tempore Peripatetici) versione Arabum usus est; nam lectionibus suis S. Doctor præfigit Philosophi textum in duabus columnis, in quarum una ponit translationem antiquam, in altera versionem Joannis Argiropolis, aut Bessarionis, quarum duæ posteriores cum suis auctoribus sunt multò posteriores Arabibus, eorūmque versione: prior autem etiam ab eadem versione differt, ut facilè patet, conferenti cum ea textum, in Averrois commentariis exhibitum: cuius rei exemplum sumi potest, præsertim *in text. s. l. 1. Metaphys.* qua de re etiam videri mereatur Possevinus *l. 12. Bibliothec. tract. 3. c. 17.* Et quis credit, Angelicum, cuius præcipua intentio fuit deprimendi Averroem, voluisse uti malefida ejus versione, quin unquam ejus errores indicaret, etiamsi ad hominem tantum argumentari voluisse?

129. Adde, quod Aristoteles Græcus (ut refertur à Launoio de varia fortuna Aristotelis in Academia Parisiensi) jam anno 1209. Parisios allatus fuerit, & diligenter lectus. Adde, quod idem textus Græcus adhuc supersit, & hucusque per tot sècula fuerit ante oculos Peripateticorum, atque ab iis etiam lectus: certè Coimbricenses, præsertim *in libros Physicorum*, Græcum Aristotelem saltem sèpissimè afferunt, nec tamen unquam aliud sistema ex eo colligunt.

Adde insuper, quod textus, quos adversarii contra nostrum systema ex Aristotele ad speciem afferunt, e. g. quibus dicitur, quod forma non fiat: quod isti, inquam, & similes plures textus, in ea versione Aristotelis habeantur, qua nobiscum etiam adversarii utuntur; hinc non de verborum citatione, sed de eorum sensu, inter ipsos, ac nos, lis est; nos enim non admittimus explicationem verbi fieri, quam ipsi adstruunt (de qua re supra n. 11. & 9.) neque etiam admittimus omnino modam similitudinem inter formas, & musicam, aut numeros; alias, sicut minor numerus non differt à majore, nisi per negationem, etiam forma imperfectior non differret à perfectiore, nisi per negationem: quod jam negavimus in Logica, quam vide n. 630.

130. Aliqui ex adversariis hic etiam objiciunt, Aristotelis libros à Theophrasto ejus discipulo transscriptos

scriptos fuisse cuidam Nilo, vel Neleo, homini illiterato: paulò autem post ex metu regis Pergami, corradentis undique libros pro sua bibliotheca, in cryptam subterraneam defossos fuisse, ubi à blattis, & tineis fuerint corrosi: refossos verò denuo, ab Apellicone Teio, dum eos emendare laboraret, potius novis erroribus fuisse infectos: quibus rursus novos addiderit Tyranno quidam Grammaticus, dum denuo defectus supplere præsumeret. videatur Possevinus *in Biblioth.* l. 12. tract. 3. c. 14.

Sed alii reponunt, étsi fors unum, aut alterum eorum librorum exemplar fuerit ita destructum, tamen plura exemplaria jam priùs ab Aristotele fuisse vulgata, ob quam causam de ipso quetus sit magnus ejus discipulus Alexander Macedo: ex quibus exemplaribus plura incorrupta permanerint. Certè, si accidisset hoc fatum Aristotelicis libris, adversarios quoque premeret, quibus etiam Aristoteles in pretio est, præsertim, ubi ipsis favere videtur. Interim saltē Aristoteles, tam Græcus, quam Latinus, sistema hoc præfert.

131. Dices 2. Peripatetici Græci, seu Asiatici, Alexander Aphrodæus, Themistius, Simplicius, Philoponus, volunt Aristotelem docuisse, formas materiales corporum esse tantum modales: idem senserunt ex Latinis Herveus, & Cajetanus, quamvis uterque ob-

scurè: idem sensit Aureolus, & Ricardus: ergo Aristoteles non docuit systema à nobis adductum. ita Cardinalis Ptolomæus *dissert.* 7. *Phys. general. sicc.* 1. n. 2.

Resp. neg. ant. Afferantur textus, & videbimus, an non aptè explicari possint in rem nostram; vaga enim verba, quæ tantum indicant, formam necessariò inexistere subjecto, vel eam non posse esse sine subjecto, aut similia, facile explicantur de naturali tantum connexione formæ, & materiæ, quæ tamen connexio supernaturaliter tolli possit: quin imò Philoponus, antiquorum Aristotelis interpretum Græcorum non minimus, *in text. 36. l. 1. Physic.* ubi de Anaxagoræ principiis, eorumque compositione agit, apertè ait: *Nos... hujusmodi elementorum compositioni, & mixtioni afferimus formas extrinsecus advenire, que sunt entia à subjectis distincta;* ergo juxta ipsum formæ sunt distinctæ à compositione, seu modificatione corpusculorum, adeoque sunt absolute. Herveus autem, & Cajetanus, nec propriè interpretantur Aristotelem, nec nobis contradicunt. videatur Benedictis *l. 1. Phys. q. 1. c. 7. §. 1.*

132. Dein dato, & non concessò, quod hi pauci auctores essent nobis contrarii, non deberemus credere, eos melius intellexisse Aristotelem, quam plurimos alios Peripateticos per quingentos annos.

Sanè etiam Græcis Aristoteles est obscurus, & ipse Thermistius, ut testatur Possevinus in *Biblioth. l. 13. tract. 3. c. 1.* dixit, furori simile esse, si quis saceret, sc̄ ex Aristotelis scriptis sententiam ejus penitus assecururum. Sed & Cardinalis Ptolémæus *dissert. 7. Phys. general. sec. 1. n. 6.* facetur, Aristotelem per abstractos conceptus loqui, adeoque non clare, Idem auctor *ibidem* ait, Aristotelem clare loqui *l. 4. Meteorologicorum*: sed nec hic habet Philosophus quidquam, formis absolutis oppositum.

133. Ob. 2. Etsi Aristoteles auctor fuisset hujus systematis, tamen non esset propterea amplectendum: ergo. prob. ant. Aristoteles apud SS. Patres valde male audit, & ejus opera olim à Pontificibus, ac aliis, maximè in Universitate Parisiensi, suè prohibita: ergo ob ejus auctoritatem non est amplectenda aliqua sententia. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. apud aliquos, & aliquando. conc. ant. apud omnes, & semper, neg. ant. & conseq. Aristotelis ingenium, & doctrina maximi aestimata fuerunt à summis viris: certè ipse à S. Augustino, licet alias Platonico, *l. 8. de Civit. Dei. c. 12.* vocatur *vir excellentis ingenii.*

134. Licet autem aliquando aliqui SS. Patrum hunc Philosophum, ut rationi, ac sensui nimis affixum, reprobaverint, tanquam contrarium captivationi intellectus in ob-

sequium fidei, tamen S. Hieronymus, S. Augustinus, Didymus Alexandrinus, Anatolius Laodicensis, Theodoretus, Boëtius, S. Joannes Damascenus, ac alii antiqui, Aristotelis doctrinam, non quidem quoad omnia ejus asserta, (nam utique tanquam ethnicus, lumine fidei destitutus, in aliquos errores est lapsus, de quibus vide Possevinum in *Biblioth. l. 12. tract. 4. c. 34.* quamvis alii quoad aliqua ipsum excusent) attamen ut plerumque bonam, & multis aliis meliorem approbārunt.

135. Fuit quidem etiam postea operum Aristotelis prælectio prohibita, præsertim postquam aliqui Parisienses, ejus obscurioribus dictis quibusdam inducti, varias exoticas doctrinas, vel etiam hæreses tradiderunt (de quo vide *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux. tom. 3. an. 1713. Juillet a. 95. pag. 1130.*) at rebus magis declaratis, & præsertim à S. Thoma sapientissimè elucidatis, prævaluuit auctoritas Aristotelis, ac postea ab Urbano V. permissa, & à Nicolao V. Pontificibus Romanis, omnino approbata est ejus prælectio: ex quo præsertim tempore universaliter in omnibus Academiis per plura facultates regnavit. videatur *Dictionarium magnum historicum Morelli in Aristotele, & Rapinus tom. 2. p. 2. Reflexion. sur la Philosoph. n. 7. sur l'usage de la Philosoph. n. 5.*

136. Ob.

136. Ob. 3. In systemate Aristotelico debet causa creata de novo producere formam absolutam : sed nulla causa creata potest aliquid ens ab solutum de novo producere : ergo. prob. mi. S. Paulus 1. Cor. 12. v. 6. ait de Deo : *Qui operatur omnia in omnibus.* & 2. Cor. 3. v. 5. ait de nobis : *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est :* ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. conseq. In primis modò causa creata possit de novo producere ens modale, jam ruunt fundamenta adversariorum, ut patet ex n. 112. Dein S. Paulus primo loco loquitur de operationibus miraculosis, & gratiis gratis datis, quæ omnia operatur Deus in nobis. Evidenter etiam alia opera in nobis operatur Deus, sed non solus. Secundo loco juxta communissimam Conciliorum, & Patrum expositionem, agit Apostolus de actibus supernaturalibus : nec tamen dicit, Deum solum eos facere ; nam ait, nos habere ex Deo sufficientiam, nempe inadequatam, ad eos actus cum gratia producendos : de actibus autem naturalibus ibi prorsus non agit Apostolus,

Dices. Textus S. Scripturæ adducti n. 107. debent intelligi, non de strictè dicta productione physica : sed tantum de productione morali, in hoc sensu, quod Deus ad exigentiam creaturarum aliquid physice producat, e. g. ad exigentiam

leonis leonem, vel ad exigentiam equi equum : ergo non probant, quod causæ creatæ habeant vim physicè agendi. prob. ant. non potest dici, quod terra herbam, & arbores, vel etiam bestias, aut quod aqua pisces, & aves, physicè produixerit, quamvis Gen. 1. ista dicantur ab aqua, & terra, physicè producta : ergo. prob. ant. effectus essent longè perfectiones, quam cause : insuper *ibidem* dicitur, Deus creasse cete grandia, seu pisces, & fecisse bestias terræ : ergo.

Resp. neg. ant. Juxta adversarios etiam posset dici, quod parentes producant animam rationalem ; quia ad eorum exigentiam Deus eam producit : estque contra communissimum sensum, quod solus Deus omnia physicè faciat, tantum ad exigentiam creaturarum : e. g. quod moveat pedes ad exigentiam ambulantis : moveat baculum ad exigentiam verberantis : moveat ensim ad exigentiam etiam iustæ occidentis. ad prob. dist. ant. non potest dici, quod terra, vel aqua produixerit pisces, aves &c. tanquam causa physicè efficiens. conc. ant. quod concurrerit ad eorum productionem, tanquam causa physica materialis. neg. ant. & conseq. ad prob. ant. conc. ant. & dist. conseq. ut prius.

Ob hoc ipsum, quod ibi dicatur Deus ea fecisse, quæ prius terræ, & aquæ tribuuntur : item ob perfectionem majorem effectuum, be-

ne dicitur terra, & aqua tantum habuisse influxum materialem. At similis ratio non pugnat in aliis; nam quando ficalnea, vel alia arbores, aut semina, dicuntur fecisse fructum: vel bruta, aut homines, aliquid naturaliter fecisse: non dicitur ea Deus fecisse, nec effectus est perfectior causâ; unde in his, accedente præsertim gravissima auctoritate, non tantum Patrum, sed omnium hominum, debet admitti virtus physicè effectiva.

Nec dicas, Gen. 1. v. 21. dici, Deum creasse cete grandia, seu pisces, ac volucres, adeoque non eduxisse ex materia; nam ibi creare non significat, ex nihilo sui, & subjecti producere, sed tantum producere aliquid sibi insufficiens ad existendum, in quo sensu satis communia omnia, etiam generata, dicuntur creaturæ: & sic S. Thomas 1. p. q. 71. a. 1. ad 1. expressè docet, quod in prima mundi creatione principium activum fuerit verbum Dei, passivum autem materia elementaris. Idem S. Doctor 1. p. q. 70. a. 1. ad 1. ait, plantas, & animalia fuisse formata ex præjacente materia elementari. vide etiam Bonfrerium in 1. c. Genes. n. 21.

137. Dices. S. Augustinus l. 5. de Civit. c. 9. sic scribit: *Corporales autem causa, quæ magis fiunt, quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumeranda*: ergo. Resp. neg. conseq. Mens S. Augustini, & aliorum Patrum, in hac questione

patet ex n. 108. quin etiam ex ipso loco objecto, ubi paulò ante de brutis dicit: *Aliqua faciunt secundum naturam suam*: imò expressè docet, homines, & Angelos, inter causas efficientes esse: quod jam est contra adversarios, qui omnibus creaturis vim efficiendi negant. Agit S. Doctor cit. cap. de causis liberis, probatque, iis non obesse præscientiam Dei, & inter has causas liberas non vult annumerari causas corporales: non autem de his negat, quod aliquid necessariò faciant: imò hoc ipso loco, dum dicit: *Quæ magis fiunt, quam faciunt*: innuit, eas etiam aliquid facere. Si Gabriel, & Alliacensis sensissent oppositum, duo contra inumeros alios pondus non haberent: sed non opponuntur communissimæ aliorum, ut testatur Suarez disp. 11. Metaph. sec. 1. n. 1.

138. Ob. 4. Actio, essentialiter præsupponens aliam actionem, est essentialiter superflua: ergo etiam virtus agendi, essentialiter præsupponens aliam, est essentialiter superflua: atqui virtus agendi creaturæ essentialiter præsupponeret aliam, nempe divinam: ergo esset essentialiter superflua: consequenter est impossibilis. Resp. neg. conseq. Actio illa subordinata, (de qua vide infra n. 993.) si esset essentialiter superflua, ideo esset; quia actum agit, spoliaturque suo fine essentiali; nam supponit factum, quod deberet facere: non ita virtus agendi in

in actu primo jam supponit factum, quod deberet facere, nec spoliatur suo fine essentiali.

Dices. Deo tribuendus est modus perfectissimus agendi : sed est perfectior modus agendi se solo, quam adjuvante alio : ergo hic modus agendi est Deo tribuendus. Resp. dist. mi. est perfectior modus agendi se solo, quam adjuvante alio, ex necessitate assumpto. conc. mi. quam adjuvante alio, ex liberalitate tantum admisso. neg. mi. & conseq. Primum significat indigentiam, adeoque imperfectionem : alterum significat sufficientiam se solo, & simul liberalitatem, quae ambæ sunt perfectiones.

139. Ob. 5. Ad producendum aliiquid de novo, seu ad transferendum de non esse ad esse, requiritur infinita virtus : sed nulla causa creata habet infinitam virtutem : ergo nulla potest aliiquid de novo producere. prob. ma. distantia entis à non ente est infinita : ergo ad hanc superandam requiritur virtus infinita. prob. ant. est tanta distantia, ut major dari non possit : ergo est infinita. Resp. 1. dist. ma. requiritur infinita virtus in causa adæquata, & totali. om. ma. in causa tantum inadæquata, & partiali. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. ad prob. ma. & ant. om. totum. Hæc responsio est expedita, & fundatur in eo, quod omnes cum communi Theologorum admittant, ad omnem productionem necessarium

esse concursum simultaneum Dei, qui habet virtutem infinitam.

Sed quia argumentum objectum, aliunde etiam est inefficax, Resp. 2. neg. ma. ad prob. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. Distantia entis à non ente, e. g. formicæ à non formica, non est major, quam sit perfectio entis, e. g. formicæ, quæ non est infinita. Et hinc non male ait Ulloa in *Prodrom. ad Scient. disp. 4. c. 10. n. 104.* magis distare inter se Angelum, & parentiam Angeli, quam formicam, & parentiam formicæ.

Verum est, non magis inter se opponi Angelum, & ejus negationem, quam formicam, & ejus negationem ; nam utraque oppositio contradictoria est ; sed etiam hæc oppositio non est infinita, licet non possit dari una major, quam altera : sicut non quælibet veritas, aut æqualitas, est infinita, licet non possit dari una veritas, vel æqualitas, major, quam altera ; quia stat in indivisibili, nec capit magis, & minus : & sic etiam oppositio contradictoria stat in indivisibili, nec capit magis, aut minus.

Quodsi etiam, faciendo importunam quæstionem de nomine, contendas, hanc distantiam oppositio- nis esse infinitam, tamen nihil evincis ; non enim debet vinci à crea- tura distantia oppositionis ; quia causa creata non debet facere, ut non opponantur contradictoriæ res, & ejus negatio : sed tantum debet

debet vinci suo modo distantia perfectionis, faciendo nempe, ut entitas, seu perfectio, quæ prius non existebat, nunc existat.

140. Ob. 6. Juxta systema Aristotelicum deberet forma de novo generari, seu educari ex materia: sed hoc *educari* non potest explicari: ergo. prob. mi. si educari tantum esset produci per actionem receptam in subjecto, pro priori naturæ præsupposito, ut dictum n. 117. tunc etiam anima rationalis posset generari: sed hoc non potest dici: ergo. prob. ma. si per eandem indivisibillem actionem produceretur anima rationalis, & simul unio ejusdem cum materia, tunc illa actio productiva essentialiter pro priori præsupponeret materiam, ratione unionis à se productæ, & in eadem materia cum unione essentialiter reciparetur: ergo esset actio generativa, & per eam anima rationalis generaretur.

Resp. neg. mi. nam explicatio eductionis n. 117. data rite subsistit. ad prob. quidam negant maiorem cum Augustino Laurentio tract. 1. *Physic. disp. 3. sec. 3. n. 494.* saltem certum est, defacto actionem productivam animæ rationalis esse creativam, id quod fuisse probatum, ex Scriptura, & Patribus, ac ratione, videre est apud Bellarminum *som. 4. Controv. 2. general. de amiss. grat. l. 4. c. 11.* Jam vero juxta quosdam autores anima rationalis non est indifferens ad cau-

fam, sed essentialiter exigit, à solo Deo produci, adeoque est identificata cum actione productiva sui, conseqüenter ipsa est actio creativa: cùmque essentia mutari non possint, anima non potest fieri actio generativa, neque etiam per animam, tanquam actionem, potest produci unio ejusdem cum materia.

Unde juxta hos autores non potest fieri paritas à formis materialibus ad animam rationalem, dicendo, quod, sicut illæ, licet naturaliter producantur per generationem, tamen supernaturaliter possint produci per creationem, ita etiam anima rationalis, licet naturaliter producatur per creationem, possit tamen supernaturaliter produci per generationem; nam, cùm ista juxta hos autores sit essentialiter ipsa creatio, & essentialiter à solo Deo dependens, non potest supernaturaliter fieri generatio, & dependens ab alia causa creati, nempe passiva: econtra, cùm formæ materiales sint indifferentes, ut procedant, vel à solo Deo, vel simul ab aliis causis, adeoque producantur per actionem distinctam, etiam sunt indifferentes, ut producantur, vel per actionem creativam, vel per generativam.

141. Alii vero autores negant, animam rationalem essentialiter exigere à solo Deo produci; eo quod probari non possit, quod Deus absolutè nequeat assumere causam

**S**um creatam ad secum producendam supernaturaliter animam ; cum praetertim creatura, eti naturaliter creare non possit, ut dictum n. 26. tamen probabiliter assumi absolute possit, tanquam instrumentum ad creandum, ut docet Suarez *disp. 20. Metaph. sec. 3. n. 7.* Quodsi jam anima sit indifferens ad actionem productivam sui , non videtur his auctoribus absolute impossibile , eandem animam produci per aliquam actionem , per quam etiam indivisibiliter producatur ejus unio cum materia: qui casus si in ali providentia accideret , tunc juxta istos autores anima generaretur : certe animam rationalem posse absolute generari admittunt Reynaudus *Theol. natural. dist. 3. q. 1. a. 2. n. 79.* Wadingus apud Aug. Laurent *loc. n. preced. cit.* Benedictus l. 2. *Phys. q. 3. c. 1. ad 7.* Aler *Phys. Univers. tr. 1. disp. 3. c. 2. § 1. n. 311.*

142. Nec tamen propterea anima rationalis fieret mortalis ; nam, licet haec actio productiva animæ non exigeret, sive se, sive unionem,

sive etiam animam productam, semper durare, tamen ipsa anima exigeret aliam actionem , unam , vel plures , à quibus semper ulterius, & ulterius conservaretur. Neque etiam ens, tantum supernaturaliter productum per actionem materialē, esset juxta hos autores mortale, sed ad summum tale foret ens, connaturaliter productum per tam actionem , atque exigens ex natura sua per eam produci : quem exgentiam anima rationalis non haberet.

Sed neque propterea anima rationalis perderet suam independentiam à materia ; nam independentia ista animæ rationalis stat essentialiter in eo, quod non exigit à materia pendere, sed possit etiam extra materiam naturaliter existere : insuper exigit , connaturaliter produci per actionem independentem à materia : quamvis supernaturaliter, adeoque per accidens, aliquo modo in casu educationis , vel generationis, pendere à materia pos sit. videatur Aler. loc. cit.

## ARTICULUS XI.

143. **S**uprà n. 104 systemata circa materiam primam, ab Aristotelico , seu peripatetico diversa, impugnavimus ex eo, quod ne gent accidentia absoluta , quæ tamen necessaria sunt admittenda : i-

*TOM. II.*

tem n. 125. insinuavimus, eadem systemata etiam impugnari posse, ex generabilitate , & corruptibilitate elementorum (nam materia prima ex n. 28 debet esse ingenerabilis, & incorruptibilis) utrumque adhuc I pro-

probandum restat : & quidem existentia accidentium absolvitorum inferius probabitur n. 232. hinc autem probatur generabilitas, & corruptibilitas elementorum: per quam intelligimus, non tantum generabilitatem, aut corruptibilitatem atomisticam, sive tantum quoad statum sensibilem, qui acquiritur, aut amittitur, ratione acquisitione novæ, vel destructione antiquæ combinacionis ; hæc enim generabilitas, aut corruptibilitas in sensu peripatetico est tantum accidentalis : verum intelligimus generabilitatem, & corruptibilitatem, etiam in sensu peripatetico substantiale, per veram formæ absolutæ novæ productionem, & antiquæ destructionem.

144. Ne autem nimis fusæ fiat de hac quæstione tractatio, de sola corruptibilitate, & generabilitate, quatuor elementorum Empedoclis ex professo agemus : attamen rationes, quæ de his afferentur, facile ad elementa Epicuri, vel etiam ad principia Anaxagoræ, Chymicorum, aut Cartesii, applicari poterunt; nam non magis corpuscula figuram, e. g. igni necessariam, essentialiter habentia, latere possunt in ligno, quam alia, quæ non ratione externæ figuræ, sed ratione intrinsecæ differentiæ, sunt ignis. Sed minùs adhuc latere possunt in ligno tam copiosè diversarum specierum igniculi, quos ab aliquibus adstrui diximus n. 79 ut consideranti facile patebit. Adhuc multo

minùs possunt ubique latere tot diversissimæ species corporisculorum, quæ ad lustinendum Anaxagoræ systema requirentur; nam e. g. eodem gramine, aut carne, pascuntur diversissima animalia, in quibus debent nutriri diversissimæ partes, ossa, cerebrum, caro &c. rursus ex carne putrida nutriuntur diversissimæ herbæ, arbores : item spicæ, uva &c. & tandem eadem caro, atque idem grumen potest omnino converti in ignem : & quod de gramine, ac carne est dictum, etiam dici potest de ferme omnibus aliis; quomodo autem capi possit, latere jam ubique tot innumerarum specierum corpuscula, & quidem tam copiosè ? certè incomparabiliter credibilis est, de novo generari talia corpuscula, seu eorum formas; unde defacto Anaxagoras paucos numerat esse classas. vide etiam dicta supra n. 105.

Eodem modo, nec Mercurius, nec sulphur &c. possunt in mixtis latere in tanta copia, quanta requireretur ad salvandas in systemate Chymicorum experientias. Pariter elementa Cartesii, ex quibus ipse lignum e. g. constituit, non possunt involvere, vel abscondere, tanto in numero ea corpuscula, quæ ad ignem, ex ligno accenso emicantem, constituendum necessaria sunt ; adeoque, ut de elementis Empedoclis inferimus, ita etiam de his infertur, non posse ipsa esse materiam primam. Nec dicas, corpuscu-

puscula Cartesii posse mutari accidentaliter, ita, ut, quæ prius constituebant e. g. lignum, vel oleum, postea constituant ignem ; neque enim per solum motum, & mutuam frictionem, possunt ita mutari, & quidem tam citè, ut continetur in accensione ignis in oleo, vel pulvere pyrio &c. Addemus tamen inferius aliqua specialia argumenta contra Chymicos, & Cartesium.

145. Hæc controversia, ut rectè ait Ulloa *disp. 1. Phys. Specul. c. 1. n. 4.* ex prudentiæ potius dictamine, quam ex acutis ingenii inventis, est decidenda ; nam, cum adversarii negent etiam ea, quæ antiquioribus Philosophis visa sunt prima quasi principia, frustra hæc iis objiciuntur ; unde non restat aliud Peripatetico, quam eos reducere ad absurdâ, aut incredibilia, quæ ab ipsis debent admitti. At, cum hæc ipsa absurditas, & incredibilitas, non possit fundari in particulari cuiuscunque imaginatione, (quæ ineptire, & facillimè potest, & sapissime solet) sed in prudenti virorum, nullis præjudicis præoccupatorum estimatione, tandem ultimum litis hujus resolutivum esse debet judicium prudentiæ. Quare, ut probemus generabilitatem, & corruptibilitatem elementorum, conabimur potissimum ostendere, adversam opinionem admittere debere plura incredibilia, aut absurdâ : quæ quidem talia efficiuntur negabunt : at,

si ad tribunal hominum prudentium, intelligentium, atque indifferentium deferrentur, omnino talia, nisi vehementer fallimur, judicarentur.

146. Dico itaque. Elementa sunt in sensu peripatetico generabilia, & corruptibilia. ita Peripatetica cum suo duce Aristotele, cuius auctoritatem, quia eam etiam adversarii sibi vendicare volunt, ex instituto in solutione objectionum nobis vendicabimus. Conclusio hæc de omnibus simul elementis probatur à multis ex conceptu generationis, & corruptionis substantialis : sed, ut dictum *n. præced.* adversarii etiam ea, quæ ab antiquis habita fuere tanquam certa, audacter negant, & vix non solo risu satiis refutata existimant. Evidenter solo risu, seu contemptu, nihil probatur, nihil refellitur : neque etiam neotericorum tanta auctoritas est, ut tota antiquitas ad ejus conspectum obmutescere debeat : atamen, cum quæstio hæc alias prolixa futura sit, aliis omissis, ea tantum, quæ communi judicio sunt fortiora, afferam, quibus singularium elementorum generabilitas, aut corruptibilitas efficacius probatur.

147. Statim autem noto, quod, si de aliquo elemento probata sit ejus generabilitas, eisipso etiam probata sit ejus corruptibilitas, & viceversa ; alias enim elementum novis generationibus nimium jam auctum fuissest per tot lacerula ab origine

gine mundi; cùm tamen experientia oppositum monstret: vicissim elementum corruptionem passum, si non ejusdem generatione datum fuissest resarcitum, jam dudum simis diminutum, immo fortè omnino sublatum fuissest.

Sed neque necesse est, de omnibus quatuor elementis ostendere eorum generabilitatem, aut corruptibilitatem; eoque, si istam adversarii de aliquibus probatam admitterent, de aliis etiam non negarent: & certè supposito, quod de uno elemento probatum sit, id generari, vel corrumpi, nulla amplius alicujus momenti ratio est, id negandi de aliis: sed potius legitimè sic argumentum à pari ab uno ad alterum.

148. Adde, quod ex generabilitate, vel corruptibilitate aliquorum elementorum inferatur generabilitas, & corruptibilitas aliorum; alias enim cætera nimium crederent, vel decrescerent. Sic, si probatum sit, ignem generabilem esse, etiam ex modò dictis probatum est, eum corruptibilem esse: quodsi autem corruptibilis sit, saltem sèpe erit necesse, eum converti in aërem, adeoque hunc ex igne generari: consequenter etiam iterum corruptibilem esse.

149. Probatur igitur in primis generabilitas ignis experimento cuivis obvio, quo videmus, oleum lucernæ in flamas abire. Expertus sum, lampadem, quæ circiter medium

olei libram capiebat, duabus hebdomadis per singulos dies quatuor circiter horis arsiffr: observavit autem de Lanis, tenues olei particulas instar globulorum celerrimo motu perenniter in ellychnio sursum ascendere, & in flammarum converti, quæ illico avolet, ita tamen, ut alia nova statim succedat; namque ignis statim, aut ipse sursum tendit, aut ab aëre sursum truditur, ut nemmo inficiatur: idque præsertim demonstraret Angelus, si, ut posset, lampadem intra sensibile momentum sepius extingueret, & reaccenderet.

150. Numerat autem de Lanis Magist. natur. tom. i. tr. i. l. i. c. i. obseruat. s. quovis arteriæ pulsu, seu quovis minuto secundo, quorum nongenta singulis horæ quadrantibus fluunt, viginti, aut triginta avolantes tales flamas. Si cui hic numerus fortè excessivus videatur, saltem, ut bene ajunt alii, negari non potest, quovis minuto secundo decem flamas abscedere: quo positio quovis horæ quadrante ex dicta lampade novem millia flamarum prodierunt: per quatuor autem horas, seu sexdecim quadrantes, quibus per singulos dies lampas arsit, centum quadraginta quatuor millia flamarum eruuerunt: totis vero quatuordecim diebus duo milliones, & sexdecim millia flamarum avolaverunt; quæ si coniungerentur, spatium tantum occuparent, ut juxta moderatiorem cal-

**c**alculum, ei correspondens vas, seu dolium, saltem quinques millies tantum olei, quantum in lampade fuit, facile caperet. Quodsi maiorem de Lanis calculum sequamur, duplo, aut triplo plus flammorum numerabimus.

151. Jam sic argumentor. Cuius, saltem non preoccupato novorum systematum præjudiciis, videtur incredibile, quod in tam modica quantitate olei lateat tanta copia ignis, quin ullo indicio, seu caloris, seu adustionis, aut lucis, se ullenus prodat elementum, alias tam activum, ac violentum, & existens in materia valde sibi apta, ut est oleum: sed in magno frigore persistat, adeo, ut oleum, ex Medicorum prescripto, adustis animalium partibus adhibitum, eas refrigeret, saepius etiam, & quidem facilè frigore constringatur, seu quasi conglaciatur, nec ullus unquam igniculus ex eo elici possit, nisi alius ignis ab extrinseco admoveatur, & quidem non quomodocunque, sed adhibito etiam ellychnio, cuius ope oleum prius in parva quantitate attrahatur, ut sic vi caloris in globulos parvulos rarefiat, at tandem in ignem mutetur: ergo probabilius ignis, qui ex oleo accenso in lampade promicat, non jam prius in oleo latuit, sed ab igne extrinseco de novo generatur.

152. Quod autem experimur in oleo, idem etiam proportionaliter experimur in spiritu vini, præser-

tim rectificato, hoc est, per repetitas distillationes, aut alias operationes, ab adscitio phlegmate ita purgato, ut totus inflammam abeat. Idem experimur in pulvere pyrio: idem in quolibet ligno accenso, ac conflagrante, & pluribus aliis, ex quibus prius, sensibiliter valde frigidis, si igne extrinsecus admoto accendantur, erumpit ingens copia ignis, quem jam ante sine omni sui indicio latuisse, penitus incredibile est. Et præsertim hoc incredibile est, si, ut adversarii plurimi volunt, lux, seu lumen in igneis effluviis consistat: certè nemo capere potest, in exigua olei particula latere tantum igniculorum, quantum ad maximum sphæricum spatiū, non tantum semel, sed saepissime implendum requiritur, scilicet implendum toties, quot flammulæ in tali sphæra ubique spectabiles ex tali olei particula prodeunt, quæ ex dictis n. 150. ad plurima millia multiplicantur.

153. Confirm. 1. Tam vites, quam oleæ, ac aliæ arbores, itemque tam uvæ, quam olivæ, ac alii similes fructus, potissimum nutriuntur aquâ, ut est innegabile: ergo jam in aqua debuissent latere ignes, & mediante nutritione ab arboribus, ac earum fructibus, nempe olivis, ac uvis, ex quibus oleum, & spiritus vini conficitur, fuisse attracti: sed utique incredibile est, tantum ignem, vel certè fermentantum latere in aqua, quantus in ardenti-

ardente lampade, vel ligno conflagrante appareat: ergo.

Confirm. 2. Ut paulò post dicemus, ligna, & spiritus vini, ac pulvis pyrius, & omnia, teste Helmontio, possunt converti in aquam: ergo juxta adversarios in lignis &c. debuerunt etiam latere tot particulae aqueæ, quot æquivalebant toti lignorum &c. moli, seu magnitudini: atqui est incredibile, tot particulas aqueas cum tanta quantitate igniculorum pacificè stare posse: item est incredibile, corpus aliquod, e. g. lignum, posse in se continere tantam quantitatem ignis, & tantam quantitatem aquæ, ut quælibet seorsim illud adæquet: ergo. Quodsi etiam negare velles, illum liquorem, per spagyricas operationes productum, fuisse veram aquam, Taltem negare non posses, fuisse corpus quoddam, in quo alia corpuscula, & maximè aquæ plurimùm prædominantur igneis (nam inflammabile non erat, & eo ignis extinguebatur) adeoque ut patet consideranti, reddit argumentum.

Nec dicat quis, corpuscula minima esse indifferentia ad hoc, ut modò sit aqua, modò ignis, modò terra, modò aër; nam hæc responsio manifestè recederet ab Empedocle, qui vult, ista quatuor elementa intrinsecè, & essentialiter differre inter se. Item recederet ab Epicuro, qui saltem variam figuram suis atomis vult esse essentia-

lem, aliam scilicet igneis, aliam aqueis &c. Rursus recederet hæc responsio ab Anaxagora, qui in suis corpusculis primigeniis admittit innumeras differentias essentiales. Pariter recederet à Chymicis, qui etiam volunt, sua elementa essentialiter differre.

154. Sed neque hæc responsio convenienter dari potest in syste-  
mate Cartesii; etsi enim hic auctor admittat, unum elementum posse transmutari in aliud, tamen cum nulla verisimilitudine credibili potest admitti, quod id fiat tam citò, ac tam sensibiliter, ut experientia possint salvari; nam quomodo modicissimus ignis, e. g. admotus pulveri pyrio, tam citò ex materia tertii elementi, ramoso, & quiescente, quo potissimum pulvis pyrius, siccus, & terreus, constat, faciat tam magnam quantitatem primi elementi, ut residuum tertium elementum (nam & hujus aliqua portio est in igne) in primo elemento natet, & vehementissimè agitetur, quod, ut dictum *et* *so*, juxta Cartesium ad ignem requiritur?

Imò, quomodo id fieri in quolibet ligno, vel alio corpore combustibili, ex quo accenso singulis minutis secundis plurimæ flammæ emicant? certè, ut quis credat, à modico igne extrinsecus admoto, particulas tertii elementi, tenaciter in se implexas, tam citò, & tam copiosè resolvi in minutissimam sco-  
bem,

bem , sibi minimè coherentem , opus est magna captivitate intellec-  
tus in obsequium Cartesii . Dicere autem , quod corpuscula ignea ab extrinseco adveniant , est idem , ac dicere , quod igniculi ex aëre ad-  
volent , vel submittantur à sole , atque ignem constituant in ligno , vel pulvere pyro accenso ; quod prorsus contrarium est omnium ho-  
minum iudicio .

155. Sed & abstrahendo ab omni systemate , simpliciter contra omnium , etiam Philosophorum , communissimum iudicium est , quod principia , seu elementa , inter se es-  
sentialiter non differant ; nam omnibus est indubitatum , quod elemen-  
ta per continuam actionem , & re-  
actionem , inter se pugnant , se-  
que mutuo alterent &c. hæc autem pugna in quem finem daretur , si elementis prorsus idem esset , an sub schemate aquæ , an sub schema-  
te ignis apparerent ? Et quis tandem ea determinaret , ut hanc potius , quam illam figuram induerent ? certe , ut materia prima , quia indiffe-  
rens est ad omnem formam , debet ab aliquo alio determinari , ad hanc præ alia formam , ita etiam elemen-  
ta deberent determinari ad hanc præ alia figuram : & tamen juxta adversarios aliud non adesset ; cùm omnia ex solis elementis consta-  
rent , nisi fortè recurrent ad mo-  
tum , quem tamen in momento ex cubis , e. g. facere pyramides , aut sphæras &c. sane incredibile est ;

hinc adversarii quoque hoc respon-  
sum dare non solent , sed ad alia configunt .

156. Respondent itaque 1. plu-  
rima aliena corpuscula misceri cum flamma olei , adeoque huic non in-  
esse incredibilem quantitatem igni-  
culturum . Sed contra est primò . Non minor , sed forte copiosior flamma erumpit ex oleo magis de-  
fæcato , quam minus puro ; cùm tamen in illo adint pauciora aliena corpuscula , & flamma sit valde candida , adeoque magis pura . Se-  
cundò . Fuligo , quæ unà cum flam-  
ma erumpit , si præsertim oleum sit magis depuratum , est respectivè valde modica , & insuper magnam saltem partem ex particulis oleosis composta ; nam ex ea iterum oleum extrahi potest .

157. Tertiò . Est innegabile , quod igniculi constituent statum sensibili-  
lem flammæ : adeoque debent jux-  
ta adversarios alia corpuscula quo-  
ad quantitatem notabiliter excede-  
re , consequenter saltem notabili-  
ter ultra dimidium esse ignis , quod tanquam ignis appetat ; quare in  
dimidia olei libra debet latere tan-  
tus ignis , quantus sufficeret ad oc-  
cupandum spatiū ter millies ma-  
jus , quam occupet oleum : quin imò , si lux sit ignis , deberet latere  
tantus ignis , quantus sufficeret ad  
occupandum plus , quam totum  
globum terraicum .

An non autem meritò incredij-  
bile videtur , in tam modica quan-  
tita-

titate olei latere tantum ignem sinnè ullo sui indicio , si quis intellectu indifferente hoc secum recognitet ? Si quis fortè dicere vellet , igniculos tantum superficiem luminis , aut flammæ ambire , diceret apertè falsum : certè pari verisimilitudine quis diceret , corpuscula aquæ tantum in superficie maris hærere , & mare paucis aquæ guttis constare : sanè in medio flammæ non minus sentitur ignis , quam in medio mari aqua , nec minus in omnibus spatii partibus videntur.

158. Respondent 2. corpuscula ignea in oleo cingi , ligari , vel implicari , aliis corpusculis terreis , aëreis , & aqueis : & hinc impediri à motu incitato , qui vel maximè necessarius sit , ad prodendam vim calœfactivam , & combustivam : solvi tamen , & expediri ab igne extrinsecus admoto , ut debitum motum

acquirere , & vim suam exercere possint . Sed contra est . Est utique incredibile , quod elementum ignis tam violentum , ligari , aut impediri possit ab aliis multò paucioribus corpusculis , & quidem ita combinatis , ut facile cedant igni extrinseco : certè aqua longè magis resistit igni , quam oleum , & tamen , quando igniculi comparativè paucissimi ingrediuntur aquam , in aliquo vase igni impositam (per igniculorum enim ingressum adversarii calorem ut plurimum explicant ) quamvis etiam illi igniculi plurimis corpusculis aqueis circumdentur , tamen mox se à carcerebus liberant , & motum valde incitatum acquirunt , ac se sensibiliter produnt , atque aquam calidam , quin etiam fervidam , ac bullientem reddunt . Idem contingit in ipso oleo , si in vase aliquo igni imponatur .

## ARTICULUS XII.

### *Ulterior Probatio Conclusionis.*

159. Probatur jam etiam corrutabilitas aquæ , ex qua juxta dicta n. 147. legitimè inferatur ejus generabilitas . Probatur autem præcipue ex genesi plantarum , ac arborum sic . Plantæ , & arboreæ , ac earum etiam fructus , e. g. oleum , & vinum , potissimum crescunt , & nutriuntur ex aqua : ergo hæc debet corrumpi , ut ex ea

generetur , vel nutritur lignum , aut alia planta . prob. conseq. si aqua non corrumperetur , tunc arbor , vel planta esset , saltem potissimum partem aqua : sed sic non posset ex arbore , vel planta alia accensa , prodire tantus ignis , quantus prodire cernitur , ut probatum n. 153. ergo .

160. Major probatur in primis com-

communissimo omnium hominum, nullis præjudiciis præoccupatorum, sensu, quo censem, arbores, segetes, lactucas, & alias plantas, in hortis, & agris, maximè nutriti, & crescere ex pluviis, vel aliis aquæ irrigationibus, quas hortulanii adhibent; unde, si ea aqua incorrupta maneret, arbores, ac plantæ, potissimum partem aquâ constarent. Eadem major, quatenus affirmat incrementum plantarum, aut arborum ex aqua, probatur etiam pluribus experimentis, ex quibus famosum est illud Helmontii, quod etiam refert Boyle *Chym. scpt. p. 2. mihi fol. 39.*

Exiccaverat, & accurate ponderaverat nominatus hic Chymicus portionem terræ ducentarum librarum, quam dein vasi cuidam immisit, ac ramum salicis quinque librarum insevit, addito operculo, minutis foraminibus perforato, ut aëri necessario pervium quidem esset, at aliena corpuscula, saltem copiosiora excluderet. Inde ramum insertum per quinque annos aqua pluviali rigavit: intra quod tempus ramus ingens augmentum accepit; nam exacto quinquennio centum sexaginta novem librarum pondus habere deprehensus est, non computatis foliis, quæ singulis annis deciderunt: dum tamen terra rursus post rami extractionem excidata, ac ponderata, non nisi tres circiter uncias de priori pondere perdidisse inventa est.

*Tom. II.*

161. Similiter testatur Boyle *Chym. scpt. p. 2. mihi fol. 37.* ibi cucumeres, aquâ pluvia, vel fluviali rigatos, crevisse ad pondus decem librarum cum semisse, demptis ramusculis, & radiebus, etiam quatuor libras ponderantibus; cum terra iterum priore modo siccata, ac ponderata, non nisi sesqui libram amiserit. Idem scribit, sibi mentham, melissam, ac majoranum, in phiala, quam aquâ, ex fonte studiose haustâ, impleverat, valde notabiliter crevisse, atque adeò etiam odorem sparsisse: ergo, si aqua non corruptitur, in genesi plantarum, aut arborum, certè ipsæ plantæ, ac arbores saltem potissimum partem sunt aqua, qua scilicet præcipue nutriuntur, & ex cuius intus sumptione in tantam magnitudinem, ac pondus crescunt.

162. Respondent quidem adversarii, aquæ, maximè pluviali, immixta esse plurima aliena corpuscula: & quidem D. Woodvard (ut referunt *Memoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom. 1. an. 1707. Janvier a. 11. pag. 124.*) vult, ea esse terrestria, ex quibus plantæ nutrientur. Sed, ut nihil dicam, quod hac ratione saltem elementum terræ corruptibile esse debeat, quis credat, tantam quantitatem terræ, quæ tantis plantarum incrementis sufficeret, aquæ mixtam fuisse? certè experientæ, à Domino Woodvard adductæ, probant quidem aliqua corpuscula

K.

terrea

terrea in aqua latere , at non tantam quantitatem,

Alli configiunt ad alia corpuscula , & præsertim nitroſa , quæ in alimentum plantarum cedant : & hinc ajunt , Hamburgensibus conſuetum esse , calidum bovis ſanguinem arboribus affundere ; eoquod nitro ſit foetus ; cum ex centum libris ejusmodi ſanguinis ſex libræ nitri extrahi poſſint . Sed in primis arboribus exigua portio nitri ex eo ſanguine accedit , ſi quæ acce- dit ; neque enim centenarii , ſed aliquot libræ talis ſanguinis affun- duntur , idque fit ſemel in anno .

163. Deinde nitrum non eſt com- buſtibile , ſed tantum diſſuſum flammæ , ut teſtantur Burgundi , & doceſt experientia , quando per ope- rationem chymicam fit nitrum fi- xum ; nempe imponitur igni in ca- cabo nitrūm , quod brevi liqueſcit : inde immittuntur carbones in pul- verem contuſi , qui pulvis ſtatim igneſcit , & quoad maximam fal- tem partem magna vi in altum ex- pelliſtur , quo mox ingens flamma aſcendit : & , ſi carbo aliquanto major inter eum pulverem in ni- trum immitatur , iſtar trochi igni- ti gyratur , donec conſumatur : & haec immissio carbonum , in pul- verem contuſorum , tamdiu repeti- tur , donec nitrum quieſcat , ac in griseum pulverem conſtipetur , qui dein per deliquium chymicum in fluorem convertitur , resolutioni reſiduorum valde apqum .

Si autem nitrum combustibile non eſt , quomodo ex eo , ut ad- versarii volunt , lignum quoad ma- ximam partem conſtitui poterit ; cum hoc , præſertim ſiccum , ita combustibile ſit , ut moraliter to- tum in flammam abeat ? Evidem ex hoc infertur , in pulvere pyrio non omnes partes inflammarī ; cum etiam ex nkro conſtituantur : ſed hoc facile potest admitti ; modò enim ſulphur , & carbones , quæ duo lon- gè maximam partem pulveris pyri conficiunt , vertantur in ignem , fa- cilè ſufficiens materia præbetur flammæ illi , ut vel oculis patet , valde impuræ .

164. Tandem , eti non negaveri- rim , mediante aqua pluviali adve- hi quoque alia corpuscula , etiam ni- troſa , quæ in nutrimentum planta- ruum cedere poſſunt : eti etiam non negaverim , plantas quoque ex ter- ra , ſeu corpori culis ei immixtis nu- triri (hac enim de cauſa non omnis fert omnia tellus ; quia ſæpe eſt de- fectus alimenti congrui , vel rite diſpoſiti) attamen , quod tot adve- hantur , aut e terra à plantis attrahantur , corpuscula talia , ut non maximam partem plantæ debeant nutrirī ex ipſa aqua , nemo facile credet , niſi aduersarii melioribus rationibus id probaverint . Qued attinet ad aquam fontanam , aut flu- viatilem , ex ejus etiam maxima copia per plures diſtillationes vix ḡnttam alicujus liquoris inflamma- bilis elici poſſe , teſtatur experien- tia ;

tia; unde, et si cum ea affunderentur arboribus etiam aliena corpuscula, tamen non propterea sine ipsius aquæ corruptione explicari posset generatio ligni, ex quo postea accenso tantus ignis emicat.

165. Probari etiam potest, & solet corruptibilitas aquæ, ex variis operationibus chymicis, quibus ex aqua magna copia terræ extracta est, adeò, ut octava tantum pars aquæ superfluerit: quin testatur Boyle, aquam fluviatilē per ducentas distillationes fuisse penitus in pulverem conversam.

Probari jam solet generabilitas aquæ ex variis ægrotis, qui plurimum aquæ ex se reddiderunt, dum interim respectivè modicum cibum sumerent. Sic Schottus *Anatom. Physico-hydrostatis. l. 2. c. 1.* refert de quodam ægroto in Italia, quod per diem quidem septem libras eibi, & potus sumperit: ac interim per sexaginta dies quotidie triginta sex libras aquæ excernere solitus sit. Idem refert loc. modò cit. de alia persona, quod aliquot hebdomadarum spacio quotidie ducentas libras aquæ emiferit.

Quamvis autem hi ægri multum vaporum cum aëre per respirationem attraxerint, tamen etiam multum per eandem respirationem insensibiliter reddiderunt, ut adeò residui vapores, ad tot libras aquæ conficiendas, vel à longè non sufficerint: certè multum vaporum requiritur, ut vel unam libram aquæ

conficiant; unde, nisi in his casibus aër in aquam, vel phlegma conversus fuerit, hæc experimenta videntur explicari non posse.

166. His experimentis ferè simile est illud, quod refert Dominus Wenck Medicus Græcensis de foamina, quæ nil prorsus potus cujuslibet speciei, imò nil cibi succos, prænimia aversione ab omni liquido, poterat sumere: & tamen more aliis hominibus solito aquam excernebat. Idem probatur experimento Domini Chambon Archiatri regis Polonie Joannis Sobieski, qui certos sales, ex vegetabilibus, & mineralibus extractos, aëri exposuit, qui intra annum dimidia sui parte aucti sunt: quod fieri non potuit, nisi, ut auctor dicit, aër in eos sales transmutatus fuerit. vide *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom. 2. an. 1718. Avid. S. Academ. Casar. Leopold. pag. 138. item tom. 1. an. 1715. Janvier n. 14. pag. 146.* Equidem hæ rationes sunt bonæ: atamen priores, à genesis plantarum deductæ, videntur mihi clariores, & notiores, ac se solis sufficientes.

167. Probari jam quoque potest, & solet, generabilitas, & corruptibilitas aëris, ac terræ, variis experimentis, & quidem corruptibilitas aëris ex illis ægrotis, de quibus n. 165, nam in iis videtur aër debuisse converti in aquam. Generabilitas autem terræ probari potest ex operationibus chymicis, de

K 2 quibus

quibus cit. n. 165. ejus autem corruptibilitas ex origine fossilium; nam, postquam ex fodinis sulphureis omne sulphur effossum fuit, si denuo post quadriennium ad easdem redeatur, omnia iterum sulphure plena reperiuntur: item, et si fodinæ metallorum aliquando eyacuatæ fuerint, tamen post ali-quod tempus metallum in iisdem renatum fuisse invenitur: id quod præsertim de quadam ferri fodina in Italia Cæsalpinus testatur.

168. Hæ autem experientiæ non videntur posse convenienter explicari, nisi terra ipsa in sulphur, aut metallum converti dicatur; quamvis enim negari non possit, sulphureos spiritus, aut humores, seu suc-

cos metallificos, plurimum ad eas generationes conferre, tamen non videtur, posse ab iis satis subministrari materiæ pro gignenda tanta quantitate sulphuris, aut variis metalli, quanta postea inveniuntur, nisi terra in dicta fossilia converti dicatur. Evidem his experientiis suam vim, & efficaciam, nullatenus nego; quia tamen mihi videntur adversarii, iis posse responsiones non omnino incredibiles reponere, sufficit mihi probâsse generabilitatem, & corruptibilitatem ignis, & aquæ; ex ea enim ut probatum n. 147. & 148. legitime infertur etiam generabilitas, ac corruptibilitas, tam terræ, quam aëris.

## ARTICULUS XIII.

### Solvuntur Objectiones.

169. **O**B. 1. Aristoteles l. 2. de Gener. & corrupt. text.

49. ait: *Omnia autem mixta corpora, quacunque circa medii locum sunt, ex omnibus composita sunt simplicibus. & text. 50. Quod igitur omnia corpora ex omnibus constituta sunt simplicibus, dictum est: ergo juxta Philosophum elementa, ex quibus nempe corpora, seu mixta componuntur, sunt simplicia, adeoque ingenerabilia, & incorruptibilia.* Resp. dist. conseq. elementa sunt simplicia, id est, non sunt composita ex aliis elementis,

sicut ex his sunt composita mixta. conc. conseq. non sunt composita ex materia, & forma. neg. conseq.

Ita satis clarè explicat se Philosophus l. 3. de Celo. ubi text. 31. docet, mixtum esse, in quo sunt plura elementa (potentia, aut actu, ut ait; *hoc enim utro modo adhuc ambiguum est*) econtrà elementum esse, in quo non sunt plura: & sic text. 32. ait, in carne, & in ligno esse potentia ignem, & terram: ac text. 33. addit, in igne non esse carnem, aut lignum. Scilicet, ut habet Suarez disp. 15. Metaph. sec.

20. n. 55. elementa dicuntur nona composita in hoc sensu, quod non sint composita ex aliis corporibus, vel elementis, ex quibus tamen, vel actu, vel potentia inexistenter, composita sunt mixta: dicuntur autem elementa simplicia, & indivisibilia in hoc sensu, quod non sint resolubilia in alia plura corpora, vel elementa, sicut resolubilia sunt mixta.

170. Ob. 2. Idem Philosophus l. 2. de Gener. & corrupt. text. 21. ait: *Ignis autem est superabundantia caliditatis, quemadmodum & glacies frigiditatis . . . ideo nihil ex glacie generatur, neque ex igne:* ergo ignis non est corruptibilis; alias aliquid ex ipso generaretur. Resp. neg. conseq. Philosophus tantum vult, in igne, & glacie incorruptis, non posse generari animalia, herbas, & similia; horum enim generationem impedit excessus frigoris, vel caloris; quia impedit necessarias dispositiones: quod probat ipsa ratio ab Aristotele adducta: non autem vult dicere, nihil posse generari ex igne, & glacie, post eorum corruptionem; hoc enim ratio Aristotelis minime probat. Nec movere quenquam debet particula *ex*; nam saepe lumen pro particula *in*: sic dicimus: *Ex hac arbore, vel ex hoc agro, nil nascitur:* quod idem est, ac generatur: sic ipse Christus Dominus Matth. 21. v. 19. dixit ad ferculam: *Nunquam ex se fructus nascitur in sempiternum.*

171. Cæterum Aristoteles corruptibilitatem elementorum contra Empedoclem saepius satis probavit, & in primis l. 3. de Calo text. 52. ubi ait, elementa sempiterna esse non posse, adeoque debere corrupti, vel dissolvi, non dissolutione tantum in minores partes, sed vera corruptione: atque subjungit exemplum in igne dicens: *Duobus autem modis videmus corrupti ignem; nam & à contrario corruptitur extinctus, & ipse à seipso marcescens:* ac tandem concludit: *Quare necesse est, corruptibilia, & generabilia esse elementa corporum.*

Rursus, dum Aristoteles contra Empedoclem negat, veram generationem, aut corruptionem elementorum fieri, per eorum congregationem, aut segregationem, & affirmat, debere dari veram mutationem, utique satis ostendit, se eandem, quam Peripatetici adstruunt, generabilitatem, & corruptibilitatem, tanquam veram asserere. Audiatur igitur Aristoteles, qui l. 3. de Calo text. 56. sic scribit: *Empedocles igitur, & Democritus ignorant ipsi, seipso non generationem ex se invicem facere, sed apparentem generationem;* nam unum quodque, quod inest, segregari inquietunt, tanquam ex vase sit generatio, sed non ex quadam materia, neque generari mutato aliquo.

172. Scilicet juxta Philosophum est tantum apparentes generationes, quando corpuscula prius segregata,

& dein (ut bene exponit Maurus in *bunc locum*) quasi ex aliquo vase, in quod rursus collecta fuere, extracta, tantum de novo congregantur, seu combinantur: sed vera generatio debet fieri in materia mutata, hoc est, priore formâ privata, & novâ informata. Similiter l. 1. de *Gener.* & *corrupt.* text. 10. ait Aristoteles: *Sed non simplex, & perfecta generatio congregatione, & segregatione determinata est... est enim generatio simplex, & corruptio, non congregatione, & segregatione, sed cum mutatum fuerit ex hoc in hoc.*

173. Ob. 3. S. Augustinus l. de *Quantit. anim. c. 1.* comparat elementa animæ rationali quoad simplicitatem: ergo, sicut anima est itâ simplex, ut non constet ex pluribus partibus, etiam essentialibus physicis, itâ quoque elementa sunt itâ simplicia. Resp. 1. Anima etiam non constat partibus integrantibus: num etiam elementa iis non constant? Resp. 2. neg. conseq. S. Doctor non docet, paritatem omnimodam esse inter animam, & elementa quoad simplicitatem, sed tantum in hoc, quod, sicut elementa non constant aliis corporibus, itâ nec anima constet aliis elementis: an verò elementa constent materiâ, & formâ, an non, nullatenus decidit.

Quin S. Augustinus post multos annos, ab hoc libro de *Quantit. animæ*, Romæ paulò post suum da-

ptisimum scripto, circa hanc quaestionem (quam parùm curâsse videtur) adhuc dubius fuit; sic enim jam longo tempore Episcopus scribit l. 3. in *Genes. ad liter. c. 3.* *Quamquam de conversione elementorum etiam inter ipsos, qui hec oculos curâ subtilissime perscrutariunt, non parva questio est; alii enim dicunt, omnia in omnia posse mutari, atque converti: alii vero, esse aliquid omnino proprium singulis perhibent elementis, quod in alterius elementi qualitatem nullo modo vertatur; unde fortassis suo loco, si Dominus voluerit, diligentius disputabimus.*

174. Ob. 4. Atomis elementribus convenit definitio materiæ primæ: ergo sunt materia prima, adeoque ingenerabiles. prob. ant. atomi istæ non sunt *quid*; quia non sunt in certa specie physica; quod enim est in certa specie physica, debet ex n. 41. esse sensibile: atomi autem sunt insensibiles: neque etiam sunt *quantum*; quia sunt indivisibiles, nec habent extensionem: neque tandem sunt *quale*; quia, quando sunt in mixtis, non habent saltem sensibiliter, qualitates sibi proprias, sed tantum habent qualitates mixti, seu refractas: & sic de aliis partibus definitionis materiæ: ergo.

Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. quoad omnes partes; nam in primis atomi elementares sunt *quid*, sive sunt substantiæ compleæ, & ex materia, ac forma composi-

te, adeoque etiam in determinata specie, sicut alia corpora; non enim ad speciem physicam requiritur sensibilitas, & hinc dicta, n. 41. relata, non subsistunt; alias enim nullum ens spirituale, consequenter nullæ nostræ cogitationes, & volitiones, essent in determinata specie physica; cum tamen utique volitiones peccaminosæ sèpius differant specie. Insuper atomi istæ saltem sunt sensibiles in toto, quod plures conjunctæ constituunt.

175. Sunt etiam eadem atomi *quantum*; quia datur in ipsis quantitas cum primario suo effectu, qui est naturalis impenetrabilitas, licet non detur extensio actualis. Quod autem dicitur, eas atomos esse indivisibilis, distinguendum est; nam sunt quidem indivisibilis in partes integrales, seu continuativè unitas, & extra se positas: non autem sunt indivisibilis, sed divisibilis in partes physicè essentiales, seu informativè unitas, ac compenetratas, nempe in materiam, & formam. Tandem atomi dictæ sunt etiam *quale*, seu habent suas qualitates: e. g. aquæ habent frigus, ignæ calorem: quòd autem hæ qualitates in mixtis sint refractæ, nil obest; nam utique ipsa mixta, quamvis exigant eam refractionem qualitatum, tamen sunt quale, vel qualia.

176. Dices. Atomi elementares distributivè acceptæ nihil sunt actu; quia nihil sunt sensibiliter existens: sunt tamen omnia potentia; quia

ex iis possunt omnia fieri: ergo sunt materia prima. Resp. neg. 1. p. ant. vel ejus suppositum; nam actu esse non significat esse sensibile: sed communiter quidem significat realiter existere: hic vero, dum agitur de materia prima, & accipitur ille terminus in sensu restrictiore, significat esse actuum, seu ab aliqua forma informatum: quod utrumque convenient atomis istis. An, & quomodo sint omnia potentia, desumendum est ex decisione alterius questionis, nempe, an elementa maneat in mixtis formaliter, an tantum virtualiter, de qua alibi. Interim non nego, dici ex elementis aliquo modo componi mixta, ut adeò in aliquo sensu potentia sint omnia: at hoc solum non sufficit, ut sint materia prima.

177. Ob. 5. Ex iis res compunctionur, in quæ resolvuntur, ut habet receptum axioma philosophicum: sed omnia corpora resolvuntur in quatuor elementa, seu atomos Empedoclis: ergo etiam ex his omnia componuntur. prob. mi. si accenditur e.g. lignum, præsertim viride, resolvitur in ignem, qui apparet in flamma, in aquam, quam prodit humor exudans, in aërem, quem probat fumus, in terram, quam testantur cineres: ergo. Resp. 1. om. ma. quia, si in resolutione tantum se prodit aliquid, prius in poris mixti latens, non debet ex eo mixtum constitutum fuisse. Sed hoc omisso.

Resp.

Resp. 2. neg. mi. ad prob. neg. ant. nec enim in ista propriè resolvitur, etiam lignum, sed ea tantum apparent: responsio magis declarabitur ex mox dicendis. In primis, sicut non possunt ex omnibus mixtis elici omnia principia chymica, ut infra n. 287 ostendemus, ita neque possunt ex omnibus elici omnia principia Empedoclis: certè Boyle in *Chymista sceptico parte 1. dialog. sub finem mihi fol. 11.* provocat Empedoclis asseclas, ut sibi ex auro eliciant, non omnia quatuor, sed vel unum elementum: additque statim, neque ex argento, neque ex talco Veneto, neque ex aliis quibusdam, potuisse quatuor substantias heterogeneas elici; quin scribit, doctrinam de quatuor elementis habere imperfectiones tam conspicuas, ut ad eas detegendas tantum opus sit, oculos non claudere.

178. Quod spectat ad lignum accensum, etiam non potest efficaciter probari, elici ex hoc hæc quatuor elementa, priùs in eo latentia; nam in primis, si lignum sit valde exiccatum, humor sensibilis non exudat: dein verosimiliter non est aqua elementaris: tandem totus potuit latuisse facile in poris ligni, sicut & aëris, si quis sentitur exire; nam, quod quidam videntur velle, fumum esse aërem, non est verosimile; cùm fumus sit coagulum diversissimorum corpusculorum, nigrorum, unctuosorum, siccorum, &c. Sed neque cineres ex lignis

sunt terra elementaris; cùm magnam partem sint sales, & aliae particulae, adhuc substantialiter mixtæ, quæ, si à diversis rebus combustis relictæ sunt, etiam inter se plurimum differunt. Jam verò quod ad ignem attinet, quamvis aliquis in poris lignorum lateat, tamen potissimum, & quasi omnis de novo generatur, ut non inefficaciter probatum est à n. 151.

179. Si quis autem supponat, elementa manere formaliter in mixtis (de qua questione alibi erit agendum) tunc aliter, nempe sic distinguenda est major: ex iis res componuntur, in quæ resolvuntur resolutione ultima essentiali. conc. ma. resolutione non ultima essentiali. subdist. ma. ex iis componuntur compositione secunda. om. ma. componuntur compositione omnium prima. neg. ma. & dist. mi. corpora resolvuntur in elementa, resolutione non ultima essentiali. conc. mi. resolutione ultima essentiali. neg. mi. & conseq.

Si quis Peripateticus docet, elementa manere formaliter in mixtis, debet adstruere duplē compositionem, quarum prima est compositione materiali, & formæ in elementum: secunda verò est compositione elementorum in mixtum. Pariter debet adstruere duplē resolutionem, quarum prior est mixti in elementa: posterior, seu ultima, est elementi in materiam, & formam. Nec adstruitur gratis ista ultima resolutione

*Velutatio;* quis probata est omnibus iis rationibus, quibus probata est generabilitas, & corruptibilias elementorum.

180. Nec dicas, si elementa manent formaliter in mixtis, non amplius posse probari eorum generabilitatem; si enim hoc esset verum, eo ipso deberet negari, elementa manere formaliter in mixtis: at patrōni istius sententiae dicunt, hoc illatum esse fallūm. Si replices, corpora naturalia vocari mixta; eo quod componantur ex elementis inter se mixtis, & alteratis, ii quidem Peripatetici, qui admittunt, elementa formaliter manere in mixtis, id concedent: attamen negabunt, hanc esse primam compositionem: alii verò id omnino negabunt, ac afferent, mixta vocari ex eo, quod mixta in ipsis sint virtutes elementorum. Sed de hac controversia redibit multus sermo in Physica particulari p. 1. à m. 146.

181. Ob. 6. Ars imitatur naturam: sed ars nihil efficit, nisi aliquam figuram, combinationem, aut modificationem: ergo etiam natura nihil aliud producit. Confir. Si natura produceret etiam aliquam substantiam, nempe formam, tunc actio generativa esset sāpe perfectior, quam creativa: hoc est falsum: ergo. Resp. 1. retorq. arg. ergo etiam natura nullum producit vivens, sicut ars nullum producit. Resp. 2. neg. conseq. syllogismus enim habet quatuor terminos: in d.

terminus *natura* infertur in conclusione, quamvis non fuerit positus in præmissis.

Potest honoris causa distingui ma. ars imitatur naturam imperf. &c. conc. ma. perfectè eam affectuendo. neg. ma. & conc. mai. neg. conseq. Ad confir. neg. ma. nam perfectio actionis non desumitur tantum à perfectione effectus, sed etiam ex modo operandi, qui in actione creativa est longè nobilior. Sic etiam perfectio cognitionis non desumitur tantum ex perfectione objecti, sed ex modo tendendi: & hinc cognitio Angeli de musca est perfectior cognitione hominis de elephante.

182. Ob. 7. Non repugnat dari atomos elementares ingenerabiles, & incorruptibles, easque esse materiam primam, combinationem verò earum esse formam: ergo defacto dantur tales atomi. prob. conseq. hac ratione parcitur innumeris entitatibus, ac productionibus formarum: ergo. Resp. dist. ant. non repugnat absolute, om. ant. non repugnat in hoc universo, prout id modò est à Deo conditum, & ordinatum. neg. ant. & conseq. ad prob. neg. conseq. nam Deus auctor hujus universi non voluit ita parci entitatibus, ut adversarii volunt: sed voluit fieri generationes, & corruptiones, ut desumitur à posteriori, seu ab experientia. Dixi om. ant. nam, si adversarii volunt, etiam formas brutorum consti-

stera in solis elementis, certo modo combinatis, tunc negatur antecedens.

183. Ob. 8. Accensio, & calefatio, explicanda est per immisso igniculos: ergo nongeneratur ignis de novo. prob. ant. porosa facilis accenduntur, quam alia: e. g. facilis accenditur lignum minus durum præ magis duro; quia illud est magis porosum, adeoque igniculis magis pervium: item agyrtæ, postquam succo malvæ, vel ovorum albumine, & insperso alumine, manus obduxerunt, innoxie, ut a-junt, tractant ignem; quia scilicet in obstructos poros igniculi non possunt penetrare: ergo accensio &c. fit per immisso igniculos.

Reg. neg. ant. Ad explicandam quidem calefactionem aquæ, per immissionem igniculorum, à longè non debent admitti tot igniculi, quot ad accensionem, & consequentem conflagrationem ligni; unde forte posset aliquis hic interim omittere, quod ejus calefactio posset effici per immisso igniculos: non tamen ideo potest calefactio universaliter explicari per immissionem corporiculorum igneorum: certè calefactio, seu calor in speciebus evcharisticis, qui remanet ex pane, vel vino (nam istis, tanquam mixtis, aliquis calor est proprius, & connaturalis) non potest explicari per igniculos, ut infra n. 242. pluribus probabimus.

184. Ad prob. neg. ant. Certe

nec spiritus vini, nec oleum, tot habet poros, quot habet e. g. marmor; nam corpuscula spiritus vini, ac olei, in pores marmorum penetrant, ut patet ab experientia: immo ut referunt, etiam colores; quia, ut fertur, artifices Angli possunt efficer, ut effigies, in superficie marmoris depicta, isto postea facta, etiam in hujus interioribus partibus appareat (de quo vide Kleinbrodt *Mund. element. p. 1. q. 1. §. 2. n. 12.*) & tamen utique citius inflammatur oleum, & spiritus vini, quam marmor. Quod igitur aliqua corpora magis porosa aliquando facilis accendantur, refundendum est in aliam causam, nempe varias mixtorum proprietates, temperamenta, suo modo sulphurea, vel unctuosa, aut etiam formas, ex quibus aliquæ magis igni resistunt, quam aliæ.

Quod spectat ad agyrtas, cur non adhibent spiritum vini, aut oleum? nam & istis pori obstrui possent. Scilicet illa corpora, vel liquores, quos adhibent, potius frigore, vel humiditate viscosa, quam pororum obstructione, aliquamdiu impedit activitatem ignis: at non diu; neque enim diu agyrtæ ignem tractant: si tamen re ipsa ignem tractant, & non potius hominibus illudunt, sicut sapissime solent: ceterum etiam rustici innoxie tractant ignem, dum madefactis prius digitis candelam emungunt.

185. Dices 1. Aqua calida citius frigescit, si exponatur soli, quam si po-

ponatur in loco frigido : hujus ratio alia non potest esse, quām, quōd sub sole apertis poris citius avolent igniculi, qui constrictis in frigido poris non ita avolare possunt : ergo calefactio fit per retentos igniculos: consequenter etiam per eosdem immisso. Resp. neg. mi. Non quidem nego, in aquam, dum calefit, immitti aliquos igniculos, eosque etiam sub sole avolare : at nego ; in iis igniculis consistere calorem aquæ, aut eos solos avolare; nam sub sole evaporant etiam alia corpuscula, partim aquæ, partim heterogenea calidiora, & saltem respectivè leviora, à quibus liberata aqua remanens facilius potest recuperare nativum frigus.

186. Dices 2. Cryptæ in hyeme sunt calidores, æstate verè frigidiores : hujus iterum ratio non est alia, quām in hyeme retentio, in æstate emissio igniculorum : ergo. Resp. I. negant. ant. Burgundi *tom. 4. Philo. tr. 3. diff. 2. c. 2. conclus.* i. & testantur, in specu subterranea regii observatorii Parisiensis, per biennium examinatam esse hanc diversitatem caloris, & frigoris, nec tam ea deprehensam. Econtra ant. concedunt alii cum P. Nicolao Zucchio, qui eam diversitatem per triennium adhibito thermoscopio exploravit, cāmque dari deprehendit : de qua re plura inferius à n. 1534. interim om. ma. neg. mi. saltem in quantum loquitur de solis igniculis; nam retinentur, vel e-

mittuntur etiam complura alia corpuscula calida, vapores, exhalationes &c. quamvis negare nolim, otiam in cryptis esse multos igniculos, attamen in numero, & quantitate credibili, qualis numerus, vel quantitas non esset, quam adversarii volunt latere in accenso ligno, vel oleo &c.

187. Dices 3. Stomachus animalis in hyeme est calidior, & melius cibos digerit, quām in æstate: hoc iterum explicari debet per igniculos in eo retentos : ergo. Resp. neg. mi. potest enim explicari per alia corpuscula calida in stomacho retenta, atque etiam per calorem majorem, tunc in stomacho producētum, & quidem non ab igniculis. Certè hucusque nunquam potui mihi persuadere, ut absolutè concedam, calorem stomachi, seu etiam reliqui corporis animati, provenire præcipue ex igniculis ; neque enim credere possum, nos circumferre in nobis aliquam fornacem, verè elementari igne accensam: præfertim, cūm vix homo, vel aliud animal moriatur, & mox cadaver frigescat ; unde est incredibile, tot igniculos stabulari in corpore, ut calorem in animali producere possint ; alias saltem multo diutius post mortem eum conservarent ; cūm tam citò, & tam copiosè avolare non possent ; hinc mihi probabilius est, quōd ipsa anima præsens producat, & conservet calorem : at ea discedente forma cadaverica, in quo-

quocunque tandem conficit, potius tendat ad destructionem caloris. Rursus frigus potest provenire, immo acta provenit à diversissimis causis: & cur non etiam calor possit à causis diversis oriri? Unde mihi videatur valde probabile, calorem in animali ab ipsa anima vivente pro-

duci, similique calidos spiritus vitales, & hos in omnes corporis partes emitti: qui, si dein, poris frigore constrictis, retineantur in stomacho, vel aliis membris, etiam exterioribus, calorem majorem in iis producunt, aut conservant. vide etiam infrà n. 1533.

## ARTICULUS XIV.

### *Solvuntur aliae Objectiones.*

188. **O**b. 9. Si elementa essent corruptibilia, jam dudum debuisset corrumpi aér soli vicinus: atqui hoc non contigit post tot milia annorum: ergo. Resp. jam dictum esse n. 93 quod hic de cælis, ad quos spectat aér proximus soli, abstrahamus. Si autem quis contendat, illum aërem esse ejusdem speciei cum nostro, tunc quare, cur juxta adversarios non fuerit saltem apparenter mutatus in ignem, vel saltem totus dissipatus, ita, ut in ejus locum successerit ignis. Si dicant, conjunctionem corpusculorum aëreorum esse nimis tenacem, nec nisi difficillime solvi: contra est, quod ibi aér sit purus, nec habeat aliam conjunctionem, quam puram juxtapositionem unius atomi aëris ad alteram, quæ facillime cedit.

189. Dein pari jure dicere poterunt Peripatetici, formam substantiam aëris esse nimis resistivam, acc. facile admittere dispositiones

pro generando igne; nam aér proximus soli est purus ab aliis corpusculis, unctuosus, sulphureis, vel similibus, ad generandum ignem necessarius; ob horum enim defecum cineres non vertuntur in ignem; unde informa neg. ma. Adeo, quod aér non sit semper secundum easdem partes applicatus soli, propter varium solis, & ipsius aëris motum: consequenter sol non posset vim suam sat diu in eundem aërem exercere. Addit Kircherus in *Itinere extatico Dialog. 2. c 4.* planetas frigidos, & calidos, ita in universo esse dispositos, ut unus vim alterius attemperet: quo supposito poterit aér à frigidis planetis contra solis ardorem juvari.

190. Ob. 10. Potest dici cum Casato, quod in ligno, vel oleo accenso, non producatur semper nova flamma, sed perseveret prima: ergo potest sustineri, quod totus ignis latuerit. prob. ant. natura non producit substantiam, qualis est flam-

flamma, ut statim iterum intereat : ergo. Resp. neg. ant. Certum videtur, quod ex oleo, vel ligno, non tantum nascatur ea flamma, quæ post accensionem prima apparet, sed plurimæ alia : quod colligitur ex eo, quod toties nascetur nova flamma, quoties extingueretur, & reaccenderetur oleum, e. g. ab Angelo, qui, ut dictum n. 149. id posset sèpissime facere. Dein, si eadem flamma maneret, non absumeretur oleum ; cùm idem in individuo ignis non transiret ab una materia ad alteram.

191. Rursus videtur ad oculum patere, flammam esse valde inquietam, & statim sursum, vel tendere, vel trudi, nec in lampade, vel oleo diutius hærere ; hinc etiam facile in minutiores particulas dissipatur, quæ dein corpusculis humidis, & aquosis, quibus aër plenus est, non valent resistere ; unde ab his, licet non omnis ignis, tamen magna ejus pars, corruptitur. ad prob. neg. ant. nam natura producit substancias tales, quales utiles sunt universo, & tamdiu vult ipsas, ac earum proprietates conservari, quamdiu id universo est utile : cùm ergo universo utile sit, flammam, saltē quoad magnam partem, sèpe corrupti, producit eam facile corruptibilem : ex qua ipsa ratione adversarii communiter admittunt, eam conjunctionem igniculorum, quæ sensibilem flammam constituit, facile dissipari. Dixi, magnam

partem ignis, non tamen omnem ignem statim corrupti, dum desinit apparere, de qua re iterum infra n. 224.

192. Dices 1. Si debet produc̄t̄ies novus ignis, quoties eum produci diximus n. 149. & seq. tunc tantillum oleum non sufficit generationi tanti ignis : ergo. Resp. neg. ant. Certè de Lanis majorem, alii autem saltē eum numerum igniculorum, quem ibi assignavimus, adstruunt : sanc̄ Angelus toties accendere oleum, & accensum iterum extinguere posset ; unde debet oleum sufficere illi quantitati ignis generandæ. Scilicet materia olei prius condensata dein vehementissimè rarefit, ita, ut ex minima particula olei notabilis flam̄da prodeat.

193. Dices 2. Ergo poterit etiam dici, quod lateant in oleo tantum pauci igniculi, sed dein vehementissimè rarefiant, adeoque totus ignis, ex oleo promicans, jam latuerit condensatus, sed major post accensionem appareat ; quia rara factus. Resp. neg. illatum ; nam in primis, licet materia, e. g. olei, dum transit in ignem rarefiat, tamen juxta P. Fabri, ac alios quosdam, unus ignis non est rarer altero. Sed hoc omisso, utpote non satis probato, merito negatur, quod flammæ, promicantes ex accenso oleo, vel ligno, sint valde rares ; cùm sint satis dense, ut vel oculi monstrant, & adhuc magis ostendit earum vehementissima activitas,

tas, dum econtra ignis rarissimus, qualem plures adversarii volunt esse lucem, nec à longè ita calefaciat, minus ita accendat.

Accedit, quodd ad singulas flammas requiratur saltem unus igniculus condensatus, in oleo latens: igitur, ut probatum est n. 150. deberent jam latere in media circiter libra olei duo. millions, & plura adhuc millia igniculorum condensatorum, adeoque vehementissime activorum, sine ullo sui indicio, quod præter adversarios, sua opinione nimium præoccupatos, nemmo crederet. Nec dicas cum quodam adversario, ignem condensatum non urere; eoquod bonum universi id exigat; nam in primis, si Peripatetici similiter recurrent ad bonum universi, ridentur ab Atomistis: dein bonum universi id non exigit, sed potius experientia in ferro ignito contrarium aperte docet.

194. Dices 3. In silice, etiam si jaceat per plurimos annos in profundissimo mari, tamen perseverat idem ignis: ergo potest etiam idem perseverare in flamma. Resp. neg. conseq. Ignis in individuo non exigit alimentum ratione sui; nec enim crescit per intus sumptionem, ut plantæ: sed alimentum duntaxat exigit flamma, quæ semper est novus ignis; unde, cum in silice non sit flamma, sed tantum idem ignis in individuo, non indiget alimento: at aliud est in oleo, vel ligno

accenso, in quo datur flamma. Quin etiam igniculus, è silice excussus, nisi mox incidat in alimentum congruum, videtur statim extingui; quia scilicet ignis parvus, & solus, si aëri, & mixtis in eo plurimis corpusculis aqueis &c. exponatur, ab his brevi vincitur.

195. At non ita vincitur in silice; nam particulae silicis non sunt ita contrariae igni, sed potius excludunt contrarias particulas ab igne, qui stabulatur in angustissimis silicium poris, quos non possunt penetrare corpuscula igni inimica: insuper particulae silicis, dum impediunt proximam applicationem inimicorum corpusculorum ad ignem, faciunt, ut hic, ab iis immediate non infestatus, possit conservare calorem sibi sufficientem: sicut conservaret necessarium sibi calorem ignis in olla, vel cacabo benè clauso, etiam si mediis aquis maris circumdaretur; talis enim ignis, quamvis ob alias causas, quæ tamen igniculos in silice non infestant, deficeret: attamen nunquam extingueretur, præcisè ratione frigoris ab aqua producti: & hinc ignis intra silicem potest in medio mari diutissime durare.

196. Dices 4. Neque flamma exigit alimentum: ergo nulla solutio. prob. ant. montes ignivomi, e.g. Ætna, & Vesuvius, eructant immensas flammæ jam per plura fascula: atqui non potuit tamdiu tantis flammis tam immensum suppeditari

ditari alimentum: ergo. Resp. quærendo, an adversarii velint, totum ignem, hucusque ex illis montibus emissum, jam à mundi exordio in iis latuisse: an verò, novum postea ignem ibi fuisse collectum.

Si primum dicatur, est inexplicabile, cur non totus ignis simul eruperit; nam vis illa terribilis, quæ & ignea flumina, & immensas moles saxorum, ac cinerum, cum vehementissima concussione, non tantum montium, sed amplarum circa eos regionum, effundit, utique facile omnes igniculorum carceres perrupisset. Si autem dicitur secundum, tunc eadem via, quæ patuit novo immenso igni, patuit quoque novo necessario alimento. Verosimillime autem dicitur, sulphur, bitumen, nitrum, carbones fossiles, aut similia, per subterraneos meatus maris, ad eos montes devehiri (præsertim, cum montes ignivomi ut plurimum sint satis vicini mari: cum insuper Euro, mare ad Aetnam impellente, hic magis æstuet) & has dein materias à quibusdam ignibus subterraneis, suo tempore accendi, ac tandem à montibus eructari.

197. Ob. 11. In grano thuris latent innumera corpuscula, quæ implere possint satis capacem aulam, quin se prodant ante accensionem: ergo etiam possunt in ligno, vel oleo, latere innumeri igniculi, quin se prodant ante accensionem. Simile argumentum solet deduci ex

ligno Brasilo, quod vix aliquid perdit de suo pondere, quando eo tingitur, seu coloratur filum tam longum, ut æquet circulum maximum terræ: item ex grano æris, vel cupri, per aquam fortē, vel spiritum salis ammoniaci dissoluto, quod viridi colore tingit telam, aut aliud tam magnum, ut magnitudinem grani bis centies quinquages sexies millies adæquet.

Resp. neg. conseq. & paritatem. Argumentum, quo n. 151. probavimus generabilitatem ignis, non stat solum in eo, quod tot corpuscula nequeant latere: sed, quod latere non possint tot corpuscula ignea, tam activa, & violenta, quin ulla indicia se prodant in materia olei, ad effectus ignis valde disposita, nisi prius ab extrinseco adhibetur alius ignis, cui prudenter possit adscribi productio novi ignis: atqui nec corpuscula odorata, nec colorata, eodem modo se habent, adeoque paritas male inter ista instituitur.

198. Nam 1. odor thuris se prodit, quin adhibetur aliis odor, cui possit effectus illius adscribi: quin imò odor neque adscribi potest accensioni; nam haec non potest esse causa odoris; quamvis possit esse causa ignis, & hinc meritò ei adscribatur ignis novus, ex oleo emicans. 2. Odor jam ante accensionem se aliquantum prodit in grano thuris, quamvis non ita sensibiliter, sicut post accensionem: at ignis

ignis in oleo, vel ligno, vel etiam pulvere pyrio, nullatenus se prodit, et si oleum agitetur, vel lignum lima, aut pulvis pistillo, exteratur; cum tamen, si conteratur granum thuris, multò sensibilius, quam antè, ejus odor sentiatur. 3. Ignis est longè activior, quam odor, adeoque præ isto deberet se prodere, nec tamen se prodit.

199. Tandem 4. nullatenus potest probari, quod è grano thuris accenso prodeat tanta corpusculorum odoriferorum copia, ut cum corpusculis igneis, ex oleo prodeuntibus, possit comparari quoad numerum; nam ex media libra olei, ut probatum n. 150. prodeunt duo milliones, & sexdecim millia flammarum, quarum quælibet plures milliones minorum igniculorum continent: at nec à longè prodeunt comparativè tot corpuscula odorifera ex thure, cuius unum granum nullo modo implet aulam, sed tantum alias ejus partes, quæ simul sumpæ non adeò magnum spatium conficerent.

Quia tamen corpuscula illa facile, vel ab aëre, vel alio quoque motu, hinc inde feruntur, ideo à pluribus potest odor sentiri; eoque quod facile unum, aut alterum corpusculum ad nares cujusque devehatur. Et hæc dicta sint ex suppositione, quod odor propagetur per effluvium corpusculorum: quam suppositionem ego quidem lubens admitto: alii vero negant, & odo-

rem per species de novo productas propagari volunt: in qua sententia objectio hæc nullam vim habet, ut facile patet consideranti.

200. Quod jam spectat ad colorrem rerum, à modicissimo ligno Brasilo, vel ære viridi tintarum, e. g. telarum, vel filorum in maxima quantitate, fermè idem respondeo: nempe produnt se sensibiliter isti colores, quin adhiberi debeat aliis color, per quem sensibiles fiant: imò jam ante tinctiōnem, ex eis factam, sunt omnium oculis sensibiles. Dein his exemplis nil aliud probatur, quam ingens divisibilitas particularum coloris, ex qua tamen sola non duximus argumentum pro generabilitate ignis, ut jam dictum n. 197.

Neque tamen probari potest ex iis experimentis, tantam multitudinem particularum coloris, in tali tela, vel filo, comparativè existere, quanta copia igniculorum existere deberet in oleo, ut colligi potest ex n. preced. Maximè autem id probari nullatenus potest ab iis, qui etiam lucem dicunt esse igniculos; cum nulla prorsus sit comparatio inter spatium ab igniculis, ex minima olei guttula prodeuntibus, illuminatum, & spatium, à plurimo etiam ligno Brasilo, vel ære viridi tinctum, ut consideranti facile patet.

201. Quidam hæc videtur velle objicere experimentum de fungiario, vel titione accenso in gyrum

rum rotato, dicendo, quod, sicut tunc apparet ignis in toto circulo, in quo tamen toto non est, ita etiam possint plures apparere igniculi, e. g. in ligno, vel oleo, ubi non sunt. Sed hoc experimentum aquæ adversariis est solvendum, ac nobis, ut iterum patet consideranti. Equidem verum est, quod in hoc casu, propter maximam velocitatem motus, non bene discernat oculus locum, in quo ignis existit, & phantasia, seu etiam intellectus, decipiatur, dum putat, rem aliquo momento existere ibi, ubi non est: & præfertim id etiam ideo in hoc causa fit; quia ignis rotatus celerrime reddit ad locum desertum. Sicut etiam potest fieri, ut res, in se maximè visibilis, propter celeritatem motus omnino non videatur: sic nemo videt globum, ex tormeato, vel sclopeto exploso excussum, si ambi ante oculos transvolet: qui tamen, si lentiùs per aërem moveretur, per longum spatum videatur. Sicut etiam, si funis igniarius, aut ticio accensus, lentiùs moveretur, vel æquali tantùm celeritate per circulum longè majorem, non totus circulus videretur igneus.

Scilicet celeritas motus facit, ut species, nimis celeriter sibi succedentes, phantasiam turbent, aut decipiunt, ut non bene discernat unum locum ab altero, ad quem res celerrimè transit, vel reddit, neque etiam bene discernat unum obiectum ab altero maxò succedente.

*Tom. II.*

Econtra etiam sit, ut res valde distantes, & celerrimè motæ, videantur quiescere, e. g. luna, vel sol, callo sereno splendens: cuius phænomeni ratio est, quod spatia, medico tempore per lunæ motum confecta, ob nimiam distantiam non faciant in retina angulum sensibilem, adeoque ab invicem non discernantur; nam, ut Opticis clarum est, res, quo magis ab oculo remotæ sunt, eo minorem angulum in retina faciunt: & hinc remotissima sæpe faciunt nullum, saltem sensibilem angulum, atque omnino non videntur.

At aliud est de igniculis ligni, vel olei; hi enim in eodem loco successivè generantur: & circa eos nulla est similis causa deceptionis phantasiarum, vel intellectus, ut hic existimet, adesse tot millia igniculorum, quando adessent tantùm pauci. Certè calculus à nobis n. 150. initus circa numerum flammularum ex ligno, vel oleo erumpentium, est justus: &, licet forte de Lanis, dum singulis minutis secundis numeravit triginta flammulas avolantes, aliquousque deceptus sit, tamen de viro illo nemo meritò suspicari potest, quod deceptus fuerit ultra duas tertias; cum tamen nos tantùm tertiam partem, numeri flammularum ab eo asserti, scilicet ex triginta tantùm decem, supponamus.

202. Ob. 12. In nostro systemate deberet generari ignis, quando

M

nulla adest ejus causa: hoc non potest admitti: ergo. prob. ma. quando chalybe percutitur silex, prossilit ignis, cuius nulla potest assignari causa: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. ant. sive nego, in hoc casu omnem ignem generari: item non posse ignis de novo generati assignari causam. Dico itaque, in silice, vel pyrite, seu ejus poris, latere aliquos igniculos, ut jam dictum n. 194. & 195. neque incredibile est, aliquos latere in silicibus, qui sine injuria mixtis imperfectis accenseri possunt: quamvis incredibile sit, tam multos latere, quam multos adversarii fingunt, latere in oleo: præsertim, cum in silice igniculi se prodant, absque applicato igne extrinseco, quod in oleo non fit.

Non tamen ideo latet jam totus ignis in silice, qui ex eo prosilit, sed tantum minima pars ipsius: longè major autem de novo generatur; nam, dum per affrictionem chalybis igniculus aliquis minimus ē suo quasi carcere circuminsidentium aliarum particularum solvitur, statim sibi adgenerat alias particularias oleofas, aut sulphureas, quas in silice adesse probat odor, qui simul sentitur: quæ particularē sulphureæ, cum etiam minimæ sint, facile eorum frigus, si quod adest, etiam minimum, vincitur ab igniculo, per calorem magis activum, atque per affrictionem chalybis, & commotionem ignis, ac sulphuris adjuto.

203. Dices i. Ex silice mediocris magnitudinis possunt elici multa millia igniculorum: ergo, vel latet in eo valde magnus ignis, vel valde multrum sulphur: neutrum juxta nos potest convenieanter admitti: ergo. Resp. neg. i. conseq. Ignis intra silicem est longè magis condensatus, quam, dum prosilit, & potest rarefactionem, non quidem tantam, quantam aliqui adversarii adstruunt, quasi immensam, sed tamen satis magnam admittere: quo posito ignis prius in silice latens, & postea prosiliens, potest occupare tantum spatum, quantum occupat scintilla prosiliens, quod sufficit ad hoc, ut multa millia scintillarum excuti possint; eoque ignis, dum in scintillas prosilit, valde rarefiat, & jam aliquot mille vicibus majus spatum occupet, quam prius, dum adhuc in silice latuit, occupaverit.

204. Accedit quod non totus ignis, qui promicat, jam in silice latuerit, sed maximam partem de novo generatus sit, ut dictum n. 202. Accedit ulterius, quod, ut Burgundi tom. 4. *Philos. tract. I. diff. 3. c. 2. conclus. I.* testantur, igniculi, ex pyrite prosilientes, si microscopio inspiciantur, apparet tanquam particulae pyritis, & chalybis, in vitrum conversæ, rotundæ, ac politæ; unde dici potest, quod ignis, dum promicat, etiam jam aliquo sulphure adgenerato austus, tamen adhuc sit prorsus exiguus, & apparentia ejus aug-

augeatur plurimum, per conjunctionem ei substantiam quasi vitream, ea ferè ratione, qua globus vitreus auget apparentiam candente accensæ, retrò ipsum positz, quam paulò remotius aspicientibus prorsus ingentem apparere facit; quare, cùm adhuc multò minor sit idem igniculus, dum latet in silice, certè modica quantitas ignis, in silice dispersim latentis, sufficiet ad hoc, ut plurima igniculorum millia excuti possint.

Hinc neque mirandum est, quod isti igniculi, tam modicæ quantitatis, se in lapide non prodant, utpote obvallati incomparabiliter pluribus aliis silicis particulis, & quidem habentibus tenacem, & divisibilitati valde resistenter conjunctionem, quæ ab igne difficillime vincitur. Sicut autem isti igniculi sunt valde parvi, ita etiam modicum sulphur eis, etiam quoad partem maiorem generandis, sufficit, præsertim, cùm materia sulphuris, dum in ignem vertitur, maximam rarefactionem subeat, sicut n. 192. dictum est de oleo.

Dices 2. Sensus communis judicat, ex silice generari igniculos: ergo, vel nihil probat, vel hæc responsio non est bona. Resp. neg. ant. Certè universaliter non judicatur, quod solus affrictus chalybis ad silicem sive alia causa producat novam substantiam: imo, cùm silices vocentur pyrites, seu lapides igniarii, cùm etiam dicantur

excuti igniculi, planè judicatur, aliquos in iis latere. Interim juxta nos multus de novo ignis producitur, ut modò dictum: non autem generari omnem, probat defectus causæ, potentis omnem generare. Accedit, neutquam incredibile esse, paucos igniculos latere: sicut tamen incredibile est latere innumeros, ut adversarii asserunt. Idem respondendum circa alia experimenta, ubi similiter manifestus est defectus causæ, potentis ignem producere; tunc enim hic ipse defectus sufficienter probat, contra sensum non communem, sed tantum aliquorum ex vulgo, admitti debere latentes aliquot igniculos.

205. Quæres, cur, si igniculi lateant in pyrite, se non prodant, aut prosiliant, quando pyrites lima subtili, & quidem lentè, ne incandescat, in pollinem, seu pulvrem redigitur. Resp. 1. hoc multò majore jure à nobis quæri ex adversariis, qui incomparabiliter maiorem copiam igniculorum admittunt in silice; eoquod juxta ipsos nullus ignis de novo generetur. Resp. 2. in dato casu igniculos insensibiliter ayolare; cùm se solis, prout in silice sunt, verosimiliter insensibiles sint, nec in eo casu aliquid sibi adgenerent, quo sensibiles fiant; nam igniculi, nisi adjuventur à motu, & vehementi affrictione chalybis, etiam sulphur atterentis, & aliquo modo calore, vel alia dispo-

dispositione præparantis, nequeunt istud in se convertere. Certè experientia habet, per vehementem allisionem chalybis igniculos excuti, non item per lentam limationem: nec adversarii meliorem hujus rei rationem dare possunt, aut certè ea etiam serviet nobis.

206. Noto hic etiam, juxta nos magnum esse discrimin inter lucem, & ignem; illa enim longè latius diffunditur, & ab igniculo etiam exiguo in magnum spatiū; unde, quando objicitur, duos filices, in tenebris ad se invicem allisos, ad singulas allisiones aliquam lucem emittere, quamvis nulla scintilla profliat, respondendum est, eam lucem adeò debilera esse, ut de die non videatur; hinc ei emitendæ sufficit igniculus adhuc longè minor, quam, qui ad allisionem chalybis proflire videtur: & fortè poterit idem igniculus sèpius tandem lucem emittere, si nempe per attritionem minus fortè nondum penitus carcere suo solvatur, sed

tantùm paries, ut ita dicam, crassior, per attritionem fiat subtilior, & igniculus adgenerato sibi medicissimo sulphure austus, aliquantum transpàrere possit: sulphure autem consumpto mox iterum insensibilis lateat, donec alia nova affrictione posita iterum sensibilis fiat.

Evidem hoc timidè, & dubitanter dico: attamen non videtur, omnino impossibile esse ex eo, quod suprà n. 204. ex Burgundis allatum est, nempe in scintillis profiliens videri aliquid instar vitri diaphanum: & alias notum est, silices per ignem in vitrum converti. Sed & responsio adversiorum, quamcunque daturi sunt, ad hoc quæsitum, sua difficultate non carabit; nam dicere, quodd ad singulas afflictiones silicium profliat copiosus ignis, præsertim tantus, qui tanquam lux totum cubiculum impletat, est aliquid afferere, quod nulla prorsus ratione verolumile reddi potest.

## ARTICULUS XV.

### *Solvuntur Aliæ Objectiones.*

207. Simili aliquo modo solvuntur etiam aliæ experientiæ objici solitæ, quarum magis celebres hinc, quantum fieri potest, paucis explicet: simul tamè observo, in omnibus, quæ contra nos affectuantur, experimentis, semper ignem

se prodere, quin extrinsecas ignis accedar, in quo ingens est disparitas inter hos casus, & illos de oleo, ligno, spiritu vini &c. quos in nostra probatione adduximus.

Itaque primò in calce viva latent adhuc igniculi, intra fornacem ingressi

gressi, qui affusa aqua probabiliter propter antiperistasis, (de qua infra n. 1552.) vel propter aliam causam quamcunque, colliguntur, sequunt aliquamdiu contra aquam defendunt, atque hanc per reactionem calefaciunt, donec ab ea suparentur. Ubi noto, calcem vivam hoc est, neandum aqua extinctam, debere esse, recens confectam; si enim multum temporis fluxerit, ex quo confecta est, aquam non amplius calefacit; quia igniculi per poros calcis sat latos avolaverunt.

208. Noto insuper, debere accipi magnam comparativè quantitatem calcis; alias vix modicus stridor calcis advertitur, nec aqua valde calefit: & hinc in calce non latet valde magna copia igniculorum, præsertim, cum isti initio, quando aquam calefaciunt, hanc in minutæ partes distractam (dum scilicet poros calcis subit) aggrediuntur, quod facilius est; postea enim aqua copiosius affusa calcem igniculis exuit, & paulò post seipsam ad nativum frigus reducit.

Pariter latent igniculi in scobe ferri, qui sulphur sibi conjunctum possunt accendere. Sic D. Leméri (ut ex historia Academiæ Regiæ Parisiensis referunt *Memoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* tom. 4. an. 1703. Octobr. a. 162. pag. 1716. tempore ætivo infudit terra, massam 50 librarum, mixtam ex 25 libris scobis ferreis, atque 25 libris sulphuris pulverizati,

priùs aquis subactam: tum post 8, vel 9 horas, terra tumefacta se aperuit, & initio vapores sulphurei, ac tandem flammæ eruperunt: quæ scilicet ortæ erant ex sulphure, ab igniculis in scobe ferri latentibus, & fermentatione agitatis, atque quasi excussis, accenso.

Si quæras, cur non luceant igniculi è calce avolantes, & neque etiam quidquam accendant. Resp. 1. hujus rei rationem potius petendum ab adversariis, ut dictum n. 205. Resp. 2. igniculos istos se solis esse minimos, nec sufficientes ad emittendam lucem: neque etiam posse facile aliiquid sibi adgenerare in calce; cum omnis, vel saltem ferme omnis unctuosa materia, quæ priùs in lapidibus calcariis fuerat, consumpta sit ab igne, ad calcem conficiendam adhibito; hinc etiam laxa, in calcem redacta, multum de pondere priore perdiderunt.

209. An autem calx viva post affusam ei aquam nihil accendat, si e. g. sulphur, vel alia ei commisceantur, nova quæstio est, de qua legi possunt apud Schottum *Magia naturalis universalis* p. 4. l. 2. synagm. 2. de pyrotech. antiqu. c. 2. §. 3. citati ab eo auctores, qui contendunt, propriis suis experimentis comprobare, mixturam quandam ex sulphure, nitro, & calce viva inflammari, si affundatur aqua. Si tamen sulphur, etiam contusum in pulverem, non accenderetur à tali calce, dicendum fore, particulas,

culas, quantumvis contusas, tamen esse adhuc in comparatione illorum igniculorum nimis magnas, adeoque ab his vinci non posse: si quæ scilicet, si parvus carbo ignitus applicatur magno frusto sulphuris, istud non accendit.

210. Secundò. Si ex ossibus leonum, pellibus felium, vel etiam capillis quorundam hominum, & similibus rebus, paulò vehementius commotis, aliquando videntur profilire aliqui igniculi, sunt forte sèpius tantùm exhalationes lucidæ; quia nihil accendant (de quibus infra n. 230.) vel certè sunt igniculi pauci, exigui, rari, ac debiles; unde sat facile potuerunt in poris illorum corporum latere: & paulò plures, quamvis non omnino multi, etiam possunt latere igniculi, in quibusdam lignis, qui, dum ea ligna vehementius ad tornum mutuò atteruntur, motu hoc agitatî, & à quibusdam corpusculis, activitatem eorum impedientibus, liberati, possunt sibi adgenerare aliquid materiae unctuose, vel bituminosæ, cuius semper aliquid in lignis est: sic autem aucti igniculi possunt tandem inchoativè ligna amburere, seu denigrare: quin fortè etiam aliquando pro majore copia, & dispositione bituminis, vel alterius materiae, igni generando aptæ, maiorem effectum producere.

Quando autem integræ sylvæ subito concipiunt flamمام, quin ignis studiose admotus sit, ea ac-

cenfio non est effectus igniculorum, in arboribus priùs latentium, sed vel solis, vel igniculorum, in aëre vasto dispersorum, è quibus etiam fulgura, tonitrua &c. oriuntur: qui igniculi, tum bituminosas exhalationes, tum ipsum ex arboribus defluum bitumen, aut plenum accendent, ac ignem propagant.

211. Tertiò. In pipere, à quo sumpto incalescit lingua, & stomachus, non est necesse, admittere igniculos, vel calorem virtualem, à pipere acreidine distinctum; nam calor ille linguae, vel stomachi, non causatur à pipere, nisi valde remotè: proximè autem, & verè causatur, vel ab anima, vel à spiritibus vitalibus illuo confluentibus, ubi acredo piperis organum, vel membrum animalis vehementius, ac sensibilius, ut ita dicam, pupigit, & molestam sensationem causavit. Eadem responsio etiam dari potest, si objiciatur, à vino frigido sèpe magnum calorem in stomacho, ac reliquo corpore causari.

212. Quartò. Lux cærulea, quæ ex crystallo, coti aquis madenti, & rotatae, admota, seu affricta, ac sic limata, constanter emicat, ut verum fatetur, non adeò facile explicatur. Sed nec adversarii juxta sua principia facile dant rationem, cuius non lignum eodem modo coti admotum similiter luceat; cum plures igniculos, quam crystallus, in

**se** continere debeat: certè debent etiam ipsi configere ad occultas quasdam dispositiones in crystallo, quæ non dentur in ligno.

Resp. directe. Vel crystallus in certis circumstantiis ipsa potest producere lucem, ferme, ut cicindelæ, aut ligna putrida; quia videtur illa lux crystalli esse sine omni igne; nam nec pulverem pyrum accendit, ut ab experientia habetur: vel, si hoc dici non potest, dicendum est, quod crystallo insint aliqui, non tamen omnino multi igniculi, sicut mûlque aliquod nitrum, & sulphur, aut aliud quid unctuosum; similia enim in mineralibus, inter quæ etiam est crystallus, ordinariè solent latere: nitrum autem potest efficiere, ut igniculi possint, tum in aqua durare, tum in eadem sulphur accendere; nam, ut Burgundi *som.* 4. *Philos. tr. i. differt. 3. c. 2. conclus.* 3. testantur, pulvis pyrius inter aquas ardet; quia nitro est mixtus. Itaque per illam vehementem cotis affictionem crystallus incandescit, & igniculi excitantur, atque per aliquid sulphuris sibi adgeneratum fiunt sensibiles, ferme, ut n. 204. Et 205. dictum est de igniculis in slice.

213. Potest autem sat modicum sulphur, & sat modicus ignis, toti illi apparentiæ sufficere; nam potest dici, sulphur ab aqua per cotem defluente madefactum lentè consumi (videmus enim etiam pulverem pyrium madefactum lentè, & success-

sive accendi) adeoque modicum sulphur posse diu durare. Insuper flammula est valde tenuis, adeò, ut, prout jam dictum, nec pyrium pulverem, in eam injectum, accendat, estque cærulea, adeoque pluribus aqueis, aut aliis corporeulis mixta: ulterius etiam longè minor est, quam appareat; cum ipsa crystallus, ratione multiplicis refractionis, aut reflexionis, eam augeat. Fortè etiam (ut n. 206. dictum de luce ex duobus silicibus mutuò sibi allis emicante) igniculi non semper penitus prodeunt, sed tantum transparent.

214. Quintò. De Phosphoro experientia docet, quod semper debeat conservari in aqua; alias enim ignescit, & consumitur: quodsi ex aqua extrahatur, & affricetur modice vestibus, vel alteri rei mox, vestes, vel illæ alia res, tenui aliqua flammula lucent: quodsi saepius, vel vehementius Phosphorus vesti affricetur, ita, ut plura ejus corpuscula vesti inhærent, hæc omnino amburitur: quin, si Phosphorus non iterum brevi in aquam reponitur, ardere, ac etiam liquefieri incipit, & in quidquid combustibile incidit, illud amburit. Ex his videtur colligi, quod in Phosphoro lateant multi igniculi: reliqua autem materia ad eum conficiendum adhibita (nam est artefactum quoddam chymicum, ad modum alicuius terræ, vel cretæ) sit valde disposita ad concipiendum ignem; & hinc

hinc debet servari in aqua, à qua per antiperistasis compescitur ejus vis activa.

215. Non tamen aqua potest penetrare omnes illius poros, in quibus latent igniculi; non enim potest hos omnes extinguere: interim tamen madefaciendo particulas Phosphori unctuosas &c. impedit, ne statim accendantur. Quando autem Phosphorus extra aquam extrahitur, igniculi, ab hac sibi inimica liberati, vim suam mox exerunt, & corpuscula vesti affricata consumunt: vel etiam in materiam inflammabilem sibi conjunctam agunt, ac adgeneratis sibi novis ignibus aucti, eam, nisi Phosphorus mox iterum in aquam reponatur, omnino consumunt. Utique autem non est paritas à Phosphoro ad oleum, vel lignum, in quibus igniculi non debent aqua coërceri, ne se prodant, quamvis eorum materia sit, valde disposita ad ignem concipiendum.

216. Sextò. Quando fœnum humidum, sive gramen necdum siccatum, invehitur in fœnile, saepe oritur inde incendium; unde debent in tali fœno, vel gramine, latere aliqui igniculi, nisi forte lateant in rore, aut pluvia; quibus fœnum madet; si enim gramen non est siccatum, ordinariè est adhuc à rore, vel pluvia humidum, quibus fit madefactum, vel, cum adhuc stetit, vel, quando jam demessum foris jacuit. Adeſt etiam in fœno,

vel gramine humido aliquid fulphuris, & nitri; quia aér, ros, & pluvia, semper secum advehunt similes exhalationes; & accedit ipse succus nutritius, in gramine adhuc contentus. Jam hi humores, & exhalationes, vel, quia sunt in fœnili clausi, vel, quia superjacente alio gramine sunt gravati, & arctati, incipiunt calefieri, ac fermentare: tum verò igniculi sulphur fermentans, ac calefactum facilè accendent: nitrum autem flammam exortam diffundit, & sic oriri potest incendium, quo non tantum fœnum calore ignis successivè siccatum, sed & fœnile, aut ædificium corripiatur.

217. Septimò. S. Augustinus scribit l. 21. de Civit. Dei c. 5. in Epiro reperiri certum quendam fontem, in cuius aquas immissæ faces extinxerat mox reaccendantur. Quodsi ita se habeat, an adversarii dicere audebunt, tot igniculos, in aqua perfrigida, & quavis quasi ejus parte, collectos adesse, quot ad faciem accendentiam requiruntur; cùm tamen in aqua calidissima nunquam tot adsint? Igitur & ipsi nobiscum dicere, vel divinare debebunt, fontis illius aquas multum bituminis, vel unctuosí eujusdam humoris, secum vehere, igniculos autem quosdam adhuc in face recens extincta invisiibiliter adesse, qui materiam illam ellychnio adjunctam, & igni generando aptam, irse convertant, atque sic sensibilem, & reaccep-

accendendis facibus, sufficientem ignem producant. Interim etiam refertur, de quadam aqua prope castrum Miribel, tribus leucis distans Gratianopoli in Gallia, quod quidam olim existimaverint, eā faces accendi; cū tamen istae non accenderentur eā aquā, sed igne, prope illam aquam ē terris sulphuratis s̄epe erumpente: putaturque opinio illa falsa exinde orta fuisse, quod olim fluviolus ille infra illas terras flagrantes decurrerit, ita, ut tantum per aliquam scrobem, quam ignis, partem terræ devorans, fecerit, quasi puteus apparuerit, cujus ori, ignibus ē terrestri crepidine erumpentibus inflammato, faces dein admotæ accensæ sint. *vide Memoires pour l' Histoire de sciences &c. à Trevoux tom. I. an. 1702. Juillet pag. 9.* Si idem dici posset de fonte in Epiro, solutio experimenti sat facilis foret.

218. Octav. Sunt aliqui liquores, qui soli, & seorsim, sunt tori quanti frigidū, & quieti: at, si commisceantur, strident, fumant, & incandescent: tales sunt spiritus nitri, & vitrioli: item aqua fortis, seu spiritus vitrioli, & spiritus tartari: item spiritus nitri, & salis armoniaci: quin etiam quidam referunt, lignum qualecunque immissum oleo vitrioli subito fumare, acsi combureretur. Si ergo queratur causa istorum effectuum, & maximē caloris, repono in primis, me jam dixisse n. 187. mihi non esse persuasi.

Tom. II.

sum, quod unica causa caloris sit ignis. Sanè non est improbatum, quod, sicut animal, ab extrinseco determinatum, potest producere sensationem sibi maximē doloriferam, adeoque violentam, ita etiam talis liquor, ab alio liquore confuso determinatus, possit producere calorem, sibi alias violentum.

219. Certè Peripateticis communiter est receptum, omnia mixta, inter quā probabilit̄ sunt etiam tales liquores, exigere aliquem calorem, eumque in se conservare, atque amissum reparare; cū tamen longē pauciores, saltem olim, admiserint, elementa manere formaliter in mixtis. Si autem ipsa mixta, absque elementis formaliter præsentibus, possint producere, modò frigus, modò calorem, cur non dicatur, etiam istos liquores pro variis circumstantiis producere unum, ac alterum, & consequenter etiam aliquam ebullitionem, & evaporationem?

Si tamen hoc dicere non placeat, dicendum erit, in his liquoribus esse aliquos igniculos occultos, qui, si per mixtionem liquorum conjungantur, plus possint efficere similes, quā seorsim potuerint: & per tales igniculos explicandum est experimentum, quod referunt *Memoires pour l' histoire des sciences à Trevoux tom. 3. an. 1710. Juillet. n. 96. pag. 1162.* ex Domino Poliniere, nempe, quod, si oleo caryophyllorum immittatur pulvis pyrius, &

N

postea

postea superinfundatur spiritus nitri bene depuratus, oriatur fermentatio sociata flammis, ac pulvis pyrius accendatur. Addendum, ipsum motum confusionis liquorum, atque etiam eorundem acredinem, conducere posse ad solvendos quosdam carceres igniculorum, qui soluti dein causare possunt aliquam ebullitionem liquorum : quæ tamen cum brevi cesseret, non videntur ad eam causandam necessarii plures igniculi, quam proportionaliter lateant in calce viva.

220. Quod spectat ad lignum, in oleo vitrioli fumans, tentavi experimentum illud : sed non successit : intinxi dein lignum in spiritum nitri, atque admovi tantum orificio ampullæ vitreæ, in qua erat spiritus vitrioli, & incepit aliquantum fumare : tum admovi orificio ampullæ, in qua erat spiritus salis armoniaci, & subito incepit longè magis fumare lignum, sed non nigriscere. Quare non aliud ex hoc experimento probatur, quam, quod spiritus salis armoniaci, vel vitrioli, spiritum nitri ligno adhærentem, sub forma vaporis expellat ; vel etiam expellat exhalationes nitrosas, aut similes, si quæ in poris ligni hærent. Ethæ sunt experientiae de igne, quibus alia similes similibus responsis proportionaliter solvendæ sunt; neque enim omnes, utpote

quasi infinitas, afferre possibile est : addenda experientia de aqua.

221. Decimò. Ex variis mixtis, præsertim herbis, aut floribus, ut rosis, melissis, boragine &c. extrahitur per distillationes chymicas magna copia aquæ, vel alterius liquoris : & facile credi potest, omnem eum liquorum, sive re ipsa aqua elementaris sit, sive non, in ipsis jam prius latuisse ; nam etiam sine igne, sola attritione, & compressione, ex floribus, aut herbis viridis, multus liquor exprimitur. Non tamen ideo etiam credibile est, tantam aquam latere posse in ligno sicco, quanta latere deberet, si aqua omnis, qualignum nutritur, incorrupta maneret.

Quando autem ligna, vel terræ, per famosum Helmontii *Alcakesch* convertuntur in aquam, dicendum est, quod vel hoc ipsum Alcakesch, ut potè acerrima vi dissolvendi, & corrumpendi præditum, magnam partem ligni, vel alterius materiæ convertat, non in aquam elementariam, sed in liquorum sibi quidem re ipsa similem, at ob multas mixtas particulas heterogeneas minus acrem, & minus activum : vel quod quandoque materia prius secca sine mutatione substanciali redditur fluida : sicut aurum manens aurum fit potabile. Restant paucæ objectiones art. seq. solvendæ.

## ARTICULUS XVI.

## Solvuntur Relique Objectiones.

222. **O**B. 13. Non potest assignari causa destructiva ignis: ergo probabilius nunquam destruitur, adeoque nec generatur. prob. ant. quando e. g. extinguitur candela accensa emundtorio, aut duobus digitis: vel quando extinguitur alius ignis injecta arena, aut etiam affuso nimio oleo, ista non possunt destruere ignem, & alia causa non adest: ergo prob. ant. causa destructiva formæ prioris debet esse causa productiva formæ novæ in materia, ne ista maneat sine forma: sed nec emundtorium, nec digitus, nec arena, nec oleum, possunt esse causa productiva novæ formæ, & nulla alia in his casibus adest: ergo nulla adest causa destructiva prioris formæ. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 2. p. ant. ad prob. om. ma. neg. 2. p. mi. In talibus casibus instrumenta illa non immediate destruunt ignem, sed tantum in minutissimas partes eum dividunt, atque dispergunt (id quod etiam adversarii dicunt; quia juxta ipsos hac ratione ignis fit insensibilis) atamen adest alia causa destructiva.

223. Scilicet minutissimæ partes, sive igniculi minimi, non amplius possunt ita resistere, sive aëri, sive potius vaporibus, & exhalationibus variis, humidis, frigidis, vel

quacunque demum de causa igni contrariis, aëri copiosè permixtis; unde multi saltem igniculi, non diu post extinctionem ignis corrumpuntur, ac convertuntur in vapores &c. similes iis, à quibus corrumpuntur: vel etiam convertuntur in aërem, qui aliquando eos corrumpere potest.

Nam, licet aëris fortè non sit ita contrarius igni condensato, & valde sensibilem magnitudinem habenti, ut eum corrumpat, tamen potest esse ita contrarius igniculis rarissimis, insensibilibus, ac dispersis: & licet fortè non possit aëris spoliare proprietatibus necessariis ignem majorem, tamen potest spoliare igniculum minimum, qui ut pote debilior pluribus indiget ad sui conservationem, & facilius destruitur: sicut e. g. frigus, quod viro robusto conducit ad sanitatem, esset lethiferum infanti in utero materno.

224. Dixi, multos igniculos corrumpi, non omnes; nam non semper omnes corrumpuntur, sed multi insensibiliter conservantur in aëre, ex quibus postea ortum habent varia meteora ignea, e. g. capræ saltantes, stellæ, ut vocant, cadentes: item tonitrua, fulgura, fulmina &c. nam hi igniculi postea in sensibiliorem

rem magnitudinem, variis ex causis collecti, accendent varias bituminosas, aut aliter unquosas exhalationes &c. tam in paludibus, quam in nubibus, & aliis locis: quin etiam aliquando ex collectis talibus igniculis oriuntur incendia in terris, ut dictum n. 210.

225. Dices. Non raro aëris flatus reaccendit candelam extintam: ergo aëris non destruit ignem. Resp. dist. conseq. aëris non destruit ignem semper. conc. conseq. non destruit aliquando, sive immediate, sive saltem mediately. neg. conseq. Et casu, qui per accidens est, aëris propter variam statutam reflexionem, vel repercussionem, aut similem motum, colligit igniculos dispersos, & impetu suo constipat: igniculi autem ita constipati possunt majorem vim exercere, ac novam materiam in se convertere, ignemque novum generare. At aëris longe sèpius igniculos dispergit, atque sic ad corruptionem disponit, eosque postea, vel ipse successivè corrumpit, vel aliis causis corrupti exponit.

226. Ob. 14. Datur magna diversitas inter ignes: sed non potest assignari causa productiva tam divisorum ignium: ergo ignes non producuntur, sive non generantur. prob. ma. ignis ex sulphure, & spiritu vini promicans, est cæruleus: econtra è pice, præsertim Græca, est ruber: ex sale armoniaco vero est viridis &c. rursus ignis ex carboni-

bus fossilibus causat phtisim: econtra ignis ex juniperis prodest contra lues contagiosas: ignis ex sucinjs medetur epilepticis &c. ergo.

Resp. dist. ma. datur magna diversitas inter corpuscula ignibus immixta, & eorum substantiam non constituentia. conc. ma. datur diversitas inter ipsos ignes, in obiectione adductos, & quoad substantiam suam acceptos. neg. ma. & mi. & conseq. ad prob. dist. conseq. ut prius. Color, aut etiam vis salubris, vel noxia ignium, in his casibus, non provenit ab ipsa substantia ignium, de novo generatorum, sed à corpusculis residuis ex mixto, quod accensum fuit; neque enim ignis consumit omnes prorsus minimas partes mixti, sed aliqua corpuscula, licet comparativè non multa, remanent, ut patet ex fumo, & cineribus.

227. Hæc corpuscula residua, calore magis excitata, & adjuta, exercunt deinde magis suam vim, sive salubrem, sive noxiā. Ab iisdem corpusculis provenit etiam color ignium; nam corpuscula ista dispersa per ignem, vel ex se utcunque diaphanum, vel aëre diaphano mixtum, transparent, redduntque flammarum coloratam, ferme, ut materiæ coloratæ, fusæ cum aliis materiis necessariis ad confectionem vitri, hoc ipsum reddunt coloratum. Unde autem sit varietas colorum, difficultas est communis nobis cum adversariis, & ad aliam tractationem,

nem, nempe ad eam, quæ de colo-  
ribus agit, spectat.

Similiter per corpuscula, ex mix-  
tis accensis residua, explicandus est  
varius odor ignium; nam corpus-  
cula odorifera, per ignem accensa,  
hinc inde sparguntur, ut odoratum  
afficere possint, eo proportionali-  
ter modo, quo thus, ardentibus  
carbonibus impositum, primò in  
minutissima corpuscula dividitur,  
dein ad nares propagatur: quamvis  
odor ignis longè debilior sit; eo-  
quod corpuscula odorifera longè  
pauciora in isto remaneant. Par-  
etiam ratione per corpuscula non-  
dum consumpta explicari debet, si  
postquam spiritus vini aliquamdiu  
arsit, ac postea extinctus est in ali-  
quo cubiculo, vel si istud alio mo-  
do vaporibus spiritus vini imple-  
tum est, si, inquam, ad illatam po-  
stea candelam ardenter, aér cubi-  
culi videatur ardere; nam corpus-  
cula spiritus vini plura non con-  
sumpta, sed tantum evaporata, at-  
que in aëre latentia, à tali candelâ  
utique possunt accendi.

228. Dices. Dantur ignes sinè  
omni calore: sed hi debent esse ab  
aliis specie diversi quoad substanti-  
am: ergo. prob. ma. nam 1. fluctus  
maris remis pulsati de nocte scin-  
tillant. 2. in barometro, si de no-  
cte movetur, appetet lux aliqua  
pallescens. 3. vermiculi quidam,  
dicti *Lampyrides*, de nocte lucent.  
4. refertur, in America dari scar-  
bos, dictos *Cucujos*, qui luceant i-

tà, ut loco candelæ legentibus ser-  
vant: additur, liquore ex iis ex-  
presso incolas Hispaniolæ in Ameri-  
ca se inungere, & sic totos flammeos,  
ac hostibus terribiles apparere:  
sed in his omnibus casibus datur i-  
gnis sinè calore: ergo.

Resp. neg. ma. ad prob. neg. mi.  
vel enim in his casibus non datur i-  
gnis, vel etiam datur saltem aliquis  
calor; videtur enim prorsus abso-  
num, dari ignem sinè omni calore.  
Quod autem spectat ad experientias  
modò allatas, respondeo ad pri-  
mam, probabiliter aquis marinis ef-  
fe mixtas particulas lucidas, quam-  
vis non igneas, de quibus infra n.  
230. & p. 1. *Phys. part. n. 1037.*  
Dein etiam responderi probabiliter  
potest, aquas marinæ non esse puræ  
elementares; sunt enim mixtae plu-  
rimis vaporibus, & exhalationibus,  
non tantum salsis, sed etiam unctu-  
osis, & quidem tenacissimè inhæ-  
rentibus, adeò, ut necdum inventa  
ars fuerit, aquas marinæ in naviga-  
tionibus reddendi potabiles.

229. In his autem exhalationi-  
bus potest latere aliquis ignis, at-  
que ab iis defendi ab omnino pro-  
xima applicatione aquæ elementa-  
ris: quin etiam potest cum talibus  
igniculis stare aliquis calor, sicut  
cum igniculis, in silicis poris recon-  
ditis. Quodsi postea hi igniculi  
per agitationem remorum quocon-  
que tandem modo congregentur,  
possunt isti aliquam modicam lu-  
cem momentaneam præbere, præ-  
fertim

sertim si, ut probabiliter dici potest, modicum quid materiae undulatoriae sibi adgenerent. Idem potest dici de flagellatis per remos fluctibus lacuum, in quibus aqua stagnans facile exhalationibus, & vaporibus aliis miscetur.

An idem experimentum habeatur de fluctibus fluminum, puras, & omnino limpidas aquas vehentium, est dubium: &, si etiam in istis per remiges pulsatis aliquando appareat aliqua lux, videatur potius dicendum, eam esse lucem cœli, vel syderum, à fluctibus illis reflexam; nam aquæ per remos ita elevatae aptiores sunt ad reflectendam lucem, quam aliae non ita elevatae. Sic etiam aliquando de nocte oculi felium videntur lucidi, immo quasi ignei, quæ tamen lux non est, nisi reflexio alicujus lucis unde unde incidentis; nam etiam de nocte semper saltem aliqua lux in terris datur, aut, si in omnino densissima nocte nulla prorsus lux datur, etiam felium oculi non scintillant, & verosimiliter nec fluctus flumen remis agitatorum.

230. Quod spectat ad barometrum, lampyrides, & cucuios, dico, probabilius illam lucem, vel, ut alii non male vocant, sublucem, non provenire ab igniculis, sed ab ipsis Mercurii, & vermiculorum, ac scarabeorum corporibus; neque enim probari ullenus potest, lucem non posse provenire, nisi ab igne. Sanè, ut dixi n. 187. & 218. videri calorem non oriri à solo igne, ita

dico, videri etiam lucem non oriri à solo igne: & ita etiam sentit Dechales tom. 2. Curs. mathem. tr. de meteor. ign. prop. 3. ubi citat Robertum Flut, Cardanum, Fromondum, & alios, quos non rejicit Vogler de Meteor. q. 4. n. 5. vide etiam p. 1. Phys. partis. de meteor. n. 1037. Et quis credat, e. g. lampyridum viventium, & volantium, partem notabilem, quæ de die appetet candida, noctu autem lucescit, esse congeriem igniculorum valde sensibilem? quis credat, in summitate Mercurii barometro inclusi convenire tot igniculos, & quidem stabiliter ibi hærere, ut constanter lucem illam producere queant?

231. Vel maximè autem incredibile est, quoddam ingens quantitas igniculorum, quantam experimentum objectum exigeret, in liquore uido, & humido ex cucuiis espresso lateat, & quidem sine calore, sine alimento &c. ut autem verum fatear, videntur ista, de liquore cucuiorum asserta, fabula potius esse quam verum experimentum, si non aliquando omnino à barbaris infidelibus adhibitæ fuere præstigia. Sed quidquid sit: sicut adversarii pro talibus casibus admittunt ignem, prorsus ab aliis diversum, qui luceat, non autem calefaciat, vel urat: ita nos dicimus, dari substantias, non quidem igneas, attamen aliquo modo luminosas: & tales esse dicimus, Mercurium, lampyrides, & si quæ sunt aliae, à quibus similis effectus producitur.

QUE-

# QUÆSTIO TERTIA.

## *De Accidentibus Absolutis.*

### ARTICULUS I.

#### *Quid sint Accidentia, præsertim Absoluta.*

232. **D**iximus suprà n. 104 argumentum, contra omnes non Peripateticos commune, duci posse ab existentia accidentium absolutorum; cùm enim ista ab illis universaliter negentur, sanè eo ipso, quod accidentia ista dari proberunt, etiam probatur, systemata Aristotelico opposita non subsistere. Itaque hic, & nunc, accidentia absoluta admitti debere, probabimus ratione Theologica, ex mysterio evcharistico defumpta: qua, si non immediate, saltem mediately moveri debent etiam Philosophi Acatholici, quatenus moveri debent motivis credibilitatis, quibus suadentur veritates Catholicæ, quas omnes, maximè circa Sacramentum SS. Evcharistiae, subsistere non posse sive admisisse accidentibus absolutis, ex probatione paulò post adducenda, meritò inferimus: ex qua ipsa ratione etiam facile colligi poterit, nostrum sistema esse præ aliis conforme doctrinæ Catholicæ, adeoque vel ex hoc titulo præferendum.

233. Non autem adversarii dicant i. in questionibus philosophi-

cis non utendum rationibus Theologicis; hoc enim est prorsus falsum; nam, quidquid oppositum est alicui qualicunque veritati, eo ipso est falsum, ut videtur per se clarum, sive dein illa veritas sit supernaturalis, sive naturalis, sive Theologiz, sive Philosophiz propria; unde, si systemata adversa non possint stare cum infallibilibus mysteriis fidei, vera esse non possunt.

Nec dicant 2. Concilia non definire controversias philosophicas; nam respondetur, Concilia utique definire tales controversias, si sint connexæ cum veritatibus Theologicis, vel fidei: sic ex definitione Concilii Lateranensis sub Leone X. *Seff 8. in Bulla. Apostolici regiminis.* habetur, animam rationalem esse immortalem etiam secundum *Philosophiam*: sic ex definitionibus Concilii Ephesini habetur, personam esse distinctam à natura &c. Quod autem hæc quæstio de accidentibus absolutis conexa sit cum veritatibus Theologicis, vel fidei, ex eo infertur, quod, si negentur accidentia absoluta, non videatur, quomodo possit stare doctrina Theo-

Theologica de mysterio evcharistico : id quod mox probabimus , & ex hoc ipso inferemus , ista accidentia debere admitti.

234. Adverto autem , à Conciliis adhiberi duos terminos , *Species* , & *Accidentia* , qui tamen Theologis idem significant : certè Magister sententiarum ( qui vixit circa annum 1145 . multo ante Concilium Lateranense IV . sub Innocentio III . anno 1215 . celebratum ) illa , quæ remanent post consecrationem panis , & vini , indiscriminatim modò vocat accidentia , modò species , *l. 4. sentent. dist. 11. & 12.* quin imò *dist. 12.* sic incipit : *Si autem quaritur de accidentibus , quæ remanent , id est , de speciebus.* Idem faciunt SS. Thomas , & Bonaventura , qui paulò post illud Concilium floruerunt : & quidem prior *3. p. q. 77. præsertim a. 1. 2. & 3.* posterior verò *in 4. dist. 11. p. 1. a. 1. q. 1. 2. & 3.* Hos Magistros postea pluribus sæculis secuti sunt omnes Theologi , usque fermè ad Gassendi , & Cartesii tempora , qui novitate sua aliquos ad se pelleixerunt : & hi contra omnem antiquitatem discriben aliquod inter species , & accidentia statuere cœperunt , atque aliam novam significationem his terminis attribuere tenrārunt.

235. Dubitari autem prudenter non potest , quod Concilia eosdem terminos *species* , & *accidentia* , pon in alia significatione adhibue-

rint , quām in ea , in qua adhibiti sunt à Doctoribus ante , & post ea Concilia scribentibus ; quia ipsi Patres in Conciliis magna ex parte fuere Theologæ Doctores , vel certè ut plurimum fuere Theologæ Doctorum discipuli , & eorum doctrinæ imbuti , à quibus non recesserint : præsertim , cùm id nullo prorsus indicio pateficerint : quod tamen facere omnino debuissent , si aliam significationem iis vocibus attribuissent ; aliàs enim suas definitiones , aut decreta proposuissent obscurissimè , nempe sub terminis , eam significationem habentibus , quam nec Theologæ Doctores , multò minùs alii fideles intellexissent . Audacter sanè provocari adversarii possunt , ut proferant Patres , aut Theologos , ex Concilio Lateranensi IV . vel ex Constantiensi , Florentino , aut Tridentino ( ubi de speciebus , & accidentibus evcharisticis actum est ) qui sententiam corporculariam hac in materia amplexi fuerint : certè nec unum adducere poterunt . His præmissis

236. Dico . *Accidens physicum* ( de quo hic est quæstio ) *est ens , quod exigit inhaerere alteri , tanquam fini cui adequate à se distincto :* hoc est , substantiæ , quæ est finis cui accidentium ; nam in ejus bonum ista ordinantur à natura . Definitio hæc est communissimè recepta à Theologis , & Philosophis , atque ex ea habetur .

Primo , quod accidens rectè communi-

anoditer vocetur *ens in actu*; quia exigit inesse alteri, & se adaequatē distingue, tanquam finis cui, in cujus aempe bonum à natura ordinatur: econtra substantia recte dicatur *ens per se*; quia vel non ita exigit inhaerere, vel non ita intenditur à natura; nam, licet forma substantialis materialis exigit inesse alteri, tamen non intenditur in bonum alterius adaequatē à se distinguendo, tanquam finis cui; cum etiam ipsa sit partialis finis cui, adeoque intenditur *per se*, sive *propter se*.

Secundū habetur, quodd accidens adaequatē distinguatur à substantia, hoc ipso, quod exigit inhaerere ei tanquam fini cui adaequatē à se distinguendo: præterquam, quod nihil ordinetur ad inhaerendum sibi ipsum tanquam subjecto. Tertiū, quod accidens non possit naturaliter finē subiecto existere. Quartū, quod in hujus conceputis non repugnet, accidens supernaturaliter conservari sine subiecto; nam ejus exigentia ad subiectum est tantum physica, in qua Deus potest dispensare.

Unde, quod dentur accidentia absoluta, seu finē subiecto divinitus potentia existere, imd etiam actu existentia, est sententia omnium Theologorum paulò antiquiorum. Legatur Magister sententiarum l. 4. dist. 11. q. 12. S. Thomas 3. p. q. 77. a. 1. in corp. & ad 2. item a. 3. ad 1. S. Bonaventura in 4. dist. 11. p. 1. a. 1. q. 1. in corp. & dist. 12. p. 1. a. 1. q. 1. & clarif. Tom. II. -

time patet, asserta ab his fuisse accidentia absoluta. Nec minus idem patet ex aliis Theologis, si eorum lucubrationes præsertim de mysterio evcharistico evolvantur.

237. Notanda autem 1. est differentia inter hæc duo: *Essentia exigit*: &: *Essentialiter exigit*: quæ sunt valde diversa; nam e. g. *essentia*, seu natura hominis exigit cibum, non autem eum exigit essentialiter, seu indispensabiliter: & sic quoque *essentia* cuiuslibet accidentis exigit subiectum, non tamen exigit id essentialiter, seu indispensabiliter. Neque verum est, quod accidens ex suppositione, quod existat, essentialiter inhaerat subiecto, sicut homo ex suppositione, quod existat, essentialiter existit; nam omisso, quod homo, ex suppositione, quod existat, essentialiter, hoc est, indispensabiliter existat (quod in rigore non est verum) disparitas tamen lata est; nam nullo modo probari potest, quod actualis inhaesio sit identificata accidenti, sicut tamen evidenter probari potest, quod existentia hominis sit identificata existentia hominis, hoc est, sibi insi.

238. Notanda 2. est quodam recentiore procula gemina nova definitio entis absoluti, & accidentis: prior sic sonat: *Bns absolutum est, quod à nomine, nisi à solo Deo dependet*: altera autem sic: *Accidens est, quod essentialiter exigit inhaerere subiecto*. Evidem bis admis-

sis evidens est impossibilitas accidentis absoluti; at non licet evili-  
bet pro libitu definitiones config-  
gere, sed debemus ab antiquiori-  
bus auctoribus communiter statu-  
tas acceptare, præsertim, quando  
in definitionibus antiquitus rece-  
ptis nihil absurdum, aut impossibilis  
continetur, sicut nihil continetur  
in definitione accidentis, à nobis  
ex veterum sensu adducta. Sanc-  
tum in questionibus de nomine, adeo-  
que multo magis in questionibus  
de definitione, standum est audie-  
ritate: & certè, si pro arbitrio li-  
cet fingere definitiones, facile pro-  
bablo, implicare e. g. equum, affir-  
gendo ei definitionem involven-  
tem contradictionia, & dicam, ani-  
mal, quod defacto vocatur equum,  
non esse equum.

239. Notandum est 3. quorun-  
dam Atomistarum modestiorum  
insufficiens effugium. Dicunt, se-  
nolle ingredi disceptationem de  
mysterio supernaturali SS. Evcharis-  
tiz: posse in isto supernaturaliter  
dari accidentia absoluta: at non  
etiam ea dari posse naturaliter;  
nam isti auctores tamen, ut patet  
bit ex dicendis, argumentis nostris  
satisfacere neutiquam possunt;  
nam, cùm species, seu accidentia  
evcharistica, debeant ex pane, &  
vino remanere, debent ea jam ne-  
cessario priùs in pane, & vino ex-  
titisse, & non tantum debent ex-  
titisse in pane postea consecrato,  
sed etiam in omnibus aliis simili-

bus panibus (neque enim nisi in-  
sufficiet, & incepit fingere) differen-  
tia aliqua maxima, & intrinseca  
inter unum panem postea consér-  
crandum, & alterum non consér-  
crandum) adeoque debent acciden-  
tia existere naturaliter in pane; cum  
non quilibet panis producatur, aut  
convertatur supernaturaliter in SS.  
Evcharistiam.

240. Jam accidentis dividitur in  
*Absolutum, & Modale.* Illud est,  
quod non quidem naturaliter, si-  
cum supernaturaliter, potest esse  
sine subjecto, e. g. calor. Istud,  
quod est ita affixum suo subjecto,  
ut nec supernaturaliter possit sine  
ipso esse, e. g. ubicatio. Accidentis  
absolutum aliud dicitur *Quantitas*,  
aliud *Qualitas*. Illa, seu *Quanti-  
tas*, est radix naturalis impenetra-  
bilitatis sui subjecti cum alio cor-  
pore: at *Qualitas* est forma acci-  
dentalis, denominans subjectum  
quale, seu tribuens ei aliquam de-  
nominationem, quæ reddi solet in-  
terroganti, quale sit subjectum, e. g.  
an calidum, vel frigidum.

Differunt autem juxta Peripate-  
ticos *quantitas*, & *qualitas*, non  
tantum specie, sed etiam genere  
subalterno, & constituant duo pre-  
dicamenta diversa, agitque Aristote-  
les *l. de Predicam. tract. 2. de*  
*quantitate* quidem *c. 2. de qualita-  
te vero c. 4.*

241. Dividuntur *qualitates* in  
*primas, & secundas*: sunt autem  
*Prima*, quæ constituant primariò  
tem-

*Quid sit accidentia, praeferim Absoluta.* 107  
experientiam mixei, & communiter assignantur haec quatuor, *Color*, *Tactus*, *Humiditas*, *Siccitas*. At vero Secunda sunt illae, quae temperamentum primarum consequuntur, ut *Odor*, *Sapor*, *Gravitas* &c. de quarum tamen aliquibus adhuc controvertitur, an distinguantur à substantia, vel etiam inter se. Et quidem quod spectat ad accidentia evcharistica, cum aliqua, ut mox probabimus, sint à substantiis distincta, omnia debent esse distinctas; nam rationes nostræ, quas mox dabimus, eam distinctionem, aut de omnibus, aut de nullis probant, ut patebit consideranti. An vero alia accidentia, quæ inter evcharistica non numerantur, distinguantur à substantia, atque sint vere physicae, & non tantum logice accidentia, sicut an singula accidentia evcharistica, vel alia non evcharistica, sint etiam inter se distincta, est alia quæstio, non hic, sed variis aliis locis, ubi de accidentibus particularibus agetur, decidenda.

Id tamen advero, non posse dici, omnia accidentia evcharistica identificari cum quantitate, & ejus modis, seu modificatione; nam, cum Concilia; ut v. 235, proba-

tum, terminum accidentia accep-  
rint in sensu, ac usu Doctorum  
Theologorum, hi autem ea acci-  
dencia vocent qualitates, ut patet  
ex S. Thoma y. p. q. 77. n. 2. arg.  
q. 89 ad 4. & end. q. 6. i. in corp.  
debent preter quantitatem in SS.  
Evcharistia adesse etiam alia acci-  
dencia, & quantitate distingue; nec  
estim ullus unquam auctor per qua-  
litates intellexit quantitatem, vel  
ejus modos: & si liceret fingere,  
auctores accepisse qualitates in sen-  
su latiore, & per eas intellexisse  
quantitatem, codem iure liceret  
fingere, eos etiam latius accepisse  
conversionem, & per eam latius  
acceptam intellexisse tantum ali-  
quam apparentiam, priori apparen-  
tiae panis, & vini similem: quibus  
postis; neque pro quantitate, né  
que pro aliis accidentibus, posset  
ex Conciliis aliquid efficaciter pro-  
bari; quia non amplius posset pro-  
bari conversio vere peripatetica.  
Nec verum est, quod ex Conciliis  
tantum probetur, manere status  
sensibilis panis, & vini; nam pro-  
batur non tantum qualisunque  
status sensibilis, sed permaniens in  
accidentibus, speciebus, qualita-  
tibus &c. *ad. 235. 2. 2. 2. 2. 2. 2.*

## ARTICULUS II.

*An, dentur Accidentia Absoluta.*

242. **D**ico. Dantur accidentia  
absoluta. ita Theologi  
& Philosophi paulo antiquiores

omnes, & recentiores communi-  
ter. Prop. 1. In Concilio Latera-  
nensi IV. C. Firmiser. de Summa  
O 2 Trinit.

*T*rinitas sic definitur: *Cujus Christi corpus, & sanguis in Sacramenta altaris, sub speciebus panis, & vini, veraciter continentur, ita ut substantiis pane in corpus, & vino in sanguinem per se divina: ergo non manent, sed transubstantiantur, seu substantialiter convertuntur panis, & vinum, in corpus, & sanguinem Christi, & haec sub speciebus, seu accidentibus, à pane, & vino supernaturaliter separatis, continentur: ergo in SS. Eucharistia dantur accidentia absolute, seu à subjecto separata, & extra istud existentia.*

243. Prob. conclusio 2. In Concilio Constantiensi Sess. 45. *sen ultima in Bulla Martini V. Inter cœs. Etas.* damnatur hæc propositio 2: Wicleffi: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento:* ergo vera est propositio huic contradictoria: *Accidentia panis manent sine subjecto in eodem sacramento:* quæ est formalissimæ nostra sententia. Fatetur hoc ipso Wicleffus apud Waldensem, citatum à Raynaudo tom 6. de Exuviis panis, & vini, seu accidenti Euchar. sec. 2. p. 107. 2. dum assentit, in hoc esse variationem; seu differentiam inter se, & Doctores Catholicos, quodd isti, dum scilicet agunt de SS. Eucharistia, asserant hanc propositionem: *Accidens est sine subjecto:* quam propositiō Wicleffus negat, adeo, ut apud sumdem Waldensem ibidem cita-

tum dicat: *Indubio sane omnes heretici, qui pertinaciter defendunt, in Sacramento altaris accidentia esse sine subjecto.*

244. Nec dicant adversarii, si quod propositio Wicleffi faciat hunc sensum copulativum: *Accidentia panis manent, & manent corum subjectum:* cuius contradictione juxta Summulas debet esse disjunctiva, nempe haec: *Vel non manent accidentia, vel non manent corum subjectum:* quæ propositio iterum juxta Summulas sit vera, modò unum membrum sit verum: consequenter nihil pro nobis probetur ex damnatione Wicleffi; cum propositio illi conradictoria ad veritatem suam determinatè non exigat manere accidentia: Sed enim vera sit, dummodo non maneat eorum subjectum, nempe panis, & vinen: quæ non manere aduersarii facile concedunt.

245. Sed contra est. Non propositio à Concilio definita, sed propositio Wicleffi est disjunctiva, si est omnes ei similes, e. g. hæc propositiones: *Petrus non uenit sine fide:* *Paulus non facit iter sine equo:* quæ juxta omnes Summullistas ita exponuntur: *Vel Petrus non uenit, vel etiam socius cum eo uenit:* *Vel Paulus non facit iter, vel uenit equo:* & hinc etiam propositio Wicleffi: *Accidentia non manent sine subjecto:* exponenda est: *Vel accidentia non manent, vel manent, etiam eorum subjectum:* cuius

erius contradictionis; & Concilio definita , juxta Summulas , debet esse copulativa . scilicet hanc: *Accidentia punit manent* . & non manent eorum subjectum : qua propositione utique affirmantur accidentia absoluta , seu manentia , & existentia sine subjecto .

Nec dicant 2. particulare sine equivalentia particula non adeoque in hac propositione dari duas negationes , & consequenter ipsam propositionem esse affirmativam ; nam respondetur , *aliorum* , quod scilicet continetur in particula *sine* , non afficere eandem copulam , adeoque propositionem non fieri affirmativam : sicut non est affirmativa ista : *Natus homo* , qui non existit , *carrit* . & certe propositio Wicleffii non est ita affirmativa , ut utrumque *opus* , utpote disjunctive , membrum sit affirmativum : & consequenter , neque eius contradictione , utpote copulativa , membrum utrumque debet esse negativum .

246. Nec dicant adversarii 3. Wicleffum non loqui de accidentibus , qualla nos asserimus ; nam hoc fatis aperte facti convincitur ex dictis , praesertim n. 243 nec enim alia nos asserimus accidentia , quam asseruerint communissime Doctores tempore Wicleffii scilicet quasdam formas accidentiaris , praeferim eas , quae substantiam , seorsim subjectum , reddunt sensibilem : ab isto tamen possunt separari .

Mens Wicleffii ulterius satis manifesta poterit ex Concilio Constantiniensi usq. 151 ubi hujus haereticorum praelecti sunt errores ex quadam , ut vocatur , *papyri schedula* , & l. *Cummandatrum* sic refertur locutus : *Secundum denuo modis haereticorum* (sic appellat redditus sentientes de mysterio eucharistico) *quod non possumus declarare* . nec intelligere accidentem sine subjecto : & paulo post l. *Fructus* dicitur sic docuisse : *Fructus istius dementiae , qua finguntur accidentia sine subjecto , fore blasphemare in Deum , scandalizare Sanctos , & illudere Ecclesiam per verba accidentis* . Ecce dicit Doctores illius temporis tale configere accidentem sine subjecto , ut Deum blasphemant , affingendo scilicet ei potentiam producendi Chimeram .

247. Neo dicant 4. Concilii definitionem esse tantum conditionatam , nonne , accidentia manere sine subjecto , si dentur ; nam primo hac ratione nihil definivisset Concilium contra Wicleffum ; huic enim non fuisset opposita propositio tantum conditionalis , ut patet consideranti ; nam propositio conditionalis potest esse vera , eti antecedens , & consequens , sive conditio , & conditionatum sine impossibilis , ut S. Thomas 1. p. q. 25. a. 3. ad 2. docet .

248. Secundum : Concilium supponit (quod Tridentinum adducendum auctor n. 249. expressus dicit) accidentia

cidentia ex pane remanere, adeoque absolute existens; aliis non daretur vera conversio in Eucharistia, de qua etiam parte potest. Tertio. Propositio dicta est damnata in sensu Wicleffi, qui eam posuit absolutam, non conditionatam: & voluit accidentia, seu sensibilitas eorum panis, absolutè manere, non partim finè subiecto: nam haec remanentiam, vel existentiam, assertit esse impossibilem.

248. Nec dicant denique s. Concilium damnasse doctrinam Wicleffi per modum complexi, quod jam est damnabile ut falsum, modo una pars ejus sit falsa (habet enim se ut propositio copulativa) falsum autem, adeoque damnabile esse in doctrina Wicleffi, quod statim dicitur in prima propositione, que sic habet: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanens in sacramento altaris: quod est hereticum; nam contra est.* Concilium Constantiense damnavit omnino tres propositiones Wicleffi circa Eucharistiam, quarum tertia sic sonat: *Christus non est in eodem sacramento identic, & realiter in propria praesentia corporali.* ergo, si hoc responsio aliquid valoret, sufficere Catholico dicere, hanc tertiam propositionem, seu tertium membrum doctrinæ Wicleffi, esse falsum; eoquid Christus realiter praesens sit: nec opus esset negare presentiam substantiae panis;

& vini: quod nemo Catholicus dicit.

Dein Concilium, non tantum per medium complexi, indivisibiliter, aut copulativè accepti, damnavit doctrinam Wicleffi, sed etiam eam damnavit quoad partes singulares, cum ejus errores circa Eucharistiam aperte distinxerit, & per tres distinctas damnationes, in tribus propositionibus, condemnaverit: non animis, quae postea Tridentinum errores Lutheri particulariter, & distincte damnavit.

249. Prob. conclusio 3. Concilium Tridentinum iess. 13. c. 4. sic definit: *Sancta hac Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conversionem fieri totius substantia panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus.* Quaeconversio convenienter, & proprie à Sancta Catholica Ecclesia transubstantiatione est appellata, & can. 2. sic definit: *Si quis dixerit, in sacroanto Eucbaristia sacramento remanere substantiam panis & vini, unde cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem, totius substantia panis in corpus, & totius substantie vini in sanguinem, manensibus dimisxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, a blasphemia sit: ergo prouenant foliæ spe-*

species; seu accidentia panis, & vi-  
ni, à suis subjectis, scilicet pane, &  
vino, separata, adeoque absoluta.

250. Confir. 1. Concilium Co-  
loniense, celebratum anno 1536:  
ante inchoatum Tridentinum par-  
t. 7. de Admin. Sacram. c. 15. sic ha-  
bet: *Quid entia panis, & vinique spe-  
cies alias sunt post consecrationem,  
quam species sacramentales, & ac-  
cidentia sunt subjecto?* ergo in sa-  
cramento SS. Eucharistie dantur  
accidentia sunt subjecto, sine absolu-  
ta, atque ista accidentia etiam sunt  
species sacramentales, & vicissim:  
ex quo confirmantur dicta n. 234.  
& 235. Quamvis autem hoc Con-  
cilium non fuerit oecumenicum,  
nam absque dubio habet major-  
em auctoritatem, quam paucissimi  
Theologi faventes Atoimitis: & re-  
gule docet Canas de loc. Theol. l. 3.  
c. 4. concil. 6. talia Concilia coipso,  
quod non reprobentur, multum  
commendari comitunt. Ecclast. si-  
lentio, quæ non solet diu dissimu-  
lare talis Concilii aperte ostendrem.

251. Confir. 2. Sententia nostra  
recepta est ab omnibus Theologis;  
paulò antiquioribus, & insuper plu-  
ribus visa est tam certa, ut triginta,  
& plures auctores apud Raynaudum  
tom. 6. de Exutis panis, & vini  
etc. sec. 2. punct. 7. oppositam di-  
cant esse hereticam: ex qua illo-  
rum censura (quam quidem mea  
non facio, sed tantum refero) fati-  
ostenditor; quam obfirmati in de-  
fendenda nostra sententia fuerint

antiquiores Doctores. videri mere-  
tur ipse Raynaudus loc. cit. video-  
ri etiam merentur *Mémoires pour l'*  
*histoire des sciences à Trevoux tom.*  
1. an. 1706. Fevrier a. 22. ubi ex  
Domino du Hamel afferuntur gra-  
ves censure, Stephani Episcopi Par-  
tensis an. 1277. Academæ Lovan-  
iensis an. 1662. & Universitatis  
Parisienensis an. 1347. contra negan-  
tes accidentia absoluta. Novas  
condemnationes sententiaz, acci-  
dentialis negantis, iterum edidisse U-  
niversitatem Parisensem annis 1624.  
1671. 1692. 1693. & 1745. testatur  
D. Herbier Theologus Sorbonicus  
tom. 2. de Grat. Chri. c. 4. de grat.  
habit. q. 4. q. 5.

Confir. 3. In Sacramento SS. Euc-  
haristie debet dari vera conversio  
panis, & vini, in corpus, & sanguinem  
Christi, ut definit Tridentinum  
citatum n. 249. atqui ad conversio-  
nem, juxta communissimam omni-  
um, essentialeiter requiritur com-  
mune tertium, seu commune medi-  
um, in quo scilicet priori entitati  
conversæ succedat id, in quod illa  
conversa est (sic e. g. dum lignum  
convertitur in ignem, commune  
medium est materia prima); nam  
in hac succedit formæ ligni formæ  
ignis) ergo etiam ad conversionem  
eucharisticae requiritur commune  
tertium: sed nullum aliud est affi-  
gnabile, nisi accidentia absoluta, ex  
pane, & vino remanentia: ergo  
prob. subsumpt. tota substantia pa-  
nis, & vini, transubstantiatetur: ergo.

252. Con-

252. Confir. 4. S. Paulus loquens de SS. Eucharistia i. Cor. 10. v. 16: ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est et item Actor.* 2 v. 42. de fidelibus communicantibus dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis: rursus Ecclesia in hymno: Lauda Sion Salvatorem.* canit: *Fracto demum sacramento ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum totu regitur: ergo sacramentum SS. Eucharistiae frangitur: atque non frangitur ipsum corpus Christi, ut patet ex verbis hymni, quibus dictum, tantum esse sub fragmento, seu parte, quantum sub toto: & ex Tridentino sess. 13. c. 3. & can. 3. atque etiam ex Magistro sententiarum l. 4. dist. 12. §. Sed quia corpus. ergo debent frangi species, seu accidentia absoluta.*

Confir. 5. SS. Patres commun-

ter docent, sacramentum SS. Eucharistiae constare ex visibili elemorum specie, & ex invisibili corpore Christi: vocantque species sacramentales symbola sub sensu cadentia, signa visibilia rerum divinarum: sed haec in adversa opinione, que negat accidentia explicari non possunt: ergo non est admittenda.

Confir. 6. Ex una parte nullum argumentum efficax potest afferri contra accidentia absoluta: ex altera parte illis negatis, aut omnino non, aut difficilime salvantur quedam veritates fidei: ergo juxta omnes regulas prudentiae debent admitti. Possent hic addi accidentia spiritualia, e. g. gratia sanctificans, habitus supernaturales &c. quae apertere sunt separabilia ab anima; nec sunt substantia, nec etiam tantum modi animae: at quia adversarii forte negabunt, ea posse existere sine subiecto, illa hinc emitto.

## ARTICULUS III.

### Solvuntur Objectiones.

253. **O**B. 1. Concilium Constantiense non definivit, accidentia manere sine subiecto in sacramento SS. Eucharistiae: ergo probatio nostra, ex eo desumpta, est nulla. prob. ant. Petrus de Alliaco Episcopus, & Cardinalis Cameracensis, qui interfuit illi Concilio, in 4. sent. q. 6. a. 3 de hoc punto,

seu de permanentia accidentium sine subiecto, sic scribit: *Istud autem secundum nec est evidens, nec est in Scriptura expressum, nec ab Ecclesia determinatum: ergo hac de re nihil definitum est ab illo Concilio.*

Resp. Cardinalis Cameracensis suas illas quæstiones Theologicas jam edidit ante Concilium Constan-

stantier se; adeoque potuit istud utique postea aliquid definitivisse. Ut testatur Morerius in *Dictionar. his tor. v. D' Ailly.* natus est Petrus de Alliaeo, seu de Ailly anno 1350. praelegit dia Théologiam in Universitate Pariensi, cuius Cancellerius fuit: postea autem etiam interfuit Concilio Constantiensis: cum autem dictum C nullius inchoatum fuerit s. Novembris anno 1414. Petrus tunc jam fuit sexaginta quatuor annorum: & anno 1418. quo Concilium fuit finitum, ille jam fuit sexaginta octo annorum.

254. Quis autem credat, eum jam senecionem, & oneratum gravissimiis Episcopatus sui negotiis, atque insuper etiam aliis, a rege Carolo VI, cui astigmatissimus fuerat, ei injunctis, primum scriptisse lucubrationem suam in libros sententiarum, ultimis vitæ annis? Certè post Concilii finem non nisi octo anni ei superfuere; nam obiit anno 1426. ut testatur Bellarminus de *Scriptor. Eccl.* quibus etiam occupatus verosimiliter fuit edendo alio opusculo de *Concordia Theologie cum Astro nomia, & Historia:* quod in senio scriptisse traditur in *Purpura docta li 3. n. 2.*

255. Adde, quod loco objecto Cardinalis hic nullam prorsus mentionem faciat Concilii Constantiensis, quam tamen ea occasione opportu nissima, & existente memoria ad huc valde reocenti, de damnatio ne propositionum Wicellefanarum,

*Zens. II.*

certissime fecisset, si post illud Concilium scripisset. Unde longè credibilis est, quod in libros sententiarum scripserit, quando adhuc erat Doctor Sorbonicus, atque per eam scriptiōnem sibi viam paraverit ad Episcopatum, & Cardinalatum; ad hunc enim teste Morerio & Jeanne XXIII. in *Christi 1411. etatis verò sive an. 61.* promotus est.

Quin etiam Cardinalis hic loc. cit. amplectitur ipsem positiōe nostram sententiam; nam in primis nullo modo approbat sententiam adversā, sed de ea tantum sic loquitur: *Dubium est, utrum debeat haberī tanquam heretica: & infra: Quartus, & communior opinio, & cui faverit magis doctrina Ecclesia, est, quod in sacramento accidentia que fuerunt paucis, remanent sine subjecto, & in illis sit fratio: & hanc ceno: & iterum paulo post: Credit Aristoteles, quod tale accidens non haberet esse, nisi per inesse, & sic, quod non posset esse, nisi inesset: Sed hoc non est verum secundum fidem. in forma neg. ant. ad prob. om. ant. & neg. con seq.*

256. Dices 1. Juxta nos sententia adversa esset dicenda heretica: sed hæc censura ei inuri non potest: ergo. Resp. hanc censuram me ipsi neutiquam inurere, ut jam dixi n. 251. unde in forma neg. ma. *Di cimus tantum, esse multo probabilius, quod Concilium Constantien sis nostram sententiam definitiverit:*

P

non

non autem dicimus, id esse evidens: quin etiam admittimus, non esse evidens, quid Concilium intellexerit per accidentia: ad censuram autem hæresis inferendam alicui opinioni, requiritur, ut definitio Ecclesiæ sit clara, & aperta.

257. Dices 2. Sententia opposita toleratur à Pontificibus: ergo non opponitur definitioni Concilii Generalis. Resp. dist. conseq. non opponitur evidenter. conc. conseq. non opponitur probabilius. neg. conseq. A Pontificibus multa tolerantur, quin approbentur; sic enim ait Innocentius XI. *in decreto 2. Martii 1679 edito*: Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones, in ipso non expressas, & Sanctitatis sue quomodolibet, & ex quaunque parte exhibitas, vel exhibendas, ultraenus approbare.

Scilicet non solent Pontifices statim damnare sententias, quæ non omnino clare sunt oppositæ definitionibus Ecclesiæ, Scripturæ &c. Potest tamen utique sententia secundum damnata impugnari, ex Scripturis &c. atque cuiuslibet auctoris est, monstrare, quod sua sententia illis non repugnet. Si quis contra talia argumenta excipere vellet, dicendo, suam sententiam non esse à Sancta Sede damnatam, fatus ineruditum se ostenderet.

258. Dices 3. Etiam juxta plurimos Theologos optimè Catholicos accidentia evcharistica non

sunt sine subjecto; quia sunt recepta in quantitate: ergo etiam eos fulminat Concilium Constantiense. Resp. dist. ant. non sunt sine subjecto accidentaliter. conc. ant. non sunt sine subjecto substantialiter. neg. ant. & conseq. Sunt quidem etiam Theologi, & Philosophi, qui volunt, quantitatem esse identicatam cum materia prima, adeoque eam in conversione evcharistica destrui: quorum sententiam Raynaudus *tom. 6. Opusc. de Exuv parnis Ec. sec. 3. punto 4.* valde deprimit: sunt etiam quidam auctores, qui negant, accidentia evcharistica in quantitate, tanquam in subjecto, recipi: at alii Theologi communiter cum S. Thoma *3. p. q. 77. a. 2. in corp. docent*, accidentia evcharistica recipi immediate in quantitate.

259. Sed quidquid de hoc sit, nil obest nostræ sententiae; nam, & Concilium, & Wicleffus, locuti sunt de subjecto substantiali; Concilium enim voluit stabilire transubstantiationem, quæ tamen datur, et si accidentia in quantitate accidentaliter recipiantur, ut patet: Wicleffus autem hanc transubstantiationem maximè negavit, & hinc contendit, debere manere in SS. Evcharistica panem, & vinum, tanquam subjectum, ut patet ex damnata eius prima propositione. Dein, si maneat tantum subjectum accidentale, quod ipsum naturaliter exigit aliud subjectum, & tantum super-

naturae conservatur sine subiecto; alio; potest dici, accidentia esse sine subiecto: sicut, si infima pars, vel basis alterius pyramidis, non insisteret alteri basi, vel fundamento, diceretur tota pyramis stare in aere sine fundamento; et si superiores partes miniterentur inferioribus. vide dicta infra n. 254. & seq.

260. Ob. 2. Concilium Lateranense, & Tridentinum, non adhibent vocem *accidentia*, sed *species*: ergo debet tantum manere aliqua species, seu apparentia pannis, quae explicari potest sine accidentibus ab solutis. Resp. neg. conseq. nam sufficit, quod vox *accidentia* habetur in Concilio Generali Constantiensi. Dein, ut satis probatum est n. 234. & 235. Patres in Conciliis, & aliis, per species intelligunt accidentia. Quod autem crebrius utantur termino *species*, Raynaldus tom. 6. Opusc. de Exuviis pannis &c. sec. 2. punct. 2. ait, id est facti, quod species magis determinate significant accidentia sensibilia, & panem sensibilem reddentia, quae maximè definiebantur remanere: dum interim terminus *accidentia* significet etiam alia accidentia quæcunque.

261. Dices 1. Per species posse optimè intelligi, vel species expressæ, sive ipsæ sensationes, quas Christus præfens loco pannis causat in sensibus hominum: vel cause istarum sensationum, nempe actiones Christi, exhibentes taliter ap-

parensum, & causatim talium sensationum: ergo non debent intelligi accidentia absoluta. Ut hæc replicatio adversiorum inclusus intelligatur, noto, hanc apparentiam Christi sub specie panis posse dupliciter concingeret: nempe, vel ita, ut Christus ex potestate sua thymatura producat eas sensationes quasi pannis: vel ita, ut Christus ex potestate corporis gloriosi se ostendat tanquam panem: sicut discipulis quinque in Emmaus se ostendit tanquam peregrinum, & S. Magdalena ad sepulchrum se ostendit tanquam hortulanum.

Nam (ut ajunt) qui habet corpus gloriosum, sicut potest illud, vel ostendere, vel oculis subducere, ita etiam potest illud in tantum, & non amplius monstrare: & sic Christus potest magnitudinem sui corporis gloriosi ostendere, non totaliter, sed duntaxat in tantum, quanta est magnitudo hostie: item potest ex coloribus suis ostendere tantum albedinem, & quidem in ea intentione, qua fuit in hostia &c. quae ipsæ actiones Christi possunt dici species impressæ, salem æquivalenter tales, si non sint formaliter tales, de quo hic non controvertitur.

262. Sed quidquid sit de possibiliitate talis apparitionis Christi Domini, argumentatio affirmativa à potentia ad actum non est bona, & præsertim non est bona in nostro casu. Resp. informe neg. ant. Juxta hanc

hanc opinionem, & utrumque modum producendi dictas sensationes, multa non darentur in SS. Eucharistia, quæ tamen certò dantur. Et in primis non daretur conversio illa mirabilis, seu transubstantiatio; cùm non daretur ullum commune tertium, ut patet; quia istæ species non remanerent ex pane, aut vino, nec quidquam aliud, quod posset vocari commune tertium. Adde 1. quod Concilia apertè supponant, species remanere ex pane, & vino. Adde 2. quod Wicleffus, & ejus sequaces, absque dubio locuti sunt de accidentibus, seu speciebus, priùs pani unitis, dum dixerunt, earum separabilitatem à substantia panis esse chimæricam, & exinde intulerunt, etiam panem in SS. Eucharistia permanere. Quare etiam Concilia de illis accidentibus, aut speciebus locuta sunt; cùm damnare voluerint eam hæretorum doctrinam.

263. Secundò. Sic istud sacramentum non esset permanens; quia, quando SS. Eucharistia esset clausa in tabernaculo, nullæ causarentur eucharisticae sensationes, nec quidquam aliud adesset, quām Christus, qui tamen solus non est sacramentum. Tertiò. Species illæ non existent sine subjecto; nam exæ sensationes, seu impressiones, quæcunque, & quædocunque darentur, reciperentur in potentia sensitiva.

Quartò. Non videtur in hac opi-

nione posse alio modo explicari, quomodo Christus, ut docet Tridentinum *Scđ. 3. can. 3.* contingatur totus sub singulis enjusque speciei partibus separatione facta; nam non videtur posse explicari ipsa separatio specierum, neque pars specierum; cùm nihil adsit, nisi Christus indivisibilis, & sensatio interna indivisa; insuper per dimidiām sensationem non representetur totus Christus.

264. Dices 2. Potest dici, species manere moraliter, licet non physicè easdem: ergo. Resp. 1. neg. ant. non enim maneret apparentia panis magis, quām si sublato pane uno supponeretur alius similis. Resp. 2. om. ant. neg. consec. Si non manent species physicè eisdem, non datur conversio, aut transubstantiatio, nec sacramentum permanens, ut patet ex modo dictis.

Nec est paritas cum fluvio; hic enim, cùm dicat alveum quidem determinatè, aquam autem fluenter per alveum tantum indeterminate, potest dici, esse idem, quamvis alia, & alia sit aqua fluens: at sacramentum SS. Eucharistiae dicit non tantum determinatè Christum, sed etiam determinatè species panis, & quidem panis per consecrationem conversi.

Dices 3. Concilia, Patres, & Theologi, dicunt etiam, in SS. Eucharistia remanere figuram, seu rotunditatem; atqui hæc, utpote consistens in ubicationibus, remanet tantum

sancum moraliter, seu in similibus ubicacionibus, ergo etiam sufficiens, si alia accidentia, seu species item, deant moraliter. Resp. dist. ma. dicunt, remanere figuram in sensu vulgi acceptam. conc. ma. in sensu stricto physico acceptam. neg. ma. & dist. proportionaliter ma. neg. conseq. SS. Patres utpote in suis catechesibus, & homiliis, loquentes vulgo Christianorum, loquebantur ad captum, & juxta estimationem vulgi: vulgus autem per figuram intelligit tantum connexionem partium necessiarum, & negationem superfluarum, quae physicè manent: & quamvis ista non sint figura adæquata, in sensu physico: attamen sunt in sensu vulgi, & insuper sunt radix ubicacionis, etiam ad figuram, adæquate in sensu physico sumptam, necessiarum.

Quod autem vulgus ita accipiat figuram, habetur ex eo; quod non judicet ad singulos motus panis fieri novam figuram panis: sicut non judicat, quod ad singulos passus hominis palliatifiat nova figura pallii. Jam vero, ut dictum est, illa connexionio, & negatio physicè permanet; unde etiam alia accidentia debent physicè permanere. Sicut autem locuti sunt Patres, ita etiam locuta sunt Concilia, eos sequentia, & his insistentes Theologi; quin modo probari non potest, Theologos antiquos, aut Patres, communiter sensisse, figuram constitutam ex ubicacioni-

bus modalibus, adæquâ figuram acceptissimam, ut nunc accipiatur contra probatum est, quod accidentia acceperint, prout nunc accipiuntur.

Obiter addo, per species etiam non posse intelligi modos, seu modificationes panis; nam iste non remanent, usq[ue]t essentialiter affixi pari, tanquam sui modificatione sic non daretur conversio: neque possunt intelligi modificationes corporis Christi; quia h[ab]e[n]t non sunt species, ex pane remanentes: & sic iterum non daretur conversio.

265. Dices 4. S. Thomas ipse met 3. p. q. 76. a. 8. per causatas sensationes explicat miraculosas apparitiones Christi in SS. Eucharistia, e. g. sub specie infantis: ergo etiam ita potest explicari, apparitio Christi sub specie panis. Resp. neg. conseq. Angelicus cit. art. ad 1. expressè dicit, quod ad hoc, ut in tali hostia maneat Christus, tanquam verum sacramentum, vel debeat manere omnes qualitates sacramentales (quod fit, quando non mutata sacrâ hostia tantum fit aliqua mutatio in oculo videntis, quae tamen mutatio nullo modo ab Angelico cœnsetur esse species sacramentalis), vel debeant manere saltem aliquæ qualitates, aut dimensiones panis, ut nempe semper maneat aliquæ species, sive aliqua accidentia, quæ ut sit in corpore, ait S. Doctor, sint fundamenta aliorum accidentium: seu prout ait, ut in tali casu species maneat secundum

*conditum id, quod est principale in eis: quas autem exigit species, statim eod art. ad 3. vocat accidentia.*

266. Dices s. Species non sunt accidentia absoluta: ergo sunt tantum tales sensationes, vel modi. prob. ant. accidentia absoluta, seu absolute existentia, sunt res: atqui species & charisticæ non sunt res: ergo. prob. mi. in hymno Ecclesiæ: *Lauda Sion Salvatorem*: dicitur: *Sub diversis speciebus, signis tantum, & non rebus, latent res eximiae*: ergo species non sunt res. Resp. 1. querendo ex adversariis, an ergo species sunt nihil?

Resp. 2. neg. ant. ad prob. dist. ma. accidentia sunt res, accipiendo hunc terminum in significacione transcendentali, pro entitate physica. conc. ma. accipiendo hunc terminum in significacione restricta, pro ente substantiali, in qua accipitur in adducto hymno, etiam ratione metri. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. iterum sub priori distinctione conc. vel neg. conseq. Certè S. Chrysostomus homil. 60. ad popul. Antioch. de sumptibus indignè divina. species, seu accidentia nominat res, sic scribens: *Nihil enim sensibile nobis Christus tradidit, sed sensibiliibus quidem rebus: at omnia intelligibilia*. Alla lectio habet: *Sed res quidem sensibles, omnes autem intelligibiles*.

267. Ob. 3. Potest dici, quodd

Concilia per species intellexerint corpuscula, vel superficiâ panis, & vini, vel alia in eorum poris latentia: ergo nondum debent admitti accidentia absoluta. Resp. neg. ant. quoad omnes partes. Et quidem, si intelligantur corpuscula superficia, seu constituentia superficiem intrinsecam, & ve propriæ dictam, quæ est pars panis, & vini, ista non manent, ex Tridentino sess. 13. c. 4. ubi definitur, *conversionem fieri totius substantia panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantia utrius in substantiam sanguinis ejus*.

268. Si autem intelligantur corpuscula constituentia superficiem, extrinsecè ambientem vinum, & panem, ista non spectant ad panem, & vinum, adeoque non sunt commune tertium, neque datur conversio. Par est ratio de corpusculis intra poros panis, & vini existentibus, quæ interiorem superficiem panis, seu corpusculorum ejus internorum, per poros ab invicem aliquæ ex parte separatorum, quantum possunt, ambiunt. Secundò. Christus non est ibi, ubi priùs non fuit panis, vel vinum: atqui in superficie extrinsecus ambiente, aut in poris, non fuit panis: ergo neque ibi, seu sub illis corpusculis, est Christus. Tertiò. Corpuscula illa non possunt in ullo sensu dici species panis; quis enim unquam somniavit, aërem e. g. in poris ligni existentem, posse dici species ligni? Quartò,

**Quarto.** Quod parum possunt illa corpuscula dici accidentia sine subiecto, ut definitio Concilii Constantiensis exigit; cum si sit substantia completa, & tamen parum existant sine subiecto, quam parum panis communis in mensa, vel lapis in agro. **Quined.** Illa corpuscula non essent tam multa, ut possint occupare spatium totum, quod prius occupavit panis, nisi id fieret per miraculum: hoc autem non nisi contra omnem authoritatem, & communiam fidelium sensum, configureretur.

**269.** Ob. 4. Potest dici, quod ipsa corpuscula corporis Christi Domini sint species eucharisticæ: ergo non opus est accidentibus absolute. prob. ant. potest dici, quod ipsa corpuscula Christi ita combinentur, ut referant panem quoad colorem, odorem, saporem &c. ergo. Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. Hæc opinio, præterquam, quod non possit explicare conversionem, permanentiam accidentium ex pane, & vino, ac eorum existentiam sine subiecto, atque similia, quæ contra-præcedentes opiniones attulimus, incidit in multa alia valde absurdâ.

**270.** Imprimis enim per istam combinationem novam, per quam corpuscula corporis Christi acquirerent omnino novum statum sensibilem, & omnia accidentia panis, fieret corpus Christi juxta adversariorum systemata (excepto forst A-

natagoreo, in quo tantum corpuscula Christi non possent ratione solius combinationis referre panem) verè, & physicè panis; nam, quando ex pane pestis fit caro, vel ex signo ignis, aliud iuncte adversarioe non fit, quam, quod corpuscula acquirant novum statum sensibilem, & aliam novam sensibilitatem apparentiam: atque in nova corporiclorum combinatione iuxta ipsos stat generatio substantialis, ipsaque nova combinatio est nova forma substantialis, qua posita dein oriri possunt variae operationes à rati corpore combinato, vel composite.

Sanè non potest ostendî, quid in tali suppositione deficit ad verum panem; quod enim hæc combinatio corpusculorum Christi non sit prima, sed secunda, nil obest; nam utique panis siccissime fit ex aliis mixtis præcedentibus, ex quibus corruptis oritur triticum, consequenter non fit per primam, sed per aliquam posteriorem combinationem corpusculorum. Aliqui videantur dicere, corpus Christi non fieri panem; eoquod combinatio corpusculorum ejus sit ipsis tantum extrinseca: sed sanè est ipsis æquæ intrinseca, ac combinatio corpusculorum avenar, (si ab equo comedantur) in carnem equinam; unde, sicut ista, eoquod per suam novam combinationem acquirant novum statum sensibilem, fronte revera caro equina, ita corpuscula Christi sunt revera panis,

271. Secundò. Si ipsa corpuscula corporis Christi essent species eucharisticae, tunc, quæ verificantur, seu cum veritate dicuntur de speciebus istis, deberent etiam verificari, seu cum veritate dici de corpusculis corporis Christi: atqui de speciebus cum veritate dicitur, quod frangantur, dividantur, item, quod species panis aliquando mucescant, species vini aescant, quod ambar corrumptantur, putrefcant &c. ergo etiam hæc omnia deberent eodem modo verificari de corpusculis corporis Christi: est autem prorsus absurdum, imò prorsus falsissimum de corpore Christi Domini, & quidem glorioso, similia verificari: ergo. Certe de corpore Christi Ecclesia in hymno: *Lauda Sion: canit: Non confractus, non divisus, integer accipitur: corruptionem autem talem, qualis in speciebus admittitur, negat Scriptura Actor. 2. v. 31.* de corpore Christi passibili, & mortuo: quanto magis neganda est de corpore Christi jam glorioso?

272. Dices 1. Corpuscula aquæ possunt ita combinari, ut repræsentent glaciem: ergo corpuscula carnea Christi possunt ita combinari, ut repræsentent panem: ergo potest dici, quod species eucharisticae sint corpuscula corporis Christi. Resp. 1. ergo, sicut corpuscula aquæ sunt vere glaciæ, ita corpuscula Christi sient revera panis. Resp. 2. neg. suppositum; quod

glacies sit aliud, quam aqua; est enim aqua (quamvis sèpe mixta aliquibus particulis heterogeneis) & informata accidente violento. Sic ferrum ignitum, & flexible, est æque ferrum, ac si sit frigidum, & rigidum.

Aliud est, quod aqua glaciata non sit proximè apta ad omnes usus, e.g. ad potum, vel ablutionem: sed per hoc non tollitur ab ea essentia aquæ: sicut non tollitur, quando calefit, licet tunc non sit apta ad refrigerandum. Quidquid autem sit, an corpuscula carnea possint absolute ita modificari, & combinari, ut panem repræsentent, tamen id defacto non ita fit, ut hucusque ex Conciliorum definitionibus, & aliis rationibus, aut etiam absurdis, in sententia opposita admittendis, non inefficaciter probavimus.

273. Dices 2. SS. Patres dicunt, Christum Dominum in SS. Eucharistia immediate tangi, gustari, & sentiri: sed hoc non esset verum, si tantum medianis speciebus distinctis tangeretur &c. ergo. m. prob. sic S. Chrysostomus homil. 60. ad popul. Antioch. ait: *Ecce cuno videt, ipsum tangis, ipsum manducas* &c. ergo. Resp. neg. mihi nam, quod sentitur nulla mediante substantia, dicitur saltens in estimacione morali immediatè sentiri: atque sic, & non aliter sentiuntur alia etiam substantia, quæ non cadunt sub sensu, nisi ratione accidentium ipsi unitorum; neque enim sensus possunt

possunt cognoscere in seipso substantiam etiam materialem : certè Angelicus 3. p. q. 77. a. 2 ad q. ait : *Dicitur autem materia sensibilis ex hoc, quod subiectur sensibilibus qualitatibus.*

Præsertim autem est inauditum in scholis, quod Christus in SS. Eucharistia sit sensibilis ita immediate, ut nec medient accidentia. Ad prob. neg. conseq. S. Chrysostomus loc. cit. tantum vult quod Christus ipse revera adsit, non autem, quod sentiatur, nullis intervenientibus accidentibus, ut est clarum *ex homilia cirata*, in qua paulo ante præmittit : *Affentiamur, (vel, ut alia lectio habet, pareamus) Et credamus, intellectibus ipsum oculis insueamur : & addit verba : Nihil enim sensibile &c. quæ n. 266. jam adducta sunt.*

274. Dices 3. Berengarius Archidiaconus Andegavensis, in sua professione fidei, approbata à Nicolao II. & Episcopis pluribus, C. *Ego Berengarius. 42. de Consecr. dist. 2.* sic loquitur : *Profiteor . . . post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri IESU Christi esse, & sensualiter, non solum sacramento (alia lectio clarius habet in sacramento) sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri : ergo ipsum corpus Christi est per se, & ratione sui, immediate sensibile, immediate*

*Tom. II.*

frangitur, immediatè dentibus atteritur.

275. Resp. Glossa in hunc can. v. dentibus sic habet : *Nisi sane intelligas verba Berengarii, in maiorem incides hanc fin, quam ipse habuit : & ideo omnia referas ad species ipsas ; nam de Christi corpore partes non fecimus & Magister sententiarum l. 4 dist. 12. 4. Sed quia corpus, sic ait : Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt, ut sensualiter, non modo in sacramento, sed in veritate, dicatur corpus Christi tractari manibus sacerdotum : frangi vero, & atteri dentibus, vere quidem, sed in sacramento tantum : adeoque Magister sentit, verba non tantum in sacramento spectare duntaxat ad tractari manibus : non vero ad frangi, & dentibus atteri ; id quod sape etiam alibi fit, & non una vice in Scripturis. vide Cornelium à Lapide in Genes c. 15. v. 13. & c. 49. v. 10. in verba : De femore ejus.*

276. Potest etiam facile responderi, Berengarium per sacramentum tantum intellexisse signum : sicut etiam est modus loquendi Theologorum, præsertim antiquiorum, qui hæc tria distinguunt, sacramentum, rem sacramenti, rem, & sacramentum simul : & per sacramentum intelligunt, quod tantum significat, seu est signum tantum, & non res significata. Et sanè hic fuit error Berengarii, quod negaverit, corpus Christi revera adesse in

Q

SS.

SS. Eucharistia, & hanc voluerit esse tantum signum corporis Christi,

277. Quare, dum Berengarius in sua confessione fidei dicit, Christum, non tantum in sacramento, sed in veritate, tractari manibus, frangi, & dentibus atteri, tantum vult dicere, Christum revera, & non tantum in signo adesse, sub speciebus illis, quæ franguntur: & ipsum corpus Christi Domini ori, vel dentibus admoveri, ac deglutiiri: non verò tantum ejus signum, sive sacramentum; neque enim dici potest, ipsum corpus Christi frangi, sive ejus corpuscula ab invicem separari, vel dentibus comminui; alias Christus non amplius maneret totus sub qualibet parte specie contra definitionem Tridentini *sess. 13. can. 3.*

Ubi ex occasione addo, quod, dum homo nutritur ratione perceptæ SS. Eucharistiæ, non nutritur ex accidentibus, ex quibus non potest generari substantia: minus nutritur ex substantia corporis Christi, quæ non convertitur in hominem: sed, quod nutritur ex materia à Deo de novo creata, vel, ut alii volunt, ex reproducta illa, quæ prius in consecratione panis, & vieni, fuerat destruxta. vide Suarez *tom. 3. in 3 p. disp. 57. sec. 3.*

278. Dices 4. Christus est verè cibus: ergo debet immediatè ratione sui esse sensibilis, & sensibili-  
ter manducari. Resp. dist. ant. Christus est cibus materialis corporis.

neg. ant. est cibus spiritualis animæ. conc. ant. & neg. conseq. Christus quidem verè est cibus, & verè physicè manducatur; quia per actionem vitalem in stomachum transfertur: non autem debet ipse immediate ratione sui, aut corpusculorum suorum, sensibiliter manducari, in hoc sensu, quod ipse ratione sui, aut corpusculorum suorum, immediate afficiat sensibiliter gustum; hoc enim tantum facit ratione accidentium: quin etiam cibi putè materiales, tantum ratione suorum accidentium, sensibiliter afficiunt gustum: quamvis hoc discrimen sit, quod isti cibi gustum afficiant ratione accidentium sibi physicè unitorum. At Christus ratione accidentium, tantum aliquo modo moraliter sibi unitorum: de qua unione morali, in quo stet, ali bi plura erunt dicenda.

279. Dices 5. Juxta SS. Patres in hoc sacramento falluntur sensus: sed juxta nos non fallerentur; quia verè perciperent accidentia panis, & vini: at fallerentur juxta adversarios, juxta quos, dum putarent, se videre colorem panis, vel ejus saporem gustare, viderent colorem corpusculorum Christi, & gustarent eorum saporem: ergo. Resp. neg. ma. strictè acceptam cum S. Thomas *3. p. q. 77. a. 2. in corp. & fusiis Opusc. 57. seu officio de fest. Corp. Chri. lect. 3. siue, ut habetur in Breviaario, lect. 5. in fest. Corp. Chri. ubi sic ait: accidentia autem fine sub.*

*Subiecto in eodem subsistunt, ut fides lucum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur. aliena specie occultarum: & sensus à deceptione redendantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis; unde strix loquendo, non sensus, sed intellectus, naturalibus viribus relictus, fallitur, dum ex sensatione infert, adesse panem: & hoc solum volunt indicare Patres, si quando videntur dicere, in hoc sacramento nostros sensus decipi.*

280. Ob. 5. Species eucharisticæ adorantur: ergo debent esse partes corporis Christi. Resp. dist. ant. adorantur in complexo cum Christo, vel coadorantur cum ipso. conc. ant. adorantur seorsim acceptæ. subdist. adorantur cultu supremo latræ. neg. ant. adorantur, seu coluntur cultu aliquo longè inferiore. om. ant. & neg. conseq. Totum hoc sacramentum adoratur cultu latræ, per modum unius complexi; sic enim canitur in hymno: *Pange lingua. Tantum ergo sacramentum veneremur cernui.*

Hinc autem (ut rectè dicunt Bellarminus tom. 3. *Controv. gener. 3. de Euchar. l. 4. c. 29.* Raynaudus tom. 6. *Opusc. de Exur iis panis &c. sec. 2. punct. 6. 6.* Hactamen. Tannerus tom. 4. disp. 5. q. 8. dub. 7. cum plurimis aliis) species coadorantur cum Christo Deo-Homine, sicut cum rege colitur purpura, aut corona, quam gestat (nam colitur qualis appetet, nempe vestitus) vel

sicut cum Christo, adhuc in terris degente, coadorata fuit ejus vestis; neque enim, ut rectè ait Bellarminus loc. cit. homines Christum tunc adorantes, eum sibi in cogitationibus suis repræsentarunt exutum vestibus.

281. Quando autem intentio dirigitur ad species, per intellectum à Christo separatas, adeoque solas, non possunt adorari supremo cultu latræ, qui soli Deo competit: sed tantum possunt coli, cultu longè inferiore: seu potest aliqua reverentia eis exhiberi, proportionaliter talis, qualis exhibetur vasis sacris, e. g. calicibus, patenis, habentibus aliquam consecrationem, & propterea reverenter habendis: vel, ut ait Bellarminus loc. cit. potest dictis speciebus exhiberi cultus talis, qualis exhibetur aliis sacramentis vel etiam qualis exhibetur materiis sacramentorum consecratis, e. g. chrismati, oleo benedicto &c. Reddè tamen Tannerus loc. cit. cum aliis advertit, cultum specierum seorsim acceptarum, seu per intellectum à Christo separatarum, non esse in Ecclesia usitatum, nec regulariter adhibendum; cum nulla ratio suadeat, eas species, Christo eucharistico conjunctas, ita cogitatione separare.

282. Dices 1. Si species eucharisticæ non essent partes, seu corpuscula Christi, non deberet terra, si quid præsertim de speciebus vini, in ipsam deciderit, radi, aut lava-

ri &c. atqui debet radi &c. ut iam mandavit S. Pius I. Papa, & Martyr, qui anno 156. rexit Ecclesiam: ergo. prob. ma. si caderet in terram tantum ciborum, ut vocatur, vel si caderet etiam facer calix, ita tamen, ut nec sacra hostia, nec sacer sanguis effunderentur, non deberet terra radi &c. ergo etiam, si caderet in terram Christus, accidentibus involutus, non deberet terra radi &c. quia, sicut in priore casu terram tantum tangeret ciborum, vel calix, ita in hoc secundo casu eam tantum tangerent accidentia.

. 283. Resp. neg. ma. ad prob. neg. conseq. & paritatem. Adversarii, quia nihil, nisi corpuscula cogitant, imaginantur sibi species, seu accidentia à nobis asserta, sicut aliqua corpuscula, mediantia inter terram, & corpus Christi, sicut mediat argentum ciborii, & calicis: sed hæc imaginatio jam dudum tanquam falsa rejecta est ab Henrico, & Carthusiano apud Raynaudum tom. 6. Opusc. de Exuv. panis &c. see. 1. punct. 5.

Non enim accidentia ista mediant, sicut aliquod involucrum materiale; nam substantia corporis, & sanguinis Christi, est ubique cum ipsis compenetrata, & ubi est aliqua particula accidentium, ibi etiam est corpus, & sanguis Christi; unde, si quid de accidentibus in terram cederit, merito ista lavatur, aut raditur, ne aliquid de accidentibus, & consequenter ipse Christus, in

in terra jacens maneat, cum gravi in eum irreverentia: non autem Christus est ita compenetratus cum calice, aut ciborio.

284. Ubi addo. Quando Christus dicitur, in Eucharistia esse *sub speciebus*, istud *sub* non significat, Christum non etiam esse in extima superficie specierum, sed *sub* ea, quasi *sub* aliquo cortice: sed tantum significat, Christum revera esse præsentem ibi, ubi sunt species: attamen non esse immediatè in sensibilem, sed redi sensibilem mediantibus illis speciebus: sicut scilicet priùs etiam dicebatur substantia panis, & vini, esse *sub* illis speciebus, & quilibet alia substantia materialis dicitur esse *sub* suis accidentibus; quia nempe per ea apparet nobis, & incurrit in nostros sensus. videatur Raynaudus loc. modo cit.

285. Dices 2. Pronomen *hoc* in forma consecrationis panis non potest significare accidentia: ergo debet significare corpus Christi: ergo hoc debet esse immediatè sensibile, adeoque identificatum cum speciebus. Resp. om. ant. nam pronomen *hoc* aliquo modo in obliquo significat accidentia; quia ex sua institutione, & communī acceptione, significat *id*, *quod substitut his accidentibus individuantibus*: sed om. ant. & conc. i. conseq. neg. 2, dam.

Nam etiam, quando dígito monstro crumenam plenam aureis, vel do-

dolum plenum vino, juxta omnes cum veritate dicere possum : *Hoc est aurum* : *Hoc est vinum* : ergo pronomen illud non necessariè significat aliquid immediatè in sensu incurrens. Multò magis, quando digitum intendo in Petrum, cum veritate dico : *Hic est Petrus* : li-

*etiam Systemate Chymico.*

125

cetion immediatè ejus substantia, sed tantùm ejus accidentia cadant sub sensu. Et sic etiam corpus Christi significatur in forma evcharistica per pronomen *hoc*, licet non immediatè ratione sui, sed ratio-ne accidentium, quibus substans sit sensibile.

## QUÆSTIO

*De Systemate Chymico, & Cartesiano in Specie.*

### ARTICULUS I.

*Quid specialiter opponi possit Systemati Chymico.*

286. **P**romissimus supra n. 125. dum argumenta communia contra omnia systemata non peripatetica adducebamus, nos inferius allatureos specialia quedam contra sistema chymicum, & Cartesianum, cui promissioni nunc satisfaciemus, incipiendo à sistema chymico, à quo dein gradum faciemus ad Cartesianum.

Dico itaque iterum cum omnibus Peripateticis, imò etiam omnibus Cartesii, vel Gassendi, aut Empedoclis sectatoribus. Elementa chymica non sunt materia prima. Prob. Materia prima etiam juxta ipsos Chymicos debet esse materia, in quam omnia mixta resolvuntur: item debet in omnibus esse ejusdem speciei: rursus debet esse incorruptibilis: & ingenerabilis: sed e-

lementa chymica non sunt talis materia: ergo, prima pars majoris est principium ipsorum Chymicorum, qui ex resolutione omnium mixtorum in sua elementa (quam putant, se probare experiens variis) inferunt, ex his omnia componi: secunda, & tertia, ac quarta pars majoris est omnium, & jam probata est supra à n. 93.

287. Prob. jam minor, seu quodd non omnia mixta resolvantur in elementa chymica: & quodd ista non sint ejusdem speciei, non tantum in hoc sensu, quod sint quinque specie diversa elementa, sed quodd unumquodque ex ipsis, in diversis mixtis, sit diversum: item, quodd ista elementa non sint incorruptibilia: & ingenerabilia. Probantur autem singulæ hæc quatuor partes

Q 3

sin-

singillatim, & primò probatur 1. pars. Multa sunt corpora, quæ non resolvuntur in quinque elementa chymica n. 71. adducta, sive ex quibus nulla resolutione, sive naturali, sive artificiali, ista elementa extrahi possunt: ergo. prob. ant. ut testantur artis chymicæ periti, ex cineribus ossium nequit extrahi sal; quia eo ossa carent, & hinc cineres illi serviant maximè ad construendas cupellas, chymicis usibus valde aptas; eoquod nullo igne fundantur in vitrum, seu vitrificantur.

Rursus Boyle, vir, ut notum est, experientissimus, 3. pars. *Chym. Scept. mihi fol. 60.* scribit, se libenter visurum extracta ex auro, salem, sulphur, & Mercurium: &, si quis vellet se subjicere mulctæ, casu quo extractio non procederet, se vici-  
sim libenter soluturum omnes expensas, si ex auro ea tria re ipsa extrahantur. Addit, se nunquam videre potuisse salem, certò ex auro extractum: addit iterum, quod, si aliquando aliquis sal ex auro extractus esse jactetur, is non ex auro, sed ex variis menstruis, ad resolven-  
dum aurum adhibitis, possit esse ex-  
tractus: adeoque maneat incertum, an sal chymicus verè talis per chy-  
micam operationem obtentus sit ex auro, vel an ex menstruis tantum extractus. Idem afferit, nec ar-  
gentum, nec talcum Venetum, po-  
tuisse in tria illa principia resolvi  
*Chym. Scept. p. 1. mihi fol. 21.* id-  
que ferè repetit fol. 29. Adde,

quod, si etiam in resolutione chymi-  
ca quidam spiritus, Mercurius, aut simile quid appareat, tamen incer-  
tum sit, an in priore composito jam latuerit: certè D. Hombert in Aca-  
demia Regia Parisiensi judicavit, per analyses igne factas non posse rescri-  
ri principia mixtum componentia; eoquod sèpe debeat timeri, an non  
ignis (scilicet adjutus aliis concus-  
sis) produixerit, vel saltem alterave-  
rit principia. vide *Memoires pour l'  
histoire des sciences à Trevoux tom.  
3. ad ann. 1704. & 123. fol. 1480.*

288. Sed nec sulphur, quod ex auro extrahi dicitur, verè est sul-  
phur; cum non sit inflammabile: ne-  
gat etiam Helmontius, ex arena, si-  
licibus, & axis non calcariis, ful-  
phur extrahi posse. Quod Mercur-  
rium attinet, nec iste ex auro verus  
extrahitur, ut testantur iterum artis  
periti: & Helmontius negat,  
hunc ex arena, aut silicibus extra-  
hi posse: quin etiam Quercetanus,  
magnus alias chymicæ artis aestima-  
tor, negat, adamantem posse in  
quinque chymica principia resolvi:  
idem de talco Veneto, crystallo, ac  
aliis periti testantur. videatur Boyle  
*Chym. Scept. p. 3. fol. mihi 61. & seq.*

289. Prob. 2. pars minoris de di-  
versitate istorum principiorum in  
diversis mixtis. Inprimis aliqua e-  
lementa chymica in quibusdam  
mixtis in tantum differunt ab aliis  
aliorum mixtorum, ut ipsi Chymi-  
ci inter se certent, ad quam specie-  
m elementi debeant reduci: sic  
magna

magnalis est inter spagyricos de spiritu vini, an sit reducendus ad sulphur; quia est inflammabilis: an verò ad Mercurium; quia est liquor valde subtilis, limpидus, acidus, & corpora facile penetrans: dum e-contrà alii spiritus, e. g. vitrioli, inflammabiles non sunt.

Dein etiam ea elementa, de quibus non dubitatur, ad quam classem sint referenda, inter se valde diversa sunt: e. g. sales valde inter se differunt; nam alii sunt volatiles, alii fixi: sic sal cornu cervi ob levem calorem avolat: sal tartari igne non solvitur: & hic idem affuso spiritu vitrioli ebullit, ac astuat, quod alii sales non faciunt. Sulphur quoque, quod ex diversis corporibus extrahitur, æquè diversum est: sic sulphur, seu oleum cinnamomi, infra aquam descendit, dum quodlibet aliud ei supernatur: ut nihil dicam, quòd à quibusdam aliquid etiam non inflammabile dicatur esse sulphur, e. g. quod ex auro extrahitur: quod tamen ab aliis sulphur esse negatur. videatur Boyle Chym. scpt. p. 4. mihi fol. 83. & seq. item fol. 88. & 94.

Pariter Mercurius, seu spiritus, in variis diversissimus est, imò unus alteri sèpe contrarius: sic spiritus tartari, & spiritus vitrioli, item spiritus cornu cervi, & spiritus nitri, si confundantur, strident, & bullunt, sèque mutuò ex vase expellunt. Quin & terra damnata, in diversis diversa est; nam testatur

Boyle Chym. scpt. p. 6. mihi fol. 135. eam, quæ post resolutionem æris viridis remanet, à se iterum in cuprum fuisse conversam, quam conversionem non patiuntur aliæ terræ damnatae, vide eundem etiam fol. 134.

Huc spectant quoque virtutes medicæ, quæ in sulphure, salibus, spiritibus diversorum corporum, sunt diversissimæ, & sèpe prorsus contraria: certè quidam spiritus sunt venenati, alii saluberrimi: sic spiritus cerasorum moderatè sumptus juvat stomachum: spiritus vitrioli, in eadem quantitate haukus, eum eroderet, ac necem afferret: sic spiritus sanguinis humani prodest epilepticis, non item spiritus tartari: sic sal succini salubre est infantibus, alii sunt noxiæ &c. ut nihil dicam de differentia istorum elementorum quoad odorem, saporem, & similia accidentia, ex quibus tamen Philosophi communiter inferunt differentiam aliquam specificam principiorum.

290. Prob. 3. pars minoris de corruptibilitate istorum elementorum. Hæc efficaciter probatur eodem modo, sicut suprà n. 149. probata est corruptibilitas elementorum Empedoclis: certè sulphur accensum vertitur in ignem, non minus, quām oleum lampadis accensæ, adeoque etiam corrumperetur, sicut oleum, de quo fusè loc. modò cit. Mercurius, seu spiritus, si, ut afferit D. Mongin n. 70. citatus

tatus, ex sale, & aqua compositus est, utique in ista iterum resolveatur. Dein ipsi sales volatiles possunt mutari in terram, sive pulvrem sine sapore: & testatur Helmontius, se posse salēm petrāe vertere in terram: idemque testatur de sulphure. Spiritus viji, ut te. stantur Burgundi, potest reduci in phlegma: &, ut testatur Boyle, spiritus cornu cervi potest mutari in sal, & phlegma: quin quotidie sal inter alias materias vertitur in vitrum, quod prorsus non habet saporem.

Sed & caput mortuum, seu terra damnata, ex sulphure composito extracta, solo adhibito igne versa est ab Agricola in cuprum: alia, ex aere viridi extracta, à Boyle versa est in cuprum, ut jam dictum n. 289. Goudin autem *som. 2. Philos. p. 1. disp. 1. & 3. l. 1.* testatur, caput mortuum ope speculi eaustici conversum fuisse in vitrum. His, & plurimis aliis experimentis, passim apud autores occurrentibus, corruptibilitas horum elementorum satis ostenditur.

291. Prob. tandem 4. pars minoris de generabilitate istorum principiorum: & primo probatur ex ipsorum corruptibilitate; quia ex hac legitime infertur generabi-

litas, ut probatum est suprà n. 147. Deinde probatur ex dictis Domini Hombert, paulò ante n. 287. allatis. Ulterius probatur ex eo, quod ad chymicas distillationes, seu resolutiones, adhibeantur varia, ut vocant, menstrua, seu liquorē solventes, aut similia; hæc enim cum igne, & aliquibus, e. g. salinosis, oleosis, aut similibus particulis, quæ in poris corporis resolvendi, vel in ejus nutritiis, vel quasi nutritiis partibus, jam latent, possunt sèpe producere novam entitatem, quæ annumeretur principiis chymicis: idque nonnunquam actu fieri, redditur valde verosimile ex eo, quod pro varietate, talium liquorū affusorum, vel aliorum additamentorum, prodeant ex ente resoluto diverse substantiæ, quandōque simillimæ principiis chymicis. Saltem videtur negari non posse, prodire sèpius ex talium menstruorum &c. in recipiente commixtione, vel confusione, nova quædam mixta imperfecta, quæ à ratione principiorum chymicorum non longè absunt. Taceo, quod in talibus distillationibus prodeant sèpe substantiæ, quæ tantum latebant in poris mixtorum: non autem erant veræ eorum partes. aut constitutiva physica.



## ARTICULUS II.

### *Quid specialiter objici possit Systemati Cartesiano.*

**292.** *S*ystema hoc novitate sua quidem nonnullos ad se pellexit, eos præsertim, quibus vulgarata hoc ipso sunt vilia, & qui, dicit Rapinus noster *tom. 2. p. 2. in Reflex. supr. Philosoph. n. 25.* recedunt à sensu communi, non alia de causa, quām, quia communis, seu vulgaris est. At postquam ab aliis solidioribus ingenii penitus introspectum fuit, mox apparuit, principia ejus, non tantum esse infirma, sed quoque valde exotica, quæ post se trahant sequelas neutiquam admittendas: & de his aliqua modò dicenda, alia aliis locis reservanda.

Itaque primò Cartesius in hoc est valde exoticus, quod statim in sua prima meditatione initio velit, nos de omnibus dubitare, etiam de eo, an duo, & tria, sint quinque: velitque nobis persuadere, Deum posse facere, ut duo, & tria, non sint quinque: adeoque quemlibet posse dubitare, an non fortè Deus id faciat. Sed sic utique dubitabimus de omnibus primis principiis, nec unquam ullus noster discursus erit firmus.

**293.** Huic difficultati occurrit Cartesius medio valde mirabiliter. Docet, primam evidentiam proorsus infallibilem esse hanc argumentationem: *Cogito: ergo sum: sed no-*

*ster Rapinus tom. 2. p. 2. Reflex. in Logic. n. 1. dicit, hanc argumentationem esse ridiculam; cum verbum *Cogito* significet: *Ego sum cogitans: & frigidam esse hanc illationem: Ego sum cogitans: ergo sum: verum hoc omisso.**

Notandus est ulterior discursus Cartesii; sic enim arguit. Ideo hac illatio est evidens; quia habeo claram, & distinctam ideam, seu conceptionem, aut apprehensionem de eo, quod omne actu cogitans sit, seu existat: ergo, quandounque de alicujus rei essentia, aut proprietatibus, datur clara, & distincta idea, vel apprehensio, sive, quando aliquam essentiam, aut proprietatem alicujus rei, clare, & distinctè concipiimus, tunc illa res talem essentiam, vel proprietatem, omnino habet.

**294.** Sed in primis refert Huetius *Censur. Philos. Cartesian. c. 2. n. 7.* nunquam Cartesium, licet si prius rogatum, aperte explicasse, quid nomine ideas intelligat. Rursum notat Cardinalis Ptolemæus *dissert. 1. Physico metaph. sec. 3.* nos in ha vita mortali vix habere de aliqua re claram, & distinctam ideam; cum res communiter tantum cognoscamus per species alienas: certè vix habemus de ullo ente tam

R

claram

claram ideam, quam de hoc, quod duo, & tria, sint quinque : atque difficulter probabitur, quod clarior sit idea de illa veritate : *Cogito: ergo sum:* & tamen Cartesius non vult, ab incipiente Philosopho colloca-ri extra omne dubium, an duo, & tria, sint quinque.

Dein, ut bene observat Huetius *cit. cœfur. c. 4 n. 5.* potest idea esse valde clara, & tamen difformis objecto: sicut potest imago esse valde clarè, & vivaciter, ac eleganter picta, & tamen difformis prototypo; unde ex claritate idea non infertur veritas, quæ est conformitas cum objecto. Ulterius, licet aliqua lumine naturæ nota, & evi-denter vera, ita clarè, & distinctè apprehendantur, & cognoscantur: attamen etiam falsa quandoque pari claritate, & distinctione, apprehenduntur, & cognoscuntur, ut videtur innegabile; cum juxta omnes, & experientiam frequen-tem, dentur evidentiæ tantum appre-ter tales, quæ sunt re ipsa fal-sitates: adeoque ex distincta idea, apprehensione, aut conceptione rei, nullo modo legitimè infertur, eam rem à parte rei indubitatò se ita habere: præsertim, cum, ut jam dictum, juxta Cartesium, dubitari possit, an non Deus faciat, ut duo, & tria, non sint quinque; quod si facere possit, planè ratio nulla est, cur non etiam facere possit, ut non detur ea res, cuius claram, & distinctam ideam, unde unde concepi.

videatur iter per mundum Cartesii p. 2. fol 78. & seq.

295. Ex hac tamen tam distorta regula, dimetiendæ, vel inquirendæ veritatis, infert inter alia Cartesius alterum suum falsum, & exoticum dogma, nempe spatiū, extentionem, & corpus, esse idem; quia, ubicunque concipiatur trina dimensio, nempe secundum longi-tudinem, latitudinem, & profun-ditatem, ibi (ut ait) clarè concipiatur corpus; nam omisâ nunc illâ regulâ, quam tamen n. 294. falsam esse ostendimus, neutiquam est ve-rum, quod, ubicunque concipiatur ea trina dimensio, concipiatur cor-pus; ut enim bene recentior qui-dam ait, rusticus habet claram, & distinctam ideam, de longitudine, latitudine, & altitudine, seu pro-funditate sui cubiculi, quin habeat ullam cogitationem de corpore il-lud implente; quia putat in eo dari vacuum: certè ex eo, quod com-muniter dicatur, ibi dari vacuum rusticum, ubi tantum adest insensi-bilis aër, satis insinuatur, rusticum non habere claram, & distinctam ideam de corpore, suum cubile im-plente.

296. Dein non tantum rusticus, sed etiam Philosophi, distinguunt inter spatium, & corpus, nec faci-lè quis præter Cartesianos dicet, vacuum esse absolutè impossibile, ita, ut nec Deus possit facere, ut detur spatium vacuum, et si destrue-ret omnia, quæ intra concavam ex ali

cœli supremi superficiem continentur, ita, ut tunc, vel deberet alia nova corpora ibi ponere, vel dictam superficiem, ejusque partes omnes, ad se invicem comprimere. Et quæso, cur Deus non possit hodie terram totam destruere, quin aliquid aliud ejus loco ponat, & post tres e. g. menses illam iterum eodem loco reproducere? hoc autem casu daretur trimestre vacuum ibi, ubi erat prius terra. Sanè hoc Cartesiani prorsus non deberent negare esse possibile; eoquod cum suo Magistro admittant, Deum posse etiam mutare essentias rerum, & facere, ut duo, & tria, non sint quinque.

297. Neque hanc suam opinionem Cartesiani contendant probare, dicendo, *extensum* esse prædicatum positivum, quod negationi, qualis est vacuum, competere nequeat; nam certè *eternum* non minus est prædicatum positivum, adeoque æquè parùm convenire potest vacuo, consequenter juxta Cartesianos spatium jam fuit ab æterno plenum aliquâ materiâ, & hæc jam fuit ab æterno: quod admitti non potest; cùm, ut à Theologis omnibus unanimiter docetur, & ex Concilio Rhenensi sub Eugenio III. sumitur, præter Deum ab æterno nihil existat. Scilicet, quando vacuum, vel qualesunque negationes, dicuntur extensæ, æternæ &c. significatur tantum, eas esse tales per alienationem, non per statum: & re ipsa tantum indicatur,

res ipsas negatas non esse æternas, actu extensas &c.

Sed instant adversarii, ac ajunt, materiale, & materiam esse idem, adeoque extensionem materialem esse materiam, sive corpus. At hoc est omnino falsum, etiam in Cartesianorum principiis, in quibus motus, figura, & varii modi sunt materialis, & tamen non sunt materialis. Nec dicant, motum, & figuram, non esse quid distinctum à corporeculis motis, vel figuratis; cùm enim evidenter sint ab invicem separabilia, imò juxta Cartesianos motus ab uno corpore transeat in aliud, sunt manifeste distincta. videlicet superius à n. 113.

298. Alia adhuc valde exotica, & absurda, ex hoc Cartesii asserto de identitate spatii, ac extensionis, & corporis, inferuntur ab auctoriis: & primò quidem, quod hac ratione mundus corporeus sit infinitus; nam, cùm ubique, intra, & extra cælum, etiam empyreum, si lubeat ultrà istud cogitationibus evagari, cùm, inquam, ubique in infinitum, clare, & distincte, apprehendatur spatium, nec aliquando possit concipi negatio omnis spatii, ubique in infinitum datur spatium, adeoque etiam ubique in infinitum datur materia: ex quo ulterius sequitur, quod Deus non possit condere mundum novum, saltem nisi eum velit compenetrari cum antiquo, ut patet consideranti.

Hæc autem, cùm admittere du-  
rissimum sit, etiam Cartesius ea con-  
cedere refugit; hinc aut, mundum  
esse, non quidem infinitum, sed *in-  
definitum*: quem tamen terminum  
nemo hucusque ad captum satis ex-  
plicavit, aut inter mundum *infinitum*, & *indefinitum*, discrimen ali-  
quod verosimile assignavit: certè  
materia, & mundus corporeus, jux-  
ta Cartesium sunt sine fine: quid er-  
go eis deest, quo minus dicantur  
infiniti?

299. Rursus ex identitate exten-  
sionis, & corporis, infertur, quòd  
species evcharisticæ sint reverà cor-  
pus; cùm habeant trinam dimen-  
sionem: item, quòd in SS. Evcharis-  
tia non sit totum corpus Christi:  
certè non datur ejus extensio  
formalis localis in longitudinem,  
quæ sex circiter pedes æquavit:  
nec etiam datur ejus formalis loca-  
lis latitudo, aut profunditas: sanè  
nec millesima pars talis extensionis  
corporis Christi in omnem trinam  
dimensionem datur in minima par-  
ticula hostiæ consecratæ, adeoque  
juxta Cartesium nec datur millesi-  
ma pars materiæ corporis ejus:  
quod cum Tridentino conciliari  
non potest; hoc enim *Seff. 13. cas. 3.*  
apertè definit, totum Christum  
esse sub qualibet speciei parte post  
factam separationem.

Respondent aliqui 1. corpus Christi in SS. Evcharistia tantum adesse  
secundum partes essentiales, nem-  
pe secundum glandulam pinealem,

quam juxta ipsos insidet anima.  
Sed hoc defendi non potest; cùm  
Tridentinum *cit. Seff. c. 3.* sic defini-  
nit: *Totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipius species parte: totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.* Taceo, quòd nec *1* indu-  
la pinealis tota posset esse, cum sua  
tota extensione formali locali, in  
qualibet particula speciei.

300. Respondent alii 2. corpus Christi totum esse in SS. Evcharis-  
tia, sed imminutum, nempe cum capite, brachiis, pedibus, ac aliis  
membris valde parvis, qualia fortè  
habuit Christus in prima sua con-  
ceptione, longè minorâ, quam po-  
stea habuerit ambulans in terris,  
vel nunc habeat in cælo. Verum  
hoc dici minimè potest; nam hac  
ratione, non totus, & integer, sed  
valde imminutus Christus in sacra-  
mento adesset: & sanè plurimæ par-  
tes deberent auferri, donec fieret  
tam parvum corpusculum, ut in  
qualibet parte speciei posset adesse:  
Tridentinum autem, quando *Seff. 13. c. 3.* dicit, totum Christum  
cum corpore, & anima adesse, lo-  
quitur de corpore ejus, quod mo-  
dò habet in cælo; quia loquitur de  
corpore Christi, qui jam ex mor-  
tuis resurrexit, non amplius mor-  
risurus.

Respondent alii 3. totum Christum  
causare omnes illas apparen-  
tias, quas priùs panis causabat: sed  
istam responsionem refutavimus  
suprà

suprà n. 261. & seq Addo tantum, juxta istam responcionem explicari non posse , quomodo corpus Christi, quin aliquid de ejus naturali extensione sex circiter pedum decedat , non plus occupet spatii, quam prius occupaverit superficies panis, quomodo cunque accepta.

Nec dicant Cartesiani 1. lineam non posse concipi sine extensione , & consequenter neque aliud corpus ; nam linea corporalis (de spirituali, si tamen talis aliqua concipi possit, abstraho) est totum accidentale , dicens plures partes extra se positas : at corpus per se non est totum accidentale , neque per se dicit partes (nam potest esse minimum, & indivisibile) multò minùs dicit partes extra se positas : adeoque paritas est nulla. Nec dicant 2. quod, si corpus per compenetrationem suarum partium perdere posset suam extensionem, id fieri deberet per motum in instanti unico factum , quod est impossibile; nam in primis non datur in SS. Eucharistia compenetratio strictè dicta , de qua re vide dicta infrà n. 588. dein ea mutatio fieret in duobus instantibus , in quorum priori partes corporis essent extensæ , in posteriori verò compenetratae.

301. Secundò Cartesius est valde exoticus in explicanda prima origine triplicis materiae , ab eo assertæ; docet enim , ut diximus n. 50. primitus à Deo conditam fuisse massam materię indefinite ma-

gnam : hanc dein divisam in minorēs partes, sed adhuc valde magnas, ex quibus singulæ singulis vorticibus fuerint assignatae : inde quamlibet ex his partibus, seu massis minoribus, altera divisione in plurimos cubos à Deo sectam fuisse, ac postea eis motum impressum , quo circa suum centrum rotarentur : quo motu sit factum , ut angulosæ partes cuborum , allisæ vehementer ad latera , vel etiam alias quacunque partes aliorum cuborum , fuerint abruptæ , atque ita exorta triplex materia , ut explicatum est n. 51.

302. Sed meritò huic assertioni, vel explicationi, opponitur impossibilitas motū; vel attritionis mutuæ cuborum , aut diffractionis angularium partium in Cartesii syltimate; nam, cum cubi isti initio fuerint arctissimè conjuncti , & nulla alia adhaerit materia , quæ mox succederet , & impleret spatiū , quod per separationem cuborum ab invicem aperiretur: vacuum autem juxta Cartesium sit impossibile : non videtur, quomodo ab invicem separari potuerint isti cubi , quorum tamen separatio necessariò præcedere debuit motum eorum circa centrum. Minùs adhuc videtur sine vacuo explicabilis ipse motus circa centrum ; cum cubi quadrangulares , dum rotabantur, non potuerint undique arctissimè cohærere , ut est per se clarum , adeoque vacuum dari debuerit.

**303.** Fortè tamen Cartesiani repontent, quod hæc omnia potuerint fieri infinita potestate divina, & sic probabunt. Ad motum sine vacuo tantum necesse est, ut in rei motæ locum mox alia res succedat: & sic, dum movetur aqua, nullum sit vacuum: potest autem Deus sua omnipotenti virtute facere, ut, sicut in liquidis, ita etiam in solidis, & duris, uni materiae motæ mox succedat alia; neque enim Deo impossibile est, materiam etiam duram, & solidam intrudere in spatium, ab alia materia dura abscedente relictum, non attenta exigentia naturali duritie.

**304.** Verum hac ratione debuit statim initio mundi creati contingere magnum miraculum, non minus illo, quod postea contigit in igne Babylonico; ut enim hic exigit urere, ita corpus durum (quale tunc fuit illa materia, nequam divisa, aut in globulos, vel scobem redacta) exigit seipsum terminare termino proprio, & non alieno: & tamen S. Augustinus apud Suarez *disp. 15. Metaph. sec. 8. n. 6.* docet, Deum tunc operatum fuisse, non ut miraculorum opificem, sed ut auctorem naturæ. Neque tamen producendæ triplici materiae Cartesianæ sufficit istud miraculum; nam succedente semper materia dura, & solida, angulosæ partes cuborum semper undique sustentatae fuissent, à supposita, & circumposita materia dura ubique suc-

cedente: adeoque, ut patet consideranti, non potuerint abrumpi.

Certè novo, & magno miraculo in eo casu opus fuisset, ut angulosæ partes avellerentur à cubis: non autem debent pro libitu à Philosopho fingi prodigia in gratiam systematis, quod alias nec communi persuasioni consentit, nec rationi satis congruit. Longè sanè credibilius est, Deum primis diebus creationis mox materiam primam, cum formis terrestrium, ac cælestium corporum, produxisse, & sic mundum elementarem inferiùs, superiùs autem cælos statuisse, ut Peripatetici docent.


**305.** Exoticum etiam est Cartesii postulatum, ut cum aliis obseruat auctor itineris per mundum Cartesii, quo postulat credi, quod materia diversorum vorticum, licet sint liquidissimæ, & fluidissimæ, atque sine intermissione se mutuo motu, undique, & in omnem partem lacestant, tamen non frequentissimè confundantur: certè, si duo vortices in aqua (quod exemplum Cartesianis est familiare) ita in se impingerent, mox confunderentur, licet aqua nec à longè sit tam fluida, quam materia primi, & secundi elementi, ex qua vortices potissimum constant; cum aqua potissimum partem constet ex tertio elemento.

**306.** Multò adhuc majus postulatum est, quod globuli secundi elementi, fluidissimi, & celerrimè moti,

moti, semper tamen linem rectam, per quodlibet punctum vastissimi spatii intermedii, ad oculum usque confiant, ut visio fiat, et si transire debeant per plures alios vastissimos vortices: sicut debent transire lineæ globulorum, quæ à supremis astris, in primis per vortices aliorum astrorum, dein per vortices solis, & aliorum planetarum, ad nos tendunt, & in filamenta nervi optici impingendo juxta Cartesium visionem efficiunt. Præsertim, cum quilibet globulus ab incurribus, ex omni parte totius sphæræ, aliis globulis impetratur, adeo, ut à quibusdam sursum, ab aliis deorsum, ab his dextrorum, ab illis sinistrorum &c. urgeatur. Plura adhuc alia exotica in Cartesii systemate dantur, e. g. circa motū, ab uno ad ad aliud corpus propagationem, & indestruibilitatem, de qua supra n. 52. item circa impotentiam creaturarum ad aliquid producendum, de qua n. 106. item circa lucem, visionem, vitam brutorum, motum corporum &c. quæ hic omitto, acturus de iis alibi suis locis.

Ex his tamen puto sat satis patere, hoc systema varia absurdā, atque

difficillima in se complecti, & sola ingeniosa novitate se commendare; unde quidem doctrina Cartesii quibusdam novitatum amantibus placuit: at à plurimis, etiam Universitatibus, est rejecta, & non tantum ab Academiis Germaniæ, Italiæ, & Hispaniæ, ubi vix sectatores invenit, sed etiam ab Universitatibus Parisiensi, Lovaniensi, ac aliis in Gallia, & Belgio, ubi prius paulò faciliorem aditum invenerat, fuit proscripta. Videantur *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* tom. 1. an. 1725. Fevrier a. 16. pag. 305. & seq. ubi P. Castell Cartesianis objicit, Cartesium quasi nihil demonstrasse: item tom. 1. an. 1706. Fevrier a. 22. ubi pag. 284. ex Domino du Hamel refertur, quod Ludovicus XIV. Galliæ Rex vehementer incubuerit, ut è scholis eliminaret doctrinam Cartesii: & quod varii Academiæ Galliæ, itemque varii Ordines Religiosi eodem in regno eandem rejecerint. videatur etiam *Censura Philosophie Cartesiana* Huetii Episcopi Sueßionensis, in qua valde multa in Cartesiano systemate exotica adducuntur, & reprehenduntur.



QUÆ-

# QUÆSTIO QUINTA.

*De Proprietatibus Materiae Primaæ.*

## ARTICULUS I.

*An Materia Prima habeat propriam Essentiam, & Existentiam,  
& an istæ inter se distinguantur.*

307. Post tractatas hucusque sat fuse controversias corpuscularias, & stabilitum, quantum satis est, sistema Aristotelicum circa materiam primam, nunc agitandæ veniunt quæstiones aliquæ, inter ipsos Peripateticos controversæ, circa eandem materiam, atque etiam formam, nec non earum proprietates: & prius agendum est de iis, quæ ad materiam spectant: tum de iis, quæ spectant ad formam: inde progrediendum ad utriusque nexus, seu unionem. Primo autem quærendum est, an materia habeat propriam essentiam, & existentiam; cum enim materia definiatur neque quid, neque quantum, neque aliud &c. insuper dicatur pura potentia, Thomistæ intulerunt, eam ex se non habere actum existentiae, sed existere per existentiam formæ. Hanc eorum opinionem multi impugnant, transmissa distinctione essentiae ab existentia: at mihi videtur brevior via, si ex identitate earum, & probata propriâ essentiâ materiae, inferatur etiam propria eius existentia: itaque

308. Dico 1. Materia prima habet propriam essentiam. ita communissime auctores. Præb. Materia prima non est nihil, & non est identificata cum forma substantialis, minus adhuc cum accidentibus: ergo habet aliquam entitatem, seu, quod idem est, essentiam sibi propriam. censq. non potest negari, nisi quæstio fiat de voce; licet enim aliquando, e. g. agendo de divinis, non intelligatur per essentiam tantum aliquid distinctum à nihilo, tamen agendo de materia prima, quæ non involvit mysterium simile mysterio SS. Trinitatis, per essentiam aliud non intelligitur, quam aliquid realiter distinctum à nihilo. ant. etiam patet; nam materia prima à parte rei non est nihil; alias, dum formæ materiales ex ipsa educuntur, educerentur ex nihilo, adeoque tam ex nihilo subjecti, quam ex nihilo sui: consequenter non generarentur: deinde compositum substantiale utique non constituitur ex nihilo tanquam subiecto, cui inhæreat forma.

309. Quod autem materia non sit identificata formæ substantiali, aut

aut accidentibus, est manifestum; cum sit ab ipsis separabilis, & saepius actu ab iis separetur, dum in corruptionibus formarum substantialium, & accidentium, materia manet. Adde, quod materia sit simplex, & incompleta, adeoque non possit componi, aut constitui ex forma, ut facile patet consideranti. Jam vero *Actus entitativus*, quem Seocista, & nostri materiae primae attribuunt, recipi nec est, nec intelligitur aliud esse, quam essentia à parte rei; unde etiam hic admittendus est in materia prima, quæ quomodo tamen sit pura potentia, inferius n. 311. explicabitur. Plura vide apud Suarez tom. 1. *Metaph. disp. 13. sec. 4. & s.*

310. Dico 2. Materia prima habet etiam propriam existentiam, distinctam ab existentia formæ. ita nostri communissimè contra Thomistas. Prob. Essentia, & existentia rei sunt realiter idem: sed materia prima habet propriam essentiam, distinctam ab essentia formæ: ergo etiam habet propriam existentiam. ma. est omnium nostrorum, & plurimorum aliorum, etiam antiquorum, quos vide citatos apud Suarez tom. 2. *Metaph. disp. 31. sec. 1. n. 12.* & omisis aliis rationibus pluribus, quas videre est apud eundem Exponit *cit. disp. sec. 5. & 6.* prob. cum eodem *cit. sec. 3. n. 10.* & cum Arriaga. *disp. 2. Metaph. sec. 3. n. 53.* negative; quia non est illa prorsus necessitas, nec etiam

signum ullum distinctionis realis, inter essentiam, & existentiam ejusdem rei, ut ex solutione objectorum magis patebit.

Confirm. Si essentia rei debet fieri existens per existentiam superadditam, tunc etiam ipsa hæc existentia creata debet fieri existens per novam existentiam iterum superadditam, & hæc nova existentia iterum per aliam in infinitum: sed hoc admitti non potest: ergo. ma. patet ex solutione, & retorsione objectionum, ex quibus clarescit, argumenta, vel utrumque, vel nihil probare.

311. Ob. 1. contra 1. conclus. Materia prima est pura potentia: ergo non habet ullum actum, adeoque nec actum entitativum, seu essentiam. Resp. dist. ant. materia est pura potentia physica. conc. ant. metaphysica. neg. ant. & dist. conseq. non habet ex se ullum actum physicum. conc. conseq. non habet actum metaphysicum, qualis est *actus entitativus*. neg. conseq.

*Actus physicus* est forma physica, ordinata à natura ad informandum subjectum, à se physicè distinctum: talem autem formam ex se non habet materia prima; nam neque ipsa informat aliquod subjectum, nec ipsa ex se est informata per ullam formam, adeoque est pura potentia physica.

312. *Actus metaphysicus* est tantum aliqua forma metaphysica, denominans subjectum realiter iden-

cificatum, & tantum formaliter distinctum, qualis est rationalitas respectu animalitatis in homine: talem autem actum ex se habet materia prima, sive ipsam est talis actus, aut forma metaphysica, quatenus denominat scipiam, potentem recipere formas physicas, ingenerabilem, & incorruptibilem; quare materia non est pura potentia metaphysica.

313. In modo nulla potest dari pura potentia metaphysica positivè talis; quia, quidquid in rerum natura est distinctum à nihilo, habet unum, vel plura praedicata sibi identifica ta, à quibus accipit unam, vel plures denominationes. vide Suarez tom. I. *Metaph. disp. 13. sec. 4. & 5.*

Noto etiam 1. cum eodem Eximio cis. sec. 5. n. 11. aliud esse, materiam esse *param potentiam*: aliud, materiam esse *in pura potentia*: primum est verum; quia significat, materiam ex se non habere ullum actum physicum: alterum est falsum; quia significat, materiam non esse actu, sive non existere. Noto 2. materiam, cùm sit ens simplex, totam esse potentiam physicam, & totam esse actu metaphysicum: in quo tam parùm est repugnantia aliqua, quia parùm in eo, quod totus actu contritionis sit amor Dei, & simul sit odium peccati.

314. Dices. Datur actus purissimus sine omni potentia latitate, scilicet Deus: ergo debet etiam dari potentia purissima sine omni actuall-

tate: hoc non potest esse alia, quam materia prima: ergo. prob. conseq. quando datur unum contrarium, debet etiam dari alterum: ergo, quando datur actus purissimus, debet dari etiam potentia purissima. Resp. retrorq. arg. Datur ens à parte rei existens omni tempore, & omni loco, scilicet Deus, xternus, & immensus: ergo etiam debet dari ens à parte rei existens, sed nullo tempore, & nullo loco, quod est falsum.

Dein multi graves Theologi admittunt, dari in Deo potentiam aliquam metaphysicam, vel logicam intelligendi, volendi &c. sed hoc omisso in forma neg. conseq. ad prob. dist. ant. debet dari etiam alterum contrarium in qualitatibus corruptivis, quæ se mutuo expellunt ex subjecto. conc. ant. debet dari universaliter alterum contrarium positivè tale. neg. ant. & conseq. Certè nullum accidens est luci, utpote, quæ est juxta Peripateticos qualitas perfectiva, positivè contrarium; nam tenebrae non sunt aliquid positivum: opacitas autem non destruit lucem, sed sèpe eam reflectit, ac per reflexionem servit ad ejus propagationem.

315. Ob. 2. Materiam prima non habet speciem: ergo neque habet essentiam, quæ constitutur ex genere, & differentia, seu est species, prob. ant. ut habet S. Thomas q. de spirital. creat. a. 1. ad 24. Species sumitur à forma; sed materia prima

~~et~~ se non habet formam : ergo.  
Resp. dist. aut. materia prima non  
habet speciem completam ; qualis  
datur in compositis substantialibus.  
conc. aut. non habet speciem incompletam. neg. aut. & sub eadem  
dist. conc. vel neg. conseq. S. Do-  
ctor loc. cit. ut expressè se explicat,  
per materiam non intelligit mate-  
riam primam, sed prædicatum super-  
ius, seu magis communè, quale est  
animal respectu rationalis : & à ta-  
li prædicato magis communè, ait,  
desumendam esse rationem generi-  
cam : ab alio verò minus communè,  
& proprio, e. g. rationali, desu-  
mendam esse rationem specificam :  
idque etiam debere fieri in crea-  
turis spiritualibus : quia non sunt no-  
bis ultatenus contraria.

Idem proportionaliter observan-  
dum est circa materiam primam ;  
nam etiam hujus genus debet esse  
prædicatum magis commune, &  
differentia minus communè, seu  
proprium : & sic in conceptu ma-  
terie, adducto n. 9. terminus sub-  
iectum est genus ; quia magis est  
communis : reliqui verò termini  
minus communes, seu magis pro-  
prii, sunt differentia : qua ratione  
habetur species materie prime.  
Hec tamen species, quia est entis  
incompleti, rectè vocari potest spe-  
cies incompleta ; cum illa, quae est  
entis composta, & habetur à for-  
ma, à Suarezio *dissp. 13. Metaph.*  
*sc. 4. n. 12.* vocetur completa : est  
tunc species materie prime in sua

ratione ultima, & infima, ut ibidem  
præmittit Eximius.

316. Dices i. Aristoteles *1. Phys.*  
*sc. sex. 69.* docet, quod, sicut li-  
gnum, aut ~~et~~ se habet ad formam  
artificialem, e. g. ad lecticam, vel  
statuam, ita le habeat materia pri-  
ma ad formam naturalem : ergo,  
sicut ~~et~~ se, aut lignum, non habet ex-  
istentiam, aut essentiam artificia-  
lem, nisi à forma artificiali, ita ne-  
que ~~materiæ~~ prima habet existenti-  
am, aut essentiam naturalem, nisi à  
forma physica. Resp. neg. conseq.  
atque etiam ejus suppositum. Aris-  
toleles ibi per formam non intel-  
ligit essentiam, vel existentiam  
(qua valde impropriè dicitur arti-  
ficialis) sed intelligit formam phy-  
sicam, in artificialibus quidem acci-  
dentalē, in naturalibus verò sub-  
stantialē, per quam res constitui-  
tur in determinata specie substi-  
tutæ, seu sit, ut ait Philosophus *be-*  
*siquid*, unde tantum vult, mate-  
riam sine forma substantiali non es-  
se completam in certa specie sub-  
stantialis, sicut lignum, aut ~~et~~ sine forma  
artificiali non est completa  
lectica, vel statua. Sed neque jux-  
ta Aristotelem est inter ista quoad  
omnia paritas ; alias, sicut ~~et~~ se, &  
lignum, possunt naturaliter dari si-  
ne omni forma artificiali, ita ma-  
teria prima posset naturaliter dari  
sine omni forma substantiali natu-  
rali.

317. Dices i. S. Thomas *1. P.*  
*q. 15. a. 3. ad 3. ait 5. Materia in*  
*S. 3.*

*cundum se, neque esse habet, neque cognoscibilis est*: ergo materia prima non habet propriam essentiam, immo neque cognoscibilitatem. Resp. hunc textum S. Doctoris utique difficultem esse; quia videtur eo asseri; quod neque Deus materiam primam, secundum se sumptam, cognoscat, id quod etiam *ex art. cit.* videtur inferri: & hinc Vasquez *som. 1. in 1. p. disp. 74. c. 3.* quoad hoc à S. Thoma recedit, ~~in~~ ille pro se citat Albertum, asserentem, dari in Deo propriam ideam materie prime. Consentit Vasquio Suarez *som. 1. in 1. p. l. 3. de attrib. div. c. 5. n. 13.* ubi etiam pro se citat Albertum.

318. At verò idem Eximus *som. 1. Metaph. disp. 13. sec. 6. n. 1.* dicit, materiam primam à Deo exactè, directè, & prout est in se, cognosci: non tamen haberi à Deo ideam materie propriam, seu adaequatam unius materie prime, id est, quæ huic solidi adaequatur, & ipsam solam representet: quæ explicatio an plenè ad mentem Angelici sit, dubitari potest: facile tamen à nobis admitti potest; quia juxta eam in materia prima potest admitti aliqua essentia informis, ac incompleta, & huic proportionata cognoscibilitas; unde conformiter ad datam explanationem dist. conseq. materia non habet propriam essentiam completam, & formatam, aut cognoscibilitatem essentiaz complete proportionatam. conc. conseq. non habet

essentiam incompletam, ac informem, & cognoscibilitatem tali essentiaz proportionatam. neg. conseq.

319. Ob. 3. *Esse est propter operari*, sive essentia est propter operationes: sed materia prima non operatur: ergo neque habet esse, seu essentiam. Resp. dist. ma. esse principii activi est propter operari. conc. ma. esse principii pure passivi. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. Quilibet res est propter suum finem; cum ergo finis principii pure passivi, sive receptivi, sit recipere, non verò operari, potest dari sine operatione. Dixi tamen om. mi. nam Suarez *som. 1. Metaphys. disp. 14. sec. 3. n. 57.* cum aliis vulg. quod materia prima effectivè quantitatem, immo etiam alios suos modos emanet, hoc est, ad intra producat, ut se explicat Eximus *disp. 13. Metaph. sec. 3. à n. 3. ad 13.* quin etiam Arriaga *disp. 11. Phys. sec. 9.* docet, materiam primam produce-re suas proprietates.

320. Ob. 4. Si materia prima haberet propriam essentiam, seu actum entitativum, tunc forma quævis superveniret materia jam constituta in actu: sed, quod ita supervenit, est accidens: ergo quævis forma, e. g. leonis, superveniens materia, esset accidens: hoc est claram falsum: ergo. Confir. Si materia jam haberet actum entitativum, non posset ex ea, & ex forma, fieri unum per se: hoc est iterum falsum: ergo.

ergo. Resp. dist. ma. forma super-  
veniret materiae constituta in actu  
physico. neg. ma. constituta in a-  
ctu metaphysico. conc. ma. & dist.  
proportionaliter mi. neg. conseq.  
Materia, licet habeat actum meta-  
physicum essentiae, vel etiam exis-  
tentiae, tamen manet adhuc incom-  
pleta in genere physico; quia nec-  
dum est completum corpus, aut  
planta, vel animal: necdum etiam  
est compositum substantiale, sed  
hoc primum constituit eum super-  
veniente forma substantiali, e. g.  
leonis.

321. Ad confir. neg. ma. nam  
non quilibet actus metaphysicus,

seu quavis forma metaphysica, im-  
pedit, quo minus materia cum su-  
perveniente forma substantiali physi-  
ca possit constituere ens per se:  
sed hoc solùm impedit forma physi-  
ca: quamvis probabiliter nec ista  
semper id impediat; cum multi ad-  
mittant, formas partiales in embrio-  
ne præcedentes manere postea cum  
forma vivente, & tamen etiam i-  
stante facere unum per se cum mate-  
ria prima. Alia, quæ adhuc objici  
possent, cum sint communia con-  
clusioni secundæ (heut etiam aliquo  
hic jam soluta, sunt eidem  
communia) solvemus ar-  
ticulo sequente.

## ARTICULUS II.

### *Solvuntur Objectiones contra Secundam Conclusionem.*

322. O B. 1. contra 2. conclus.  
Materiae primæ non po-  
test esse identificatus ullus actus:  
ergo neque existentia. prob. ant.  
vel actus esset ipsi identificatus ad-  
æquate, vel inadæquate: neu-  
trum potest dici: ergo. prob. mi.  
non potest dico identificatus inad-  
æquate; quia sic materia haberet  
partes essentiales realiter distin-  
ctas, nec esset simplex: non ad-  
æquate; quia, vel esset actus infor-  
mans, & sic materia esset forma  
contra suam essentiam: vel esset  
actus subsistens, & sic esset perfe-  
ctor formis, seu actibus informan-  
tibus; quia hi sunt imperfectiones

actibus subsistentibus: & tamen  
materia est ens imperfectissimum:  
ergo.

323. Resp. dist. ant. materiae pri-  
mæ non potest esse identificatus a-  
ctus ullus physicus. conc. ant. me-  
taphysicus. neg. ant. & conseq. ad  
prob. neg. ant. & dico, actum me-  
taphysicum esse materię identifica-  
tum adæquate. ad prob. dieo, ne-  
que esse actum informantem; ut pa-  
tet, neque propriè loquendo subsi-  
stentem; quia per hunc intelligi-  
tur substancia completa, quales sūne  
Angeli: actus autem identificatus  
materię primę est substancia incom-  
pleta, quæ se sola naturaliter no-

poteſt ſubſiſtere; quare dico, actum materiæ primæ identificatum eſſe actum metaphysicum exiſtentia, & eſſentia, qui non habeatur à forma physica, attamen hanc reſpiciat, & ab ea depeſdeat; eoquod ſinē hæc naturaliter non poſſit exiſtere. Non autem habet materiæ prima, confequenter neque ejus eſſentia, aut exiſtentia, alia prædicata ita aſtimabili, ut propter ea formis poſſit aſquari, muſto minùs praeferti.

324. Ubi nota, aliud longè eſſe, materiam exiſtere dependenter à forma: aliud recipere à forma exiſtentiam; eodem caim modo, imd magis, quælibet res exiſtit dependenter ab aliqua ubicatione, quin tamen ab iſta recipiat exiſtentiam; nam poſteſt aliquid dependere ab aſio, non tantum tanquam à cauſa, ſed etiam tanquam ab effectu ſimultaneo, item tanquam ab effectu ſuo: ſic ignis dependet à calore, quem necessario producit. Talis tamen dependentia non eſt à priori, ſed vel à posteriori, vel à concomitantia: & ſimilem etiam habet exiſtentia materiæ à forma. Si fors velles dicere, hanc non eſſe dependentiam ſtrictè dictam, mea pace poteris vocare conneſſionem.

325. Ob. 2. Exiſtentia debet recipi in eſſentia: ergo debet ab iſta eſt distiſta; nihil enim recipitur in ſe ipſo. prob. ant. ſi non recipiatur, eſt actus irreceptus, adeoque illimitatus: ſed nulla creatura eſt illimitata: ergo. Confirm. 1. De ra-

tione creature eſt, ut ſit compoſita, & ſic diſtinguatur à Deo, prorsus incoſpoſito: ergo quælibet creatura debet eſt compoſita ex eſſentia, & exiſtentia; quia nulla alia coſpoſitio conveṇit universaliter creature. Confir. 2. Creatura non poſteſt ha- bere identificatam ſibi actualitatem agendi: ergo neque actualitatem exiſtendi, ſive exiſtentiam ſuam.

Reſp. cum Arriaga *disp. 2. Ma- sapb. ſec. 2. n. 40. neg. ant. ad prob. neg. ma. nam, licet actus metaphyſicus in nullo ſubiecto realiter diſtincto recipiatur, tamen non eſt illimitatus; cum ſemper ſit crea- tura, quæ eſt limitata, formaliter quidem à ſuis prædicatis limitatis, & finitis, effiſienter autem à ſua cauſa. Ad 1. confir. Reſp. 1. neg. ant. nam tam eſſentia ſe ſola ſpectata, quām etiam exiſtentia ſe ſola ſpectata, ſunt creature: & tamen ita ſpectata non ſunt compoſita. Reſp. 2. om. ant. neg. conseq. quælibet enim crea- tura exigit cum ſua ubicatione, vel duratione, conſtituere aliquod coſpoſitum, per quod jam diſſert à Deo, cui omnis, etiam talis, co- ſpoſitio repugnat. Ad 2. confirm. neg. conseq. Actualitas ita juxta adverſarios aliud non eſt, quām po- tentia agendi, actualiter ſe exer- cens, vel aliquid producens: adeoque in volvit producens, & produc- tum, quæ uique non poſſunt iden- tificari uni, eidēque creature; nam oppoſitio producentis, & pro- ducti, evidenter inferit diſtinctio- nem*

rem realem : nullum autem tale signum distinctionis datur inter essentiam, & existentiam.

326. Ob. 3. Si essentia, & existentia creatae identificantur, tunc creatura essentialiter existit : hoc est aperte falsum : ergo. Confir. Juxta nos una existentia esset subjectum alterius : sed hoc est impossible ; quia existentia est ultima actualitas rei cuiuscunque : ergo. Resp. 1. retorq. argum. in essentiam existentiae ; nam existentia, ut pote aliquid actu à parte rei, debet habere essentiam, & hanc quidem sibi identificantam. Resp. 2. neg. ma. Aliud est in sensu philosophico essentiam existere : aliud. essentialiter existere. Illud tantum significat, essentiam actu dari : sive dein contingenter, sive necessariò detur : alterum verò significat, essentiam absolutè necessariò dari, quod nulli rei creatæ competit. Sic etiam unde aliud est, essentiam hominis exigere cibum : aliud, eum exigere essentialiter, seu indispensabiliter.

327. Ad confirm. neg. mi. certe existentia materiarum realiter est subjectum existentiae formæ. Quando autem existentia dicitur ultima actualitas rei, per hanc non intelligitur ultima ejus perfectio ; alias subjectum existens non posset amplius recipere novum accidens, quod esset aliqua perfectio : sed intelligitur tantum ultima forma, denominans formaliter rem actu extra causas positam, sive existentiam

actu, & non amplius tantum in potentia, seu in statu possibilitatis; unde alii, & fors & quæ bene, existentiam vocant primam actualitatem: hoc est, quæ rem primâ denominat actu existentem.

328. Ob. 4. Deus Exodi 3. 2. 14. dixit ad Moysen : *Ego sum, qui sum* : ergo solus Deus habet essentiam, & existentiam identificantam. Confir. Ideo Deus nihil participat ab alio ; quia est suum esse, sive existere : ergo etiam creatura, quæ juxta nos est suum existere, nihil participat ab alio, sed est ens à se : hoc est falsum : ergo. Resp. neg. conseq. Textus ille significat, Deum esse ens, in omni genere ens, seu perfectionis maximum, & infinitum, atque à se, & absolute necessarium : quæ prædicata neutri quanti competunt creaturæ ; unde Deus per suam essentiam, & existentiam, absolutè necessariam, & infinitè perfectam, sufficientissimè discernitur a creaturis. Videre poteris apud Cornelium à Lapide in *hexa* SS. Patres, varias perfectiones divinas ex eo textu inferentes.

329. Ad confir. dist. ant. ideo Deus nihil participat ab alio ; quia est suum esse, sive existere quomodounque. neg. ant. quia est suum esse, sive existere à se, & independenter ab omnibus aliis. conc. ant. & neg. conseq. ac conc. subsumpt. iterum neg. conseq. Alexander Alensis in *s. Metaphysica* sext. sub finem scribit, eorum imaginationem esse falsam, qui putant,

tant, quod essentia creature participas ipsum esse tanquam quoddam diversum realiter: & post pauca addit: *Essē autem creatura est esse participatum; quia esse cuiuslibet creature ab alio est.* Dein hoc argumentum retorquetur in ipsa existentia creata, quæ utique est suum existere; si enim per novam existentiam superadditam deberet reddi existens, etiam ista nova indigeret rursus aliâ novâ, & sic in infinitum, ut facile patet consideranti. Dicere autem cum quibusdam, quod existentia non existat, sed tantum reddat essentiam existentem, est ludere in verbis; quid enim est existere, nisi actu, & realiter per statum dari in rerum natura? utique autem existentia quævis creata ita datur? Sanè eodem modo posset dici, animam non vivere, sed tantum reddere corpus vivens.

330. Ob. 5. De essentia, & existentia creata verificantur plura prædicata contradictoria: ergo realiter inter se distinguntur. prob. ant. 1. Existentia est producibilis ab alia creature: essentia non est ita producibilis: 2. Existentia est mutabilis: essentia non est mutabilis, 3. Existentia est destruibilis: essentia non est destruibilis: hæc sunt contradictoria: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. omnia tria membra: existentia est producibilis, mutabilis, destruibilis, & essentia non est destruibilis &c. co-

dem modo. neg. ant. diverso modo. conc. ant. & neg. consèq.

In primis, tam essentia, quam existentia, sunt producibiles, pro libertu Dei, aut etiam applicatione libera, vel necessaria cause creatæ. Fuere quidem aliqui, quos citat Suarez tom. 2. *Mesaph.* disp. 31. sec. 9. n. 2. qui asseruerunt, existentiam non produci à creaturis: at eos efficaciter refellit Eximius cit. sec. n. 6. & si hoc admitteretur, objectio adhuc minorem vim haberet.

331. Rursus essentia non in alio sensu immutabilis, & indestruibilis est, quam in hoc, quod, si Deus velit ponere essentiam hominis, immutabiliter debet ponere animal rationale (quæ prædicta immutabiliter constituant essentiam hominis) sed idem animal rationale etiam debet Deus immutabiliter ponere, si velit ponere existentiam hominis. At potest Deus existentiam hominis, vel aliis accidentibus afficere, vel semel positam iterum destruere, & in hoc sensu existentia mutabilis est, & destruibilis: sed in eodem sensu etiam mutabilis, & destruibilis est essentia.

332. Dices. Essentia est necessaria: existentia non est necessaria, sed contingens, & libera Deo: hæc sunt contradictoria: ergo. Confir. Essentia hesterna, & hodierna est eadem: existentia hesterna, & hodierna non est eadem: hæc iterum sunt contradictoria: ergo. Resp. dist.

dist. ma. essentia est necessaria, & existentia non est necessaria eadem necessitate. neg. ma. diversa necessitate. conc. ma. & dist. sic. mi. neg. conseq. Essentia est necessaria ita, ut, si Deus velit producere e. g. hominem, necessariò debeat producere animal rationale: & sub eadem conditione etiam necessaria est existentia hominis. Similiter existentia est libera Deo, ita, ut in libera ejus potestate sit, absolutè producere existentiam, vel eam non producere, & sub ista ratione etiam est contingens: sed pari modo etiam libera, & contingens est essentia; unde etiam easdem debemus Deo grates pro essentia absolutè producta, quas ei debemus pro absolutè producta existentia. Ad confirm. neg. 2. p. ma. Existentia hodierna, & hesterna, e. g. Petri, est eadem, sicut essentia, & manet eadem, donec destruatur; quamvis alia sit duratio hodierna Petri, quam hesterna: sed hæc est realiter distinctione, tam ab essentia, quam ab existentia Petri.

333. Ob. 6. Essentia etiam creatura est æterna: existentia non est æterna: ergo adhuc verificantur contradictionia. ant. quoad 1. p. habetur ex communi Philosophorum proloquo: quoad 2. p. est de fide: ergo. Confir. Essentia ponitur in definitione: existentia non ponitur in definitione: ergo. Resp. dist. 1. p. ant. essentia est æterna realiter actu, seu per statum. neg. 1.

*Tom. II.*

p. ant. tantum objective, & per alienationem. conc. 1. p. ant. & dist. proportionaliter 2. parte neg. conseq. Nec essentia creata, nec existentia, datur ab æterno per statum; est enim de fide, nullam creaturam actu existere ab æterno: at datur, tam essentia, quam existentia, e. g. hominis, ab æterno objective, quatenus ab æterno est cognoscibilis: & ab æterno vera est hæc proposition: *Homo est animal rationale:* vel ista: *Antichristus est homo:* que propositiones aequivalenter, vel implicitè, faciunt hunc sensum conditionatum: *Si existit homo, tunc existit animal rationale:* *Si existit Antichristus, existit homo:* ubi vides, tam essentiam, quam existentiam conditionatè affirmari.

Ad confirm. om. ant. nam in sensu reali etiam existentia ponitur in definitione (vide in simili dicta in *Logica n. 418.*) neg. conseq. si enim loquamur in sensu formalí, ut debemus, istud discrimen non infert, nisi aliquam distinctionem formalē, qualis datur inter rationale, & risibile; nam etiam risibile non ponitur in definitione; in hac enim tantum ponuntur prædicata specia-liter essentialia, seu primaria, & respectu aliorum radicalia: præfertim autem non ponitur in definitione ullius entis creati prædicatum *existens;* ne quis putet, hoc prædicatum sumi pro statu, & simul verbum est sumi in vi verbi, adeoque rem definitam essentialiter habere T. - existen-

existentiam actualem, quod de nulla creatura dici potest.

334. Dices 1. Existencia non existens non est existentia: ergo nulla solutio. Respondet Arriaga *disp. 2. Metaph. sec. 2. n. 46.* eodem modo etiam essentiam non existentem non esse essentiam. in forma dist. ant. non est existentia realiter, & per statum talis. conc. ant. non est existentia objectivè, seu conditionare talis. neg. ant. & conseq. Utique existentia Antichristi futuri nondum est actu existens, seu nondum est per statum: attamen est aliquid objectivè, seu aliquid positivum cognoscibile; quando enim Deus eam cognoscit futuram, utique non cognoscit nihil, sed cognoscit aliquid reale, nondum quidem actu existens, sed tamen aliquando realiter actu extiturum.

335. Dices 2. Istæ propositiones: *Antichristus est homo;* &: *Antichristus existit*: habent distincta objecta: sed prior habet pro objecto essentiam, altera existentiam: ergo essentia, & existentia sunt distinctæ. prob. ma. prior propositio est vera, altera est falsa: ergo habent diversa objecta. Resp. neg. ma. ad prob. conc. ant. neg. conseq. Ex propositionibus habentibus idem objectum potest una esse vera, altera falsa, propter diversum modum tendendi. Certe propositiones contradictoræ habent idem objectum: attamen, quia una tendit negativè, altera affirmativè, ideo una

est vera, altera falsa: idem patet in propositionibus disjunctivis, & copulativis, e. g. in his: *Vel Petrus est doctus, vel non est doctus*: quæ vera est, & : *Petrus est doctus, & non est doctus*: quæ falsa est, licet habeat idem objectum cum priore.

336. Quare etiam propositio conditionalis potest esse vera, licet falsa sit propositio absoluta de eodem objecto: adeoque, cùm propositio: *Antichristus est homo*: ut dictum n. 333, sit conditionata: altera verbis: *Antichristus existit*: ut pote in materia contingente, sit absoluta, prior est vera, altera falsa, licet habeant idem objectum. Ubi tamen noto, hanc aliam propositionem: *Antichristus est existentia*: non esse falsam; quia & ipsa est tantum conditionata, & ex communi acceptione facit hunc sensum: *Si datur Antichristus, datur etiam ejus existentia*. Vera etiam est haec propositio: *Antichristus est homo*, & nondum existit; neque enim secundum membrum est contradictoriæ oppositum primo; cùm primum sit conditionatum, alterum absolutum, & tota propositio faciat hunc sensum omnino verum: *Si existit Antichristus, existit homo*: attamen nondum absolute existit.

337. Ulterius noto. Propositiones aliquæ de rebus creatis dicuntur *Propositiones aeterna veritatis, & necessaria*: at sensus earum non est absolutus, sed conditionatus, ut jam

jam dictum n. 333. & similis est e. g. propositionis: *Homo est animal rationale.* In his autem propositionibus verbum *est* non sumitur in vi verbi, ut significet existentiam subjecti pro tempore importato: sed sumitur tantum in vi copulae, ut significet convenientiam praedicationis subjecto: item non sumitur pro statu, sed tantum per alienationem; unde haec propositiones *vere sunt*, etiū subjectum earum non existat, nec unquam extititum sit.

Sed & propositiones contingentes conditionatae non exigunt absolutam existentiam sui objecti, vel objecti, ut est clarum. At verba propositiones contingentes absolute, ut dictum in *Logica* n. 39. & 40. item 74. & 76. ad veritatem exigunt existentiam subjecti, vel objecti, pro tempore importato per copulam: essentur autem, ex communione omnium, etiam illae propositiones contingentes esse absolute, quæ existentiam alicujus creaturæ simpliciter affirment. Hæc notanda visa sunt pro maiore intelligentia dictorum, & dicendorum.

338. Ob. 7. Defacto nunc datur essentia Antichristi: non autem datur defacto nunc ejus existentia: ergo sunt separabiles, adeoque distinctæ. Resp. neg. i. p. ant. nam ea propositionis absolute, & per statum sumpta, ut videtur debere sumi, ob particulas *defacto, nunc*, est falsa; habet enim hunc sensum:

*Existit in rerum natura essentia Antichristi*: quod est falsum. Si autem ea propositionis sumatur minus strictè, seu in sensu conditionato, aut per alienationem, ut aliquando ab aliquibus videtur sumi, tunc quidem est vera: sed tunc falsa est altera pars antecedentis; nam eodem modo etiam datur existentia:

339. Dices i. Essentia possibilis, & essentia actualis, sunt realiter identificatae: sed essentia possibilis est realiter distincta ab existentia: ergo etiam essentia actualis. ma. supponitur communiter à nostris. prob. mi. essentia possibilis, e. g. Antichristi: vel ejus possibilitas, nunc actu datur: existentia ejusdem nunc actu non datur; nam nunc nequidem existit Antichristus: ergo.

Resp. neg. mi. ad prob. neg. i. p. ant. nam strictè loquendo possibilis intrinseca Antichristi nunc actu, sive per statum, non datur, sed tantum datur in sensu conditionato, aut per alienationem, quo in sensu datur etiam existentia. Dixi *possibilitas intrinseca* (quæ etiam vocatur *formalis*) id est aptitudo ad terminandam actionem productivam sui, seu non repugnantia, aut positiva convenientia praedicatorum; nam *possibilitas extrinseca*, quæ respectu omnium creaturarum est omnipotentia Dei, utpote causa omnium, jam datur per statum ab æterno: sed hæc non est identificata.

sicata cum effentia creata, neque cum existentia.

340. Dices 2. Juxta omnes veræ sunt istæ propositiones: *Antichristus est nunc possibilis*: & *Nunc datur possibilitas Antichristi*: ergo per statum datur ea possibilias. prob. conseq. particula *nunc* jam significat statum: ergo. Resp. neg. conseq. ad prob. dist. ant. particula *nunc* significat statum absolutè, & simpliciter. neg. ant. conditionatè. conc. ant. & neg. conseq. Hoc ipso tamen, quod tantum conditionatè significet statum, res non debet per statum simpliciter dictum jam existere: nempe, ut jam dictum est, hæ propositiones tantum sunt veræ conditionatè, & faciunt hunc sensum: *Si nunc produceretur Antichristus, nihil fieret impossibile*: qui sensus non est nugatorius; quia non est formaliter identicus, ut per se patet. Aliquando tamen possunt istæ propositiones intelligi de possibiliitate activa, & extrinseca: & tunc sunt veræ in sensu absoluto.

341. Dices 3. Possibilitas rei præsupponitur ad ejus existentiam: ergo est distincta. Resp. dist. ant. possibilitas præsupponitur physicè. neg. ant: præsupponitur logicè. conc. ant. & neg. conseq. Physicè aliquid præsupponi est ejus physicam existentiam pro prior requiri ad al-

terius existentiam: & sic existentia materiae primæ præsupponitur ad productionem, vel existentiam formæ; quia debet materia pro priori existere, ut forma substantialis possit ex ea educi. Logicè præsupponi est aliquid priùs concipi, quam concipiatur alterum: & sic solet priùs concipi animal, quam rationale, atque etiam priùs possibilias rei, quam existentia ejusdem.

342. Dices 4. Plura sunt possibilia, quam existentia: ergo esse possibile, & esse existens, non sunt idem. Resp. neg. conseq. nam tandem sequitur, quod plura existant conditionatè, quam absolutè: sive etiam, quod de pluribus verificeatur propositio conditionata, quam absoluta (nam propositio, asserens aliquid possibile, est conditionata: at asserens aliquid existere est absoluta, ut dictum n. 337. & 340.) in quo nulla est oppositio. Non autem sequitur, quod aliquid, quod priùs exitit conditionatè, nunc autem existit absolutè, distinguatur à seipso: quod ipsum fateri debent ipsimet adversarii, qui negare non possunt, etiam plures existentias esse possibles, quam actu existentes, quin possibilitas existentiaz sit distincta ab existentia.



## ARTICULUS III.

### *Solvuntur Relique Objectiones.*

343. Q**B.** 8. *Essentia creata est indifferens ad existendum, & non existendum: ergo debet determinari ad existendum per existentiam superadditam.* ant. est clarum; quia nulla essentia creata necessariò, sed quælibet tantum contingenter existit. prob. conseq. indifferens ad sedendum, & non sedendum, ad videndum, & non videndum, debet determinari per superadditam sessionem, aut visiōnem, & sic de aliis: ergo. Resp. dist. ant. essentia creata est ad existendum indifferens physicè. neg. ant. indifferens logicè. subdist. si nondum existit. conc. si jam existit. neg. ant. & conseq. ad. prob. conc. ant. & neg. conseq. quia in ordine ad sedendum, vel videndum, datur indifferentia physica: quæ etiam datur in ordine ad modos, e. g. ubicationis, aut unionis: & ista indifferentia debet tolli per aliquid superadditum, non autem indifferentia tantum logica.

344. *Indifferentia physica* dicitur illa, quando res, jam physicè existens, potest aliquam aliam rem, vel determinatè, vel indeterminatè acceptam, habere, vel non habere: sic e. g. Petrus actu existens potest habere albedinem, vel eam non habere: & hæc indifferentia

utique debet determinari per aliquid superadditum; nam, cum Petrus ut existens sit separabilis ab albedine, utique non potest cum ipsa identificari, sive denominationem albi habere sibi adæquatè identificatam: sed debet ab ea denominatione saltem inadæquatè esse distinctus: adeoque debet ista denominatio involvere adhuc aliam partem, à Petro distinctam, quæ ei superaddatur.

345. *Indifferentia logica* in dupli sensu de aliquo dicitur; aliquando enim dicitur de eo, quod potest sine alio concipi: & sic genus, e. g. animal, dicitur logicè indifferens ad differentias, e. g. rationale, irrationalē; quia potest sinnè istis per cognitionem præcisivam concipi: & in hoc sensu sumpta indifferentia logica potest dici, non tam determinari, quam constitui per aliquid superadditum, nempe per cognitionem præcisivam; ipsa enim nullum animal in se est indifferens ad rationale, & irrationalē: sed tantum per cognitionem præcisivam concipiatur ut indifferens, seu intentionaliter fit indifferens. Aliquando autem indifferentia logica dicitur de eo, quod est indifferens ad existendum, & non existendum (in hoc sensu hic acci-

accipimus indifferentiam logicam) & sic essentia Petri, sive ipse Petrus, est logicè indifferens, ut actu à parte rei existat, vel non existat; hæc autem indifferentia non debet determinari per aliquid superadditum; quia potest aliquid esse ita indifferens ad seipsum, in hoc sensu, quod, dum nondum existit, etiam nondum denominet seipsum existens: at statim ita denominet, quando existit. Nec denominatio existentis sè habet ut denominatio e.g. sedentis; nam Petrus actu existens potest non sedere, & denominatio sedentis est ab ipso ut existente separabilis: at verò Petrus actu existens non potest non existere, & hæc denominatio non est ab ipso ut existente separabilis, consequenter etiam non est ab ipso distincta.

346. Totum hoc dicere debent adversarii de ipsa existentia creata, quæ utique etiam indifferens est, ut recipia actu, seu per statum existat, vel non existat: & tamen non debet determinari ad existendum per novam existentiam ex dictis n. 329. Negant quidem adversarii paritatem, & ajunte, existentiam esse ipsam formam, quæ denominat rem, seu essentiam existentem, adeoque non debere etiam ipsi superadditi novam existentiam: sicut, quia albedo est forma denominans album, licet ipsa debeat superaddi muro, ut denominetur albus, tamen ipsi albedini, ut dicatur alba, non debet superaddi alia albedo.

347. Sed contra est. Eatenus formæ non debent, sicut subjecta, per novam formam determinari ad aliquam denominationem, quatenus non habent eandem indifferentiam, quam habent subjecta; sic enim anno non unitur nova unione, nec ubicatio ubicatur nova ubicacione; quia unio, & ubicatio, non habent eandem indifferentiam, quam habent eorum subjecta, seu modifica ta. Quando autem eadem indifferentia reperitur in formis, quæ in subjectis, tunc, si in subjectis requiritur aliquid determinativum superadditum, etiam requiretur in formis; quia in utrisque eadem est ratio, vel necessitas.

Jam verò eadem indifferentia ad existendum datur in ipsa existentia, quæ datur in essentia; cum etiam existentia non necessariò, sed contingenter existat: sic e.g. existentia Antichristi nondum actu existit: existet autem suo tempore: non necessariò; quia Deus posset illam non producere: adeoque tantum contingenter, sicut ejus essentia: ergo, si ad determinandam essentiam requiritur existentia superaddita, etiam requiretur ad determinandam existentiam: vel, si ad hanc non requiritur, neque requiretur ad illam.

348. Nec dicant, cum Mauro *Quest. philos. I. 2. q. 6. ad r.* puram potentiam indifferentem indigere quidem determinativo distincto, non verò actu; nam, si eadem est indif-

iadifferencia in utroque, erit in utroque par indigentia: præterquam, quod jam n. 341. negatum sit, essentiam materiæ primæ esse puram potentiam, in sensu adversariorum: & id multò magis negandum est de aliis essentiis.

Nec dicant iterum, existentiam non indigere novâ existentiâ; eoque quod ipsa sit forma denominans, tam essentiam, quam seipsum existentem, quandocunque existit: sicut e. g. ubicatio, quandocunque existit, denominat se ipsum, & rem modicatam existentem in loco, ideoque non indiget nova ubicatione; nam sic jam admittitur, quod aliquid indifferens ad existendum possit seipsum denominare existens, ex suppositione, quod existat, ac ruit argumentum, ab iadifferencia ista desumptu: nōsque pari jure dicimus, ipsum esse etiam, quamvis ex se indifferens sit ad existendum, tamen ex suppositione, quod existat, denominare seipsum existentem: adeoque habere existentiam sibi identificatam, neque hanc ab illa distingui.

349. Dices 1. A parte rei aliud est, Antichristum tantum esse posibilem: aliud Antichristum existeret ergo possibilitas, & consequenter essentia, ab existentia distinguitur. Resp. neg. conseq. Antichristum tantum esse posibilem, ratione particulae tantum significat, dari nunc ejus negationem, quæ negatio utique distincta est ab ejus

existentia: si autem præcisè dicetur Antichristus possibilis, neque ex circumstantiis colligeretur, subintelligi particulam tantum, nil aliud realiter esset, Antichristus possibilis, quam Antichristus existens: certè omnes homines defacto existentes etiam possibles sunt.

350. Dices 2. Juxta nos hæc denominatione *Antichristus tantum possibilis*, involueret contradictione: hoc non potest admitti: ergo. Resp. Multæ sunt denominations, quæ involvunt contradictione, ut *præteritum, futurum, corpus naturale in fieri*. Evidem verum est, has denominations esse successivas, & consequenter contradictione non debere dari simul, sed tantum successive; hinc Resp. 2. neg. ma. *Antichristus tantum possibilis* significat existentiam Antichristi tantum conditionate: at verò ejus negationem significat absolute: sive significat existentiam Antichristi obiectivè per alienationem, seu conditionate existentem: at negationem existentia actualis significat absolute existentem, eo in sensu, in quo negatio physica dici potest existens: quæ non sunt propriè contradictione.

351. Neque enim opposita sunt ista prædicata, vel istæ denominations: *Antichristus potens prodigi, sed nondum productus*: *Antichristus objective, & conditionate existens*: *sed non existens actualiter, & absolute*: verbo: proposi-

152 *Philos. Peripat. Pars II. Disp. I. Quæst. V. Art. III.*  
tio hæc: *Antichristus est tantam possibilis*: facit hunc sensum: *Si Antichristus modo produceretur, nihil fieret impossibile*: at defacto non est productus: in quo nihil est contradictionis.

Addendum autem hic est, quodd, sicut veritas, & falsitas propositionum saepe oritur, non ex diversitate objecti, sed ex diversitate modi tendendi propositionum, ut dictum n. 335. ita saepe etiam oppositio, vel non oppositio prædicatorum, non oriatur ex diversitate objecti, seu rei significata, sed ex diversitate modi tendendi, seu significandi prædicatorum: certè ista prædicata: *Antichristus possibilis*, & *Antichristus non existens*, non sunt contradictionia, licet à parte rei habeant idem objectum, & unum sit suo modo affirmativum, alterum negativum; eoquod habeant diversum medium significandi, nempe prius suo modo conditionatum, posteriorius vero absolutum.

352. Ob. 9. Christus habuit tantum unam existentiam: ergo humanitas Christi extitit per existentiam Verbi: ergo essentia illius humanitatis, & ejus existentia, fuere distinctæ. ant. prob. ex epistola Sophronii, approbata in Synodo VI. quæ est Constantinopolitana III. action. 11. multò ante medium, ubi sic habetur: *In illo Verbo itaque, & non semetipsa habuit natura humana existentiam unam*: ergo. Ref. dist. ant. Christus habuit u-

nam existentiam, id est, unam subsistentiam. conc. ant. id est, unam actualitatem utriusque naturæ datum per statum. subdist. habuit unam unitate identitatis. neg. ant. unitate compositionis. conc. ant. & neg. conseq. Suarez tom 2. Metaph. disp. 31. sec. 11. n. 7. bene advertit, existentiam aliquando sumi pro existentia ultimè completa in genere substantiæ, sive pro existentia per se, seu pro subsistentia: & sane ita videtur eam loc. cit. sumere Sophronius, ut ex tota ejus epistola colligitur, in qua agitur de eo, an in Christo sint duæ subsistentiæ, vel personæ: & si in hoc sensu sumatur existentia, clarum est, tantum dari unam in Christo; qui ex fide habemus, in eo tantum dari unam subsistentiam.

353. At non minus frequenter per existentiam intelligitur, non illa ultimè completa &c. sed tantum actualitas rei, per statum data in rerum natura: & si in hoc sensu sumatur, tunc humanitas Christi habet cum Verbo existentiam unam, non quidem per identitatem, attamen per unionem, quatenus unio facit, ut in Christo, existentia creata humanitatis, & increata Verbi, sint una existentia composita, & non divisa in duo supposita. vide Suarezum tom. 2. Metaph. disp. 31. sec. 12. & n. 14. ubi fusè hac de re agit.

354. Dices i. S. Thomas 3. p. q. 17. n. 2. in corp. & alibi docet, Christum tantum habere unum esse: ergo tantum

tantum habet unam existentiam. Resp. cur non infertur, cum habere tantum unam essentiam? in forma dist. ant. S. Thomas docet, Christum habere tantum unum esse simpliciter. conc. ant. habere tantum unum esse quomodo cuncte. neg. ant. & conseq. Angelicus loc. cit. docet, quod esse personale dicatur esse simpliciter: aliud vero esse, quod non pertinet ad esse personale, dicatur esse secundum quid: & talia esse secundum quid, sit, posse multiplicari in eadem persona; unde per esse simpliciter intelligit subsistere, & per existentiam simpliciter intelligit subsistentiam, quae utique in Christo est tantum una. vide ri etiam meretur Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 71. c. 2.

355. Dices 2. S. Damascenus l. 3. de fide. c. 22. ait: *Caro ab ultimo ortu Verbo unita est: imo potius in ipso extitit:* ergo existentia carnis, seu humanitatis Christi, non est alia, quam existentia Verbi. Resp. Versio S. Damasceni, quae mihi ad manum fuit, paulo alter habet, quamvis quead sensum vix discrepet: sed, quidquid de hoc sit, re torq. arg. Accidentia existunt in substantia, cui inherenter: & tamen neque adversari dicunt, accidentia existere per existentiam substantiarum. Reponunt quidem adversarii, substantiam esse diversi ordinis ab accidentibus: sed hoc non obstante accidentia tamen existunt substantiarum, adeoque existentia non

est existentia: dein utique etiam est infinita diversitas inter Verbum divinum, & humanitatem creatam. in forma neg. conseq. Ex verbis S. Damasceni tantum infertur, quod humanitas Christi subsistat in Verbo, seu non propriâ, aut creatâ, sed increata Verbi subsistentiâ terminetur: subsistentiam autem, & existentiam inter se distingui, hic suppono.

356. Dices 3. Si humanitas Christi haberet existentiam propriam, B. Virgo non fuisset mater Dei: hoc est Nestorianum: ergo. prob. ma. concursus B. Virginis fuisset terminatus totaliter ad existentiam humanitatis, antequam haec assumetur à Verbo: atqui sic B. Virgo non fuisset mater Dei, sed tantum hominis: ergo. Resp. retrorq. arg. Juxta adversarios B. Virginis influxus non fuit terminatus ad existentiam increata Verbi, ut patet; ergo etiam ipsi dicant, cur sit mater Dei.

357. Dicunt, in illo quidem signo naturæ, in quo B. Virgo præstite suum influxum, humanitatem Christi nondum habuisse ultimum terminum existentiae, nempe increatae, sed in eodem instanti eum acquisisse: & hoc satis esse, ut B. Virgo dicitur mater Dei. Sed & nos respondere possumus, quod humanitas Christi in eodem instanti, in quo B. Virgo præstite suum influxum, accepit ultimum terminum subsistentiae increatae, ac propterea ipsa

sit genitrix Dei; cum enim totum suppositum generari dicatur, et si non generatur omnes partes (ut patet in homine, qui totus dicitur generari, quamvis, nec materia, nec anima ejus generetur) potest dici Deus à B. Virgine genitus; quia ipsa genuit illud suppositum, quod erat Deus.

358. Quodsi B. Virgo dicatur, tanquam causa instrumentalis, supernaturaliter elevata, influxisse in unionem hypostaticam (quod p[ro]p[ter]e, & probabiliter sentiri admittit Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 10. sec. 1.* quamvis ipse id non sentiat) si, inquam, hoc dicatur, tunc fuit mater Dei; quia ejus concursus fuit

terminatus ad totum illud compositum Theandricum: & potest utique stante nostra sententia hoc dici, quamvis, ut recte Suarez *loc. cit.* habet, id necessarium non sit; cum ex modo dictis sat[s] apertum sit, quod, sine influxu in unionem hypostaticam, tamen B. Virgo sic verissime mater Dei, ideo, quod ex ea natum sit sacrum illud corpus, animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei verbum, carnaliter natum esse dicitur: quæ sunt verba Concilii Chalcedonensis action. 1. in epistola Cyriilli ad Nestorium apud Binium. videatur etiam Suarez *tom. 2. Metaph. disp. 31. sec. 82. n. 22. & seq.*

## ARTICULUS IV.

*An Materia Prima habeat sibi Identificatam Potentiam Recipiendi,  
& Sustentandi Formas Substantiales.*

359. **S**ensus hujus questionis est, an materia prima sit jam per seipsum capax, & apta ad recipiendas formas substantiales, easque sustentandas: an vero per aliquid superadditum debeat reddi apta: & sunt quidam, qui, sicut ex eo, quod materia sit pura potentia, intulerunt, quod per aliquid superadditum debeat fieri existens, ita ex eo, quod materia sit imperfectissima, inferunt, quod per aliquid superadditum debeat reddi potens recipere, ac sustentare formas substantiales. Recipere autem

has formas, non est aliud, quam eis uniri tanquam subjectum perfectibile: & eas sustentare non est aliud, quam esse causam materialem eorum: quod, ut alibi dicemus, est esse subjectum, pro priori naturæ præsuppositum, quod essentialiter respiciatur ab actione productiva formæ, & eandem actionem essentialiter recipiat,

360. Loquimur autem hic in primis de potentia receptiva, & sustentativa formarum substantiarum; nam, quod spectat ad formas accidentales materiales, & distingue-

tas à quantitate, satis communis Philosophorum, præsertim nostrorum est, eas recipi, & sustentari immediate à quantitate. Loquimur insuper de potentia proxima, & immediata recipiendi, & sustentandi formas substantiales, non adæquate, aut quidditatively sumpta (hæc enim utique involvit aliqua à materia distinta, e. g. varias dispositiones in materiam introductas) sed de potentia immediata, & proxima, inadæquate, seu denominative sumpta, sive secundum id, quod dicit in recto, & quod denominatur recipiens, aut sustentans: quæ denominatio non tribuitur dispositionibus, aut aliis similibus. His notatis

361. Dico 1. Potentia recipiendi formas substantiales, modò explicata, est identificata materiae primæ. ita S. Thomas i. p. q. 54. a. 3. arg. 3. Et ad 3. ubi quidem negat, potentiam intelligendi Angelis esse identificatam; eoquod sit operativa: admittit tamen potentiam materiae esse identificatam; eoquod non sit potentia operativa: item i. p. q. 77. a. 1. ad 2. sic ait: *Actus, ad quem est in potentia materia prima, est substantialis forma: & ideo potentia materia non est aliud quam ejus essentia.* Idem docent Comimbricenses in i. Physic. e. g. q. 3. a. 1. ubi plures citant. Arriaga disp. 2. Physic. sec. 3. n. 27. & communiter nostri. Prob. autem 1. negativè. Nullum est fundamen-

tum, ex quo merito inferatur distinctio hujus potentiae à materia: ergo non est afferenda; cùm entia sine necessitate multiplicari non debeant.

362. Prob. 2. conclusio positivè. Si daretur ea potentia distincta, deberet eam immediate recipere ipsa materia prima: sed, si materia prima potest immediate recipere istam potentiam, non est ratio; quare non possit immediate recipere formas substantiales: ergo, ma. non negatur, nec videtur posse negari; nam illa potentia, utpote ens incompletum, non potest extra subjectum subsistere, adeoque debet in aliquo immediatè recipi, & consequenter in materia prima; quia ipsa tandem est ultimum subjectum formarum, aut entium materialium. Accedit, quod non videatur ea potentia posse materiae conferre aliquam aptitudinem ad recipiendas formas, nisi in ipsa immediatè recipiatur.

263. Prob. jam minor superior. Si ea potentia (quæ absque dubio est aliqua forma respectu materiae) est substantialis, non est ratio, cur materia prima possit ipsam immediatè recipere, & non alias formas substantiales; cùm non sit major difficultas in uno, quam in altero casu; materia enim non ordinatur minus, vel magis ad unam, quam ad alteram formam substantialem. Si autem ea potentia est accidentalis, tunc potest materia immediatè

diatē recipere formam accidentalem, adeoque multò magis formam substantialem, ad quam immedia-  
tiūs ordinatur à natura, & cui magis est proportionata: ergo. Si for-  
tē velles dicere, etiam eam poten-  
tiam superadditam non immediate  
recipi in materia, sed iterum me-  
diane alio, tunc rediret nova quæ-  
stio de hoc alio, & sic in infinitum:  
quod admitti non potest.

364. Dico 2. Potentia susten-  
tandi formas substantiales materia-  
les etiam est identificata materiæ  
primæ. ita Arriaga *disp. 2. Physic.*  
*sec. 3. n. 29.* & communis nostro-  
rum. Dixi, *formas materiales*; nam forma spiritualis, seu anima  
rationalis, cùm creetur, non indiget subjecto sustentationis; unde  
materia non continet eam animam  
in potentia (hoc enim significat  
viam causandi) attamen est in ordi-  
ne ad ipsam in potentia, id est, po-  
tentia eam naturaliter recipere; quia  
anima est actus naturalis, & pro-  
portionatus materiæ, & ex amba-  
bus sit unum per se. Quodd autem  
nulla creatura possit animam ratio-  
nalem producere, nil obest; quia  
tamen producitur à Deo ut auto-  
re naturæ, naturaliter ad exigentia-  
m universi agente. vide Suarez  
*disp. 15. Metaph. sec. 2. à n. 12.*

Prob. 1. conclusio negative.  
Nulla prorsus est necessitas adstru-  
endi aliquam potentiam interme-  
diā, in qua essentialiter recipia-  
tur actio generativa formarum &

ergo. Prob. 2. positivè. Ista poten-  
tia deberet esse substantialis; nam  
accidens non potest esse causa ma-  
terialis, vel subjectum sustentatio-  
nis respectu substantiæ, ut videtur  
per se clarum: insuper istam poten-  
tiam deberet materialiter causare,  
vel sustentare, materia prima; nam,  
cùm ea potentia generaretur, de-  
beret habere aliquam causam ma-  
teriale, vel sustentativam, ut pa-  
tet: nec est assignabilis alia, quam  
materia prima; si enim alia assigna-  
retur, de ea iterum rediret eadem  
quæstio, & sic in infinitum, ut ostea-  
sum n. 363.

Jam verò, si materia prima po-  
tentia materialiter causare, vel su-  
stentare, istam potentiam substancialis,  
(quæ re ipsa esset aliqua for-  
ma substancialis respectu materiæ)  
& actionem ejus productivam, es-  
sentialiter in se recipere, tanquam  
ejus subjectum, pro priori nature  
præluppositum, non est ratio, qua-  
re non etiam possit immediate ita  
materialiter causare, vel sustentare,  
alias formas substanciales: ergo.  
vide iterum dicta n. 363.

365. Ob. 1. contra 1. conclus  
Si materia immediate unitur for-  
ma, & non potentia receptiva  
formarum, tunc non est ratio, cur  
potius materia dicatur subjectum,  
quam forma: sed hujus debet esse  
ratio: ergo. Resp. 1. rotorg. arg.  
& quero ex adversariis, cur mate-  
ria sit subjectum potentia recepti-  
ve formarum. Resp. 2. neg. ma. &  
dico,

deco, rationem esse, quodd materia magis perficiatur à forma, & non vicissim. Verum replicant adversarii, hoc ipsum esse inexplicabile, cur potius materia dicatur perfici à forma, quam hæc à materia; cùm utraque perfectibilis sit, & utraque uniatur.

366. Resp. ex pluribus perfectibilibus magis perfici illud, quod vel recipit nobilia prædicata ab altero: vel est finis, ad quem ordinatur alterum: vel determinatur ab altero ad aliquam denominationem, ad quam de se erat indifferens. Primo modo materia perficitur à forma substantiali; quia recipit ab ea nobilia prædicata, e. g. corporis, viventis. Secundo modo perficitur materia, vel alia substantia ab accidentibus (substantia enim est finis accidentium) & quidem perficitur, non quidem moraliter, sed tamen physicè, etiam ab accidentibus ipsam moraliter malam facientibus, e. g. intellectus à cognitione falsa; nam physicè perfici dicitur illud, cui tanquam subiecto additur aliqua entitas physica. Tertio modo perficitur forma, & materia, ab unione substantiali; quia ab hac determinantur, ut sint compositum实质的, & sint, ac determinentur unitæ.

Si queras, quidnam deberet esse subjectum ex unitis duobus entibus æquè perfectis. Resp. quibusdam videri, eam unionem repugnare ob defectum finis. Si tamen possibi-

lis oceatur talis unio, tunc in casu, quo unirentur talia entia æquè perfecta, & quidem, ut neutrum ordinaretur ad alterum, tanquam ad suum finem, & neutrum etiam præ altero determinaretur ad aliquam denominationem, ad quam esset indifferens, tunc, inquam, etiam neutrum esset subjectum, aut forma: sed utrumque diceretur terminus intrinsecus, eo ferè modo, quo in Christo, neque humanitas, neque Verbum est subjectum, aut forma, sed sunt tantum termini intrinseci.

367. Ob. 2. Si materia prima potest immediate recipere formas, est infinitè perfecta: hoc est falsum: ergo. prob. ma. formæ possibles sunt saltē syncategorematicè infinitæ: sed, si materia prima potest recipere formas syncategorematicè infinitas, tunc est infinitæ capacitatris, seu perfectionis: ergo. prob. mi. omnipotencia divina est infinitæ perfectionis; quia potest producere effectus, vel formas syncategorematicè infinitas: ergo. Resp. 1. retorq. arg. in potentia superaddita materiæ, quam adversarii adstruunt.

Resp. 2. neg. ma. ad prob. dist. mi. si materia prima potest formas infinitas recipere simul, & semel. om. mi. si eas tantum potest recipere successivè, sive unam post alteram. neg. mi. ad prob. dist. ant. omnipotencia divina est infinitæ perfectionis; quia potest simul, &

U;

semel

senet producere effectus syncategorematice infinitos, sive non tot, quin plures. conc. ant. quia tantum potest successivè infinitos producere. neg. ant. & conseq. Non est infiniti roboris bajulus, qui potest successivè plures, & plures libras portare, si simul tantum possit unam ferre: nec foccus est infinitæ capacitatis, qui successivè potest capere plures, & plures modios tritici, si simul tantum possit unum capere: & sic de infinitis aliis.

368. Dices. Tot sunt perfectio[n]es materia[rum], quot sunt possibiles formæ: sed istæ sunt infinitæ: ergo. Respondent aliqui capacitatem materia[rum] esse potius ejus imperfectio[n]em: sed sic reddit argumentum saltem eatenus, quatenus probaret, materiam esse infinitè imperfectam: dein hæc capacitas saltem est perfectio aliqua mixta; unde Resp. neg. ma. est enim tantum una perfectio, seu una potentia, indifferens ad omnes formas: sicut juxta adversarios potentia materia[rum] superaddita non continet infinitas perfectiones: & sicut etiam bajulus, aut foccus, de quibus *num. præc.* non sunt infinitè perfecti; neque enim illud omne est infinitè perfectum, à quo possunt conceperis syncategorematice infiniti abstrahi; alias qualibet res esset infinitè perfecta.

369. Quid autem requiratur ad hoc, ut res indivisibilis sit in quantitate perfectionis infinita, non est

ità facilè determinare. Mihi tamen placet doctrina Cardinalis Lugonis *de Incarn. disp. 5. sec. 3. n. 26.* docentis, infinitatem perfectionis indivisibilis, cùm non possit desumi ex carentia termini intrinseci (eoquod talis perfectio partes non habeat) debere desumi ex carentia termini extrinseci: sive rem ita infinitè perfectam debere talem esse, ut nulla sit excogitabilis alia perfectio major in ea linea, in qua ea res infinitè perfecta dicitur: atqui est absque omni dubio excogitabilis major perfectio receptiva formarum, quam ea sit, quæ datur in materia prima, e.g. potentia recipiendi simul duas, aut tres formas.

370. Sed neque proportio inter formas, & materiam, debet esse talis, ut, sicut illæ sunt infinitæ, ita etiam ista talis sit; nec enim requiritur iater subjectum, & formas proportio entitativa (alias materia non posset recipere animam rationalem) sed tantum proportio perfectivi, & perfectibilis: quæ proportio perfectibilitatis datur in materia sine omni infinitudine.

371. Ob. 3. Juxta nos materia esset incomprehensibilis ab Angello: hoc est falsum: ergo. prob. ma. materia haberet respectus infinitos ad formas possibiles infinitas: sed Angelus non posset infinitos respectus comprehendere: ergo. Confir. Si materia haberet hos respectus, tunc implicante unica forma impli-

implicaret materia: hoc est absurdum: ergo. Resp. 1. retorq. arg. in potentia superaddita materiz.

Resp. 2. neg. ma. ad prob. neg. suppositum minoris; nam ad cognitionem comprehensivam alicujus rei non requiritur, ut cognoscantur omnes termini, cum quibus ea res est connexa: & consequenter neque requiritur, ut cognoscantur clare omnes respectus formaliter tales, qui nequeunt clare cognoscere cognitionis terminis.

372. Sed sufficit ad cognitionem comprehensivam, ut ipsa in linea representationis, claritatis, certitudinis, aut evidentiæ, sit tam perfecta, quam perfectum est objectum in linea sua essentiæ, seu cognoscibilitatis: utique autem cognitionis Angeli est tam perfecta in linea sua, quam perfecta est materia in sua; cum ista sit valde imperfecta. Ad confir. quero: vel implicante causa implicat effectus, vel non? duplex enim hac de re est opinio. Si dicatur primum, neg. mi. si dicatur secundum, neg. ma. quid absolute dicendum, tractari à quibusdam solet in disputatione de causis.

373. Ob. 4. Si materia prima potest immediate recipere formas substantiales, poterit etiam recipere jam corruptas, si iterum reproducantur: hoc est contra sensum communem, judicantem, brata, vel homines non posse naturaliter reviviscere: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. nam ex sensu communi-

tantum probatur, formas non posse naturaliter reproduci (de qua re infra à n. 1005.) non autem probatur, formas, ex suppositione, quod reproducentur sint, non naturaliter in materia recipi.

Certè, et si sensus communis judicet, equum mortuum non posse naturaliter reviviscere, tamen simul judicat, eum ex suppositione, quod revixerit, naturaliter comedere; quia equus vivus naturaliter pabulum appetit: & pariter iudicat, formam materialem equi reproductive naturaliter in materia recipi; quia hic non minus, quam pabulo opus habet; unde, sicut talis comedatio, ita & talis receptio, censemur tantum extrinsecè, seu presuppositivè supernaturalis, intrinsecè autem naturalis: sicut, si seminaretur triticum miraculose productum, naturaliter ex eo aliud cresceret.

374. Ob. 5. contra 2. conclus. Substantiae non causant efficienter, nisi mediantibus accidentibus: ergo neque causant materialiter, sive non sustentant, nisi mediantibus accidentibus. Confir. In eo recipitur sustentativa forma, in quo recipiuntur dispositiones pro ea: sed istæ recipiuntur in quantitate: ergo. prob. ma. alias pararetur pro hospite cubiculum, & tamen non introduceretur in istud, sed in vicinum: hoc est ridiculum: ergo.

Resp. neg. ant. cuius oppositum alibi probabimus: ut autem accidentia non possunt esse causa efficientia

eas

ens substantiæ, ita nec possunt esse ejus causa materialis, ob improportionem suam. Ad confir. dist. ma. in eo recipitur sustentativæ forma, in quo dispositiones recipiuntur mediæ. conc. ma. in quo recipiuntur immediatè. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. ad prob. neg. ma. nam materia præparatur per dispositiones, etiam tantum mediæ receptas: sicut paratur cubiculum per lectum, et si hic non immediatè ponatur in ejus pavimento, sed immediatè in lectica: item, sicut paratur per alia, in variis cistis intra cubiculum positis recondita.

375. Ob. 6. Juxta communem Philosophorum: *Operari sequitur ad esse*: ergo etiam pati, seu sustentare, sequitur ad esse: ergo prior est materia, quæ potentia sustentativa: ergo hæc est distincta ab illa. Confir. Potentia receptiva formarum est aliquis actus: ergo materia est illius subjectum: ergo est ab ipso distincta. Resp: neg. 2. & 3. conseq. Aliud est actu operari, aut actu sustentare (& hoc sequitur ad esse; quia etiam materia debet prius esse, quæ actu formam sustentet) aliud est posse operari, vel sustentare: & hoc, saltem in sensu reali, non sequitur ad esse; alias omnipotentia Dei esset realiter posterior ad essentiam: quod neutquam est admittendum.

In sensu tamen aliquo formali, seu à subsistendi consequentia, potest dici essentia prior potentia su-

stentativa; quia bona est illatio ab ea potentia ad essentiam: sed hæc prioritas, vel posterioritas, non infert distinctionem, nisi purè formalē, quæ facile potest admitti. Ad confirm. dist. ant. potentia illa est actus physicus. neg. ant. est actus tantum metaphysicus. conc. ant. & dist. 1. conseq. materia est ejus subjectum metaphysicum. conc. conseq. est subjectum physicum. neg. 1. & 2. conseq. vide dicta supra n. 311. & seq.

376. Ob. 2. Est axioma philosophicum: *Actus, & potentia sunt in eodem genere*: sed materia prima, & forma accidentalis, e. g. quantitas, non sunt in eodem genere: ergo materia prima non potest esse potentia receptiva quantitatis: ergo debet hanc recipere mediante alia potentia: ergo etiam ita debet recipere formas substantiales. Resp. 1. quærendo, qualis ergo sit ista potentia superaddita, an substantialis, an accidentalis? quidquid respondeatur, retorquetur argumentum, ut patet facile consideranti. Resp. 2. hoc axioma malè fundari in Aristotele; nam *textus 26. l. 12. Metaph.* hoc axioma non probat, ut bene observat Suarez *tom. 1. Metaph. disp. 14. sec. 2. n. 11.*

377. Unde id Scotus apud eundem Eximium *cit. sec. n. 12.* in multiplici sensu negat, uti etiam Suarez, qui id admittit *loc. cit. n. 13. & 14.* tantum de potentia receptiva primarij ordinata ad actum; & su-

mien-

mendo genus pro generali ratione substantiæ, & accidentis : atque sic materia prima, cùm non sit primariò instituta, & ordinata, ad recipienda accidentia, sed ad formam substancialē, non debet esse accidentalis, sed substancialis : potest tamen etiam recipere accidentia : quantitas autem sufficienter conve-

nit cum qualitatibus in genere accidentis. In forma, tam in materia quam in materia distingue inter potentiam activam, & passivam, atque inter potentiam primariò ordinatam, & non ita ordinatam : item inter genus insimum, & subalternum, sive generalius acceptum : & nega utramque consequentiam.

## ARTICULUS V.

*An Materia Prima possit existere spoliata omni Forma Substantiali.*

378. **D**ico i. Non potest naturaliter existere materia prima spoliata omni forma. ita teste Suarezio *disp. 15. Metaph. sec. 8. n. 9.* communior Theologorum, & Philosophorum. Prob. conclusio. Quod in naturalibus semper contingit, censendum est, debere naturaliter fieri, & quod in naturalibus nunquam contingit, censendum est, naturaliter non posse fieri : atqui semper contingit, materiam esse informatam forma substanciali, & nunquam contingit oppositum : ergo censendum est, non posse materiam non esse informatam tali forma.

Major communiter recipitur ; et si enim argumentum à positione actus ad ejus necessitatem, vel à negatione actus ad negationem potentiae, non sit universaliter bonum, tamen bonum est, quando agitur de causis naturalibus necessariis, quæ, si possunt agere, necessariò agunt, & si non agunt, etiam agere

non possunt : item bonum est, quando agitur de entibus naturalibus, a liquid constanter habentibus ; nam tunc censetur id necessariò habere, nec sine eo naturaliter esse posse : certè, si hoc negetur, probari amplius non poterit, accidentia non posse naturaliter esse sine subjecto, causam non posse naturaliter agere in distans, ignem non posse esse sine calore, & solem sine luce.

379. Probatur jam minor. Videamus in substantiis completis, seu totis materialibus, semper proprietates, & accidentia stabilia : item videmus, ista sèpius reparari : ergo debet semper in talibus substantiis, seu totis, esse aliqua causa conservativa, aut reparativa talium proprietatum, vel accidentium : atqui haec non potest esse alia, quam forma substancialis : ergo in talibus totis debet semper esse forma substancialissimæ & consequenter materia debet semper esse informata tali aliqua forma.

ma. ant. est certum ab experientia. conséq. negari non potest; non enim possunt accidentia persistere, aut reparari, sínè causa conservativa, aut reparativa.

380. Prob. subsumptum. Si causa conservativa, aut reparativa, non esset forma substantialis, tunc, vel esset Deus, vel materia prima, vel agens aliquod extrinsecum: nihil horum potest dici: ergo. prob. mi. ad Deum recurrī non debet, si res explicari potest per causas secundas: materia prima est indifferens ad proprietates, & accidentia totius compositi, adeoque non est eorum radix: insuper ex communī non est activa respectu istorum accidentium: agens extrinsecum, potens servare, vel reparare ea accidentia, sēpissimē non adest: e. g. nullum adest, quod in aqua calida conservet fluiditatem, aut reparet frigus aquæ connaturale: ergo.

381. Dico 2. Potest tamen supernaturaliter materia prima existere sínè omni forma substantiali. ità Suarez disp. 15. Metaph. sec. 9. n. 3. cum multis antiquis, ab eo citatis. Arriaga disp 2. Physic. sec. 6. n. 98. (qui n. 102. citat ex Thomistis Scotum, & Bannezium: at verò n. 109. Scotum, ac alios plures, & communissimam recentiorum) & plures alii adhuc recentiores, Scotistæ, ac nostri. Prob. conclus. argumentatione in similibus frequenti: *Non implicat: ergo est possibile:* cuius argumentationis sensus non

est: *Non implicat: sive: Non involvit contradictoriares aliqua: ergo est possibile;* sic enim hæc argumentatio esset identica, ac nungatoria.

382. Sed sensus est iste: *Viri docti, post maturam rei considerationem, in ea non deprehendunt predicationem contradictoria: ergo probabilitas nulla dantur, & res est possibile:* atque in hoc sensu hæc argumentatio communiter recipitur, & meritò; sicut enim, si Medici peri-  
ti post diligentem alicujus hominis considerationem affirmant, nullum ei inesse morbum, meritò dicitur, nullus inesse: ita etiam, si viri docti, ac naturæ, & Philosophiae peri-  
ti, post diligentem, ac maturam rei alicujus considerationem, affir-  
mant, nulla adeste contradictoria, meritò dicitur nulla adeste.

383. Et in eodem hoc sensu communiter censentur legitimæ argumentationes: *Non est necessitas alicujus entitatis: ergo non datur, nec debet adstrui ea entitas. Nulla est inter duo disparitas: ergo, si unum admittitur, etiam alterum admittendum est;* est enim idem, ac dicere: *Viri docti post maturam considerationem non inveniunt ne-cessitatem, aut disparitatem: ergo non datur.*

Jam sic. Plures viri docti, citati n. 381. post diligentem, & maturam, materiæ primæ, ejusque prædicatorum considerationem, affir-  
mant, nulla deprehendi contradic-  
toria

**M**ateria in existentia materiæ primæ, **S**poliatæ omni forma : quin immo ostendunt, ea, quæ ab aliis tanquam **C**ontradictoria addueuntur, re ipsa non esse talia (id quod patebit ex solutione objectionum) ergo probabilius nulla dantur : si autem non dentur ulla prædicata contradictoria, non debet negari omnipotentiæ divinæ virtus, conservandi in rerum natura materiam, omni forma spoliatam : ergo.

384. Ob. 1. contra 1. conclus. Dicitur *Gen. i. v. 2. Terra autem erat inservacuæ: ergo in principio creationis materia prima erat sine forma substantiali: atqui tunc existebat naturaliter, ex dictis n. 304. ergo.* Resp. neg. conseq. In primis terra, & materia prima non sunt idem : deinde textus ille tantum *vult*, terram tunc necdum fuisse habitatam ab hominibus, vel animalibus, item necdum fuisse herbis ornatam, nec arboribus fœcundam : vel significat, terram fuisse adhuc tenebris opertam; hinc septuaginta interpres habent vocem *invisibilis* : non autem significat textus objectus, materiam fuisse absque forma substantiali.

Certè S. Basilius *homil. 2. Hexam. veritatis depravatores, non suam mentem accommodantes Scripture, sed ad suam voluntatem mentem Scripturarum trahentes, ac pervergentes appellat eos, qui docent, per terram vacuam intelligi materiam destitutam omni forma : & S. Augustinus l. 1. de Genes. ad liter. c.*

15. sic scribit : *Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est; cum sit utrumque simul concreatum: & paulò post docet, quod materia sit prior, non tempore, tamen quadam origine: id est, prioritate naturæ, tanquam subjectum generationum. Simillima habet l. 13 Confess. c. 33 & alibi saepius. Accedit communis auctoritas Doctorum, quæ in hac quæstione facti magnum utique pondus habet.*

385. Ob. 2. S. Petrus *Actor. 3. v. 31. ait de Christo Domino: Neque caro ejus vidit corruptionem:* ergo materia Christi Domini, postquam per mortem abscessit anima, fuit sine forma. prob. conseq. si caro Christi post mortem habuisset novam formam, fuisset corpus Christi corruptum, vel certè illa forma, postea in resurrectione, per redditum animæ fuisset corrupta : ergo. Confir. Si in Christo post mortem fuisset forma cadaverica, ea in resurrectione iterum fuisset destruta : adeoque Verbum iterum dimisisset, quod semel assumpsit: hoc est contra SS. Patres : ergo. Resp. 1. Etsi in hoc casu fuisset materia per miraculum sine forma, nil esset contra conclusionem.

386. Resp. 2. neg. conseq. ad prob. dist. ant. fuisset physicè corruptum corpus Christi, vel fuisset physicè corrupta forma, animæ in triduo mortis succedens. om. ant. fuisset corruptum corpus, aut illa forma moraliter, ita, ut abiisset in vermes,

vel cineres, de qua corruptione loquitur S. Petrus. neg. ant. & conseq. Ad confirm. Auctores, qui defendant formas cadavericas, negant mi. dicuntque, Verbum non dimisit, tantum ea assumpta, quæ constituant naturam, per se primò assumptam, & pertinent ad ejus veritatem, ac integratatem: non autem omnia alia, inter quæ alia etiam numeranda est forma cadaverica, si fuit à Verbo assumpta. Alii autem auctores, qui defendant formas partiales (cum quibus & ego sentio) negant suppositum majoris, quo negato etiam negatur, debere, aliquam formam à Christo assumptam corrumpi; nam formæ partiales mansere etiam in Christo redivivo.

387. Ob. 3. Non in omnibus compositis videmus accidentia stabiliter conservari, aut reparari: ergo nostra probatio non est efficax. Confir. 1. Accidentia evcharistica conservantur, & reparantur absq[ue] forma: ergo iterum nostra ratio deficit. Confir. 2. Sapientia destruitur prior forma, quin adsit causa productiva novæ formæ: e. g. si subito occiduntur homines, aut animalia: ergo non productur nova forma, sed manet sola materia. Confirm. 3. Sunt aliquæ substancialiæ materialiæ, quorum accidentia omnia possunt conservari, partim à materia prima, partim à causis extrinsecis: ergo non est necessaria forma, prob, ant, sic e. g. in aëre quanti-

tas potest conservari à materia; hæc enim potest illam producere, ut dictum n. 319. adia accidentia, ut frigus, calor &c. possunt attribui causis extrinsecis: ergo.

Resp. neg. ant. Etiam in cadaveribus conservantur diu accidentia, e. g. virtutes medicæ plantarum, vel animalium. Ad 1. confirm. aeg. conseq. Conservatio illa, aut reparatio accidentium evcharisticorum juxta omnes est miraculosa: & ibi neque adest materia prima panis, aut vini. Ad 2. confirm. neg. ant. vel enim non destruicur omnis forma substantialis in tali casu, vel adest causa productiva novæ formæ: quid determinatè dicendum, statuemus in *Animistica*, ubi agemus de forma cadaverica, & formis partialibus.

Ad 3. confirm. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. non enim potest adscribi materiae primæ, vel causis extrinsecis, e. g. elasticitas aëris; nam materia prima, imo & quantitas, sunt indifferentes ad elasticitatem, ut patet in plumbō, & luto: neque etiam potest adscribi causis extrinsecis, e. g. extensio aëris, post explosum sclopetum pneumaticum, quæ & qualiter fit in calore, & frigore; non enim potest ultra extrinseca causa conveniens assignari, ut facile patet consideranti. Simile quid invenietur etiam in quibuslibet aliis materialibus substantiis.

388. Ob. 4. contra 2. conclus. &

& ejus probationem. Ex eo, quod non appareat, vel non deprehendatur, non sequitur, illud non adesse: ergo ex eo, quod non appareant, vel non deprehendantur contradictionia, non sequitur nulla adesse: ergo argumentatio nostra est nulla. Resp. dist. ant. ex eo, quod aliquid non appareat, vel deprehendatur, in iis circumstantiis, in quibus deberet apparere, vel deprehendi, non sequitur, quod non adsit. neg. ant. in aliis circumstantiis. om. ant. & neg. conseq.

Certè, si plures, bonis oculis praediti, in cubiculo illuminato, post inspectos omnes hujus angulos, tamen non deprehendunt Petrum, utique probabilius est, quod non adsit; quia in his circumstantiis debuisset apparere, vel deprehendi. Sicut autem se habent tales, bonis oculis praediti, ad Petrum visibilem, sic se habent viri, intellectu perspicaci instruti, ad praedicata contradictionia intelligibilia: adeoque, si etiam hæc ab ipsis post-maturam perscrutationem non deprehendantur, probabilius est, ea non adesse: & hoc haec tenus ab omnibus admisum est.

Dices. Viri docti non possunt examinare, aut considerare omnia praedicata, etiam minimæ rei: ergo non possunt scire, an non aliqua sint inter se opposita. prob. ant. quilibet minima res habet praedicata infinita, saltem respectiva ad alia entia infinita: sed infinita pra-

dicata non possunt examinari: ergo. Resp. 1. hoc argumentum nimirum probare; nam non posset adstrui possibilis illa nova species entium; quia nihil posset dici possibile, nisi jam actu existens, aut saltem actu existentibus omnino simile; nam semper dici posset, ejus praedicata infinita non posse examinari, nec ante horum examen posse dici possibile; cum possint aliqua esse inter se opposita.

Resp. 2. dist. ant. viri docti non possunt examinare omnia praedicata respectiva. conc. ant. omnia praedicata absoluta, & rei propria. neg. ant. & conseq. Ut probabilius possit afferi, aliquid esse possibile, non requiritur, ut examinentur omnia praedicata respectiva: sed tantum, ut examinentur praedicata rei absoluta, essentialia, vel propria: quæ omnia possunt examinari à viris doctis, & præsertim tam doctis, quales citamus pro hac nostra conclusione, & quales citabimus pro aliis conclusionibus, pro quibus eadem argumentatione utemur.

389. Ob. 5. Nullum ens potest privari suo fine primario: sed finis primarius materia est forma substantialis: ergo. Resp. dist. ma. nullum ens potest privari fine primario, tantum naturaliter debito, neg. ma. fine essentialiter debito, conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. & retorq. arg. in accidentibus evcharisticis, quæ existunt privata subiecto substantiali, quod tamen

non minus est finis primarius accidentium, quam forma sit materia. Aliud est, si finis sit essentialis, sive essentialiter debitus; tali enim fine res utique privari non potest: & sic finis modorum essentialis est determinare modificatum ad aliquam denominationem, e. g. uniti, ubicati: quod aliunde probatur.

Dices 1. S. Augustinus *l. 9. de Genes. ad liter. c. 17.* de Deo ait: *Neque enim potentia temeraria, sed sapientie virtute omnipotens est: ergo nihil potest agere, quin habeat finem prudenter intendibilem: sed in productione, aut conservatione materiae primae, spoliatae omni forma substantiali, non haberet finem prudenter intendibilem: ergo.* Resp. neg. subsumptum. Etsi non possit statim à nobis ostendi finis, à Deo intendibilis, non sequitur, nullum esse possibilem: certè antè institutionem SS. Eucharistiae vix quisquam divinasset finem, quem habere possent accidentia conservata extra subiectum. Similem aliquem finem potest Deus etiam habere in conservanda materia sine forma, quamvis debilis noster intellectus non statim eum possit rescire: & videtur utique praesumiendum de sapientia infinita Dei, quod multos fines cognoscat, quos humana ratio neutiquam attingit. Et cur Deus non potuisset de absoluta potentia ordinare, ut in SS. Eucharistia destrueretur sola forma panis, & vini, materia autem maneret, &

postea serviret pro nutrimento corporali, in ordine ad quod nunc debet produci, vel eadem, vel nova materia.

Dices 2. Hac ratione etiam erit possibile universum plenum musicis, & vespis, sinè ulla creatura rationali: hoc est absurdum: ergo. Resp. Meus in Theologia Magister mordicus negavit minorem: alii auctores negant majorem, & dicunt, in tali universo, non tantum non posse ostendi positivè finem à Deo intendibilem, sed positive econtra posse ostendit, Deum non posse habere finem, quem in omnibus necessariò intendit, ne npe hiam gloriam, quæ est clara cum laude notitia; hæc enim noticia, aut laus, formaliter non potest haberi, nisi à creatura rationali. Hæc ratio nullo modo pugnat contra existentiam materiae, spoliatae omni forma, ut patet.

390. Ob. 6. Deus non potest supplere defectum causæ formalis: atqui, si materiam produceret sine forma, deberet supplere defectum causæ formalis: ergo. Resp. 1. neg. mi. nam forma non est propriè loquendo causa formalis materiae, sed tantum compositi; quia non est causa materiae, sed tantum aliquid, à quo, tanquam à posteriori, existentia materiae naturaliter dependet, ferme sicut sol dependet à luce. Resp. 2. dist. ma. Deus non potest supplere defectum causæ formalis in eodem genere. conc. ma. in d' verso

verso genere. neg. ma. & sub data dist. om. mi. neg. conseq. Deus non quidem potest materiæ primæ compensare defectum formæ, ita, ut, vel ipsemet sit forma substantialis, vel eam per aliquid aliud, distinctum à forma, substantialiter compleat: attamen potest hunc defectum supplere in alio genere, sive potest supplere formam, requisitam ad naturalem conservationem materiæ, per actionem aliam conservativam materiæ sine forma: quæ actio saltem quoad modum esset supernaturalis, de qua supernaturalitate plura inferius. vide etiam dicensa inferius in simili n. 1233. & 1234.

391. Dices. Deus non potest facere miraculum deturpativum naturæ, seu tale, quod non perficiat, aut elevet naturam: sed tale facaret conservando materiam sine forma substantiali (nam Deus in tali casu auferret aliquod bonum, nempe formam, universo, & tamen id non compensaret per aliud) ergo. Resp. neg. vel 1. vel 2. partem majoris. Potest Deus naturam, tam particularem, quam universalem, reddere minus perfectam: & si hoc dicitur deturpativum naturæ, negatur 1. pars majoris. Si autem per deturpativum naturæ intelligatur aliquid aliud, tunc negatur 2. pars ma. nam, licet miraculum tale non elevet, aut perficiat naturam, tamen eam neque deturpat: & consequenter etiam negatur mi.

392. Et sanè non capio, quod Deus non potuisse naturaliter, vel supernaturaliter, producere mundum, carentem quibusdam perfectionibus physicis, quibus modò dotatus est: si autem id potuisse initio creationis, non est ratio, cur modò non possit, easdem perfectiones auferre. Et quæso, cur Deus non possit homines producere cum uno oculo, vel una tantum aure, vel sine digitis pedum, ad manifestandam aliquam potentiam suam? sanè voluit nasci illum cæcum. *Ioan. 9. v. 3. ut manifestentur opera Dei in illo.*

Videtur quidem nunc istud nobis non sat proportionatum: at, si assueti essemus, videretur res pulchra, ut Æthiopibus sua nigredo: & quis tunc Deum absolutum Dominum adigeret ad compensationem e. g. auris? certè Deus non debet facere semper optimum physicè, sed optimum in ordine ad sanctissimam voluntatem suam, quæ est regula omnis honesti: & hinc, si Deus vellet, materiam spoliare omni forma, haec ipsa spoliatio protunc esset optima, nec posset quis à Deo exigere formæ compensationem.

393. Ob. 7. Si materia esset sine forma, tunc esset individuum immediatè sub genere, & sub nulla specie: hoc admitti non potest: ergo. Confir. Nullum accidens potest existere sine forma: ergo etiam nulla substantia, consequenter neque

que materia. Resp. dist. ma. tunc esset individuum sub nulla specie substantiae completae. conc. ma. sub. in nulla specie substantiae incompletae. neg. ma. & dist. sic. mi. neg. conseq. Utique in eo casu materia non haberet speciem completam, e. g. leonis, vel equi: attamen haberet suam speciem entis incompleti, scilicet materiae: nec adversarii probare possunt, ad existentiam materiae plus requiri.

394. Ad confir. neg. conseq. Accidens est per identitatem aliqua forma physica accidentalis, adeoque non potest existere sine omni forma; quia non potest existere sine seipso: quamvis utique accidens possit existere sine forma distincta ipsi superaddita: at vero materia prima non est aliqua forma physica; unde est magna disparitas. Si quis velit contendere, materiam posse dici formam metaphysicam, sicut dicitur actus metaphysicus (de quo n. 312.) non me opponam: quin facile concedam, materiam sine tali forma etiam supernaturaliter non posse existere: at non est hic quæstio de tali forma, sed de alia physica, superaddita materiae.

395. Ob. 8. Materia prima non potest existere sine accidentibus: ergo neque sine forma substantiali. ant. patet in modis durationis, ubicationis &c. prob. conseq. materia

magis dependet à forma substantiali, quam ab accidentibus: ergo prob. ant. accidentia sunt tantum media: forma substantialis est finis: ergo materia magis penderet ab ista, quam ab illis. Resp. dist. ant. materia non potest existere sine accidentibus absolutis. neg. ant. sine modalibus. conc. ant. & neg. conseq. ad hujus prob. neg. ant. quia materia in ordine ad existendum magis indiget accidentibus modalibus, quam forma substantiali; est enim imperceptibile, quod res sit, & tamen nuspiciam, aut nunquam sit.

396. Ad prob. ant. dist. 1. p. ant. accidentia ista, seu modalia, sunt media tantum in ordine ad habendam formam. neg. ant. sunt etiam media ad habendam existentiam ipsius materiae. conc. ant. & conc. vel omn. 2. p. ant. neg. conseq. Quod est medium ad duos fines, quorum unus est absolute metaphysicè necessarius, alter vero tantum est naturaliter necessarius, potest esse in se magis necessarium, quam sit necessarius finis alter, si scilicet medium est absolute necessarium ad finem priorem, ut patet facilè consideranti. Sic etiam accidentium panis finis est substantia panis, & ita non ea accidentia possunt esse in SS. Evcharistia sine pane: non autem possunt esse sine suis ubicacionibus, & durationibus.



## ARTICULUS VI.

*An Materia Prima magis appetat Formas Nobiliores,  
& an etiam Corruptas.*

397. **A**ppetitus materiæ est di-  
ctio metaphorica, sicut  
risus pratorum, atque desumitur à  
similitudine aliquali materiæ cum  
rebus animatis, & cognoscentibus,  
quæ habent appetitum elicitum: vel  
gaudii, erga bona præsentia, sive po-  
tiùs erga bona possessa: vel deside-  
rii erga bona absentia, sive potiùs  
erga nondum possessa. In sensu  
itaque metaphorico dicitur mate-  
ria appetere formas, atque aqua  
appetere frigus, & ignis calorem:  
propriè autem loquendo, in mate-  
ria prima, vel etiam aliis inanima-  
tis, id, quod dicitur *Appetitus in-  
natus*, aliud re ipsa non est, quām  
naturalis ordinatio, vel inclinatio  
ad bonum sibi naturale: id est, de-  
terminatè, aut indeterminatè debi-  
tum.

398. Debetur autem cuilibet  
creatüræ aliquis finis, & consequen-  
ter etiam ea, quæ ad eum finem  
consequendum ipsi sunt necessaria.  
Quia autem finis sæpe æqualiter ob-  
tineri potest, per plura media dis-  
junctivè accepta, ideo sæpe dicun-  
tur aliqua tantum indeterminatè,  
sive disjunctivè debita: & pariter  
dicitur, ad ea dari appetitus tan-  
tum indeterminatus: non quidem  
indeterminatus in existendo, sed  
tamen in exigendo. Sic, quia sæ-

pe ægrotō, cupido recuperandæ sa-  
nitatis, æquè prodeſſe poffunt plu-  
res medicinæ, æqualiter amaræ, vel  
dulces, æqualiter parabiles &c. eas  
ægrotus tantum appetit indetermi-  
natè: neque appetit magis pretio-  
ſam præ minùs pretiosa, etiā utrā-  
que gratis subministraretur; quia  
ſcilicet neutra ad ſuum finem ma-  
gis ſervit. His præmissis

399. Dico. Materia prima non  
appetit magis formas ſubſtantiales  
nobiliores, quām ignobiliores, ſed  
appetit omnes indeterminatè. ita  
longè communior Peripatetico-  
rum. Prob. Finis materiæ primæ  
eft præcīsè compleri, in ordine ad  
faciendum compositum ſubſtantia-  
le: ſed ad hunc finem non ſerviunt  
magis forme nobiliores, quām  
ignobiliores: ergo non magis illas  
appetit. ma. prob. inprimis aucto-  
ritate longè communiore: tum ex  
eo, quodd probari non poffit alius  
finis materiæ: tum etiam ex eo,  
quod, cūm materia à natura ſit or-  
dinata, ut ſit ſubjectum omnium  
formarum, eo magis ſerviat ad hunc  
finem, quo magis eft ad omnes  
formas indifferens: ſicut ille ſervus  
eſt aptior ad finem domini, qui eſt  
prorsus indifferens ad omnes labo-  
res. mi. eſt ſatis clara; nam non mi-  
nùs eſt compositum ſubſtantiale

Y

leo,

feo, quām homo, sicut non est mi-nūs animal: & sic de aliis.

400. Ob. 1. Appetitus materiæ est perfectibilitas materiæ: sed hæc est major respectu formæ nobilio-  
ris: ergo etiam appetitus est major.  
Resp. dist. ma. est perfectibilitas qualiscunque. neg. ma. est perfecti-  
bilitas in ordine ad finem materiæ. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.  
Materia æquè consequitur suam perfectionem, tanquam finem in-  
tentam, per formam ignobiliorum,  
quām per nobiliorem: & excessus  
perfectionis, e. g. in anima ratio-  
nali, se tantū habet materialiter  
respectu materiæ primæ: sicut ex-  
cessus pretii intrinseci in medicina  
se habet materialiter respectu ægroti,  
de quo n. 398. Et quamvis ille  
excessus sit realiter substantia, ta-  
men non ideo forma est magis sub-  
stantia ut sic, nec appetitur à ma-  
teria sub ratione illius excessus: si-  
cut non appetitur medicina ab  
ægroto, sub ratione excessus pretii  
intrinseci, quamvis etiam hic ex-  
cessus realiter sit medicina.

401. Dices. Aristoteles 1. *Phy-  
sic. text. 81.* docet, quodd materia  
appetit formam, sicut turpe app-  
petit pulchrum: sed turpe magis ap-  
petit id, quod est pulchrius: ergo  
etiam materia appetit magis for-  
mam nobiliorem. Resp. dist. ma.  
ita, ut paritas sit prorsus omnimo-  
da, neg. ma. ut sit tantū aliqua  
sufficiens ad intentum Philosophi.  
conc. ma, & om. mi. neg. conseq.

Aristoteles ibi intendit probare,  
quod materia, & privatio distin-  
guantur; eoque privatio non pos-  
sit appetere formam; cùm sit ejus  
contrarium, imò ejus negatio:  
econtra materia appetat formam:  
quod totum sufficierat habetur, si  
materia appetat aliquam formam  
indeterminate; nam privatio eam  
nec indeterminatè appetere potest;  
unde ista similitudo particularis  
spectat etiam ad illam propositio-  
nem universalem: *Omnis similitu-  
do claudicat.*

402. Ob. 2. Materia appetit sa-  
tiari formam, sicut famelicus cibo:  
sed iste sic appetit satiari, ut magis  
appetat cibos delicatores, quam-  
vis his deficientibus contentus sic  
vilioribus, nec ob defectum illo-  
rum patiatur violentiam: ergo  
etiam materia ita appetit satiari,  
ut tamen magis appetat formas no-  
biliores, nec tamen propter harum  
defectum patiatur violentiam.  
Resp. neg. ma. Famelicus ordinariè  
non tantū appetit satiari, sed  
etiam delestari, quamvis minor sit  
cura delectationis, quām satietatis:  
non ita se habet materia prima: si  
quis tamen famelicus præcisè ap-  
peteret satiari, non magis appete-  
ret cibos delicatores.

403. Dices. Si materia prima ha-  
beret appetitum elicium rationa-  
lem, præligeret formam nobilio-  
rem: ergo hanc magis appetit ap-  
petitu innato; quia hic est prudens,  
ut pote inditus ab auctore naturæ.  
Resp.

Resp. neg. ant. cùm enim forma nobilior non esset præ ignobiliore utilis ad finem materiæ, non esset præ ista eligibilis; licet enim nobilior habeat plus bonitatis, quàm altera, hæc tamen bonitas sè habet tantum materialiter, sicut bonitas medicinæ pretiosioris in casu *n. 398.* Unde, sicut modò debet materia à causis extrinsecis, dispositionibus, vel similibus, determinari ad hanc formam præ'alia, ità etiam tunc deberet determinari.

404. Ob. 3. Materia prima magis est ordinata à Deo ad' animam rationalem, quàm ad alias formas: ergo eam magis appetit. prob. ant. omnia corporalia sunt facta propter hominem, & ad ipsum, adeoque ad animam rationalem, sunt omnia ordinata: ergo etiam materia prima. Resp. dist. ant. magis est ordinata ad animam rationalem, tanquam finem extrinsecum. conc. ant. tanquam finem intrinsecum. neg. ant. & conseq. ad prob. iterum eodem modo dist. ant. atque etiam conseq.

Cestè, licet animalia sunt ordinata ad hominem, tanquam finem extrinsecum, non tamen magis appetunt, ut vivat homo, quam, ut vivant ipsa: imò hominem sèpè occidunt, & devorant: pariter la-

pis, incidens in caput hominis, non comminuitur, sed comminuit cerebrum hominis, & sic de aliis. Hinc materia intrinsecè est æqualiter ordinata ad omnes formas, ferme sicut dolum est ordinatum ex intrinseco fine, non minùs ad cerevisiam, quàm ad vinum, nec minùs ad vinum debilius, quàm ad generosius, nec unum præ altero magis appetit.

Addendum huc, materiam primam etiam respicere, vel appetere formas jam corruptas, sub conditione, si scilicet iterum reproductantur: quam tamen reproductum, utpote supernaturalem, materia non exigit: in quo est discri- men, inter respectum, & appetitum materiæ ad formas jam corruptas, & respectum, ac appetitum ejusdem ad formas necdum corruptas; quia has ita respicit, & appetit, ut etiam indeterminatè appetat earum productionem (de quo appetitu indeterminato vide *n. 398.*) cùm earum produc̄tio sit naturalis, & materia sìne omni forma non possit naturaliter existere: at verò reproductum formarum jam corruptarum materia nec in-indeterminatè appetit. vide etiam dicta supra *n. 373.* item dicenda inferius *n. 1005.*



## QUÆSTIO SEXTA.

*De Forma Substantiali, ejusque Proprietatibus.*

## ARTICULUS I.

*Quid sit Forma Substantialis, & an detur in Homine.*

405. **F**orma substantialis, de qua jam aliqua diximus à n. 97. ab Aristotele 2. *Phys. text. 28.* dicitur *Ratio ipsius, quod quid erat esse*: hoc est, non tota quidditas, aut substantia rei (ut quidam non sat bene ex hoc textu voluerunt inferre, quos paulo post refutabimus) sed ratio formalis, aut specifica quidditatis, ob quam substantia tota, seu totum compositum, dicitur esse hujus, vel alterius speciei, e. g. esse leo, equus &c. nam, cum materia sit ad omnia indifferens, debet per se formam determinari, ad hujus potius, quam alterius speciei compositum.

406. Dico 1. Forma substantialis recte describitur *Substantia quædam simplex, & incompleta, qua ut actus materia cum ea constituit essentiam substantie compositæ*. ita Suarez disp. 15. Metab. sec. 5. n. 1. Probatur, & explicatur simul hæc conclusio. Forma substantialis, etiam genericè accepta, in primis debet esse *substantia*; neque enim accidens potest esse forma substantialis; nam est, & manet semper for-

ma accidentalis. Dein debet esse *simplex*; cum enim sit unum ex principiis corporis naturalis in facto esse, non potest esse ex aliis, ut dictum n. 9.

Ulterius debet esse *incompleta*, hoc est, per se ordinata ad alteram substantiam, cum qua tanquam compars faciat totum per se, seu substantiam completam, ut dictum suprà de materia à n. 89. Debet insuper esse *actus*, qui terminus quidem diversimodè sumitur, ut patet ex Suarezio disp. 13. *Metab. sec. 5. n. 7.* at hinc significatur *actus physicus*, scilicet substantia physicè actuans, id est, physicè determinans, & compleas materiam in ordine ad certam speciem: cum qua materia insuper tanquam pars constituit totam essentiam compositi substantialis.

407. Noto tamen, me adstruendo hanc definitionem, seu descriptionem formæ substantialis, non propterea rejicere alias, e. g. illam Arriagæ disp. 3. *Phys. sec. 1. n. 12.* Forma est *actus substantialis materiae, cum ea constituens compositum*: vel aliorum: Forma est *actus sub-*

*Substantialis, constitutiva unum per se cum materia: vel iterum aliorum: Forma substantialis est, qua, saltem in aliquo modo, naturaliter potente existere, est prima radix omnium operationum; qua illi toti conveniunt; nam, libet non possint dari phares ejusdem objecti definitiones, ad omnem rigorem logicum exactissime, tamen possunt dari plures ejusdem rei descriptio-nes. Mihi autem definitio Eximii, quamvis longiuscula, magis placuit; quia visa est clarior, & explicacione Alibi tamen etiam attribuitam, que ultimo loco est posita, & est valde clara, ac discrimen, inter formam substantialiem, & accidentalem, præ aliis aperientur explicat. Et hæc de definitione seu essentia formæ substantialis, de cuius proprietatibus jam aliquid diximus n. 99. & alia dicemus n. 549. & seq. modò autem queritur de existentia eam formæ.*

408. Equidem Suarez disp. 25. Metaph. sec. 1. n. 5. alt; non tantum Aristotelem, & Platonem, admissit has formas, sed etiam credi, eas jam à prioribus nonnullis Philosophis suisse admissas, & credidit. Nam vero est hoc dormit ad hoc primum in Philosopho, ut sine magna ignorantia id negari non posset: estque ita consensaneum veritati fidei Christianæ, ut eis certitudine non parum istud argumentum. Interim tamen multi recentiores distinguunt, sive solvant, admodum

tam, & modalem: & quidem hanc facile admittunt; quia juxta ipsos aliud non est, quam certa modi- catio materiæ primæ, ab ista rea- liter non distincta, de qua suprà n. 113.

At verò alteram, seu formam ab- solutam, & quidem materialem (qua scilicet sit ens reale materia- le, physiq[ue] de novo productum, seu in sensu peripatetico genera- tum, & saltem divinitus à materia separabile) mordicus negant, so- lāmque animam rationalem (qua nempe post mortem hominis po- test naturaliter extra materiam exi- stere) tanquam formam hominis absolutam admittunt. Et hæc de forma substantiali materiali con- troversia est una ex præcipuis, que intet Atomistas, seu Philosophos corpuscularios, aut mechanicos, & Peripateticos disputantur; unde etiam per plures conclusiones est sedecende: itaq[ue]

409. Dico 2. Datur in homine forma substantialis absolute, nem- pe anima rationalis. Hæc conclu- sio à nemine Christianorum Philo- sophorum negatur, quamvis Epicurus, aut alii antiqui gentiles cor- puscularii, eam olim negaverint. Prob. 1. ex definitione Clementis V. in Concilio Oecumenico Vien- nensi, ex quo desumpta est Clemen- tina de Santi Trinit. & Fide Cathol. in qua s. Porro, ita habetur: Porro ad tristram omnia, seu positionem, tamen afferendam, nos vertentes

in dubio, quod substantia anima rationalis, seu intellectiva, vera, ac per se, humani corporis non sit forma, velut erraneam, ac verisimili Catholicae inimicam fidei, predicto sacro approbante Concilio, reprobamus. Difficiuntur, ut cunctis meta sit fidei, & uerae veritas, ne precludatur universis erroribus aditus, ne subimerent, quod quisquis deinceps afferere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumperet, quod anima rationalis, seu intellectiva, non sit forma corporis humani, per se, & essentialiter, tanquam hereticus sit tensendus.

Idem probatur ex definitione Leonis X. in Concilio Lateranensi Sess. 2. in Bulla Apostolici regimantis, ubi sic dicitur: Cum itaque dicimus nostris (quod dolenter refutrimus) zizania seminatur, antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciössimos errores, à fratribus semper explatos, in agro Dyzmine supersemintre, & augere sit ausus, de natura praesertim anima rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unius in cunctis hominibus, & nonnulli temere philosophantes. Secundum saltem Philo, sopbiam, uerum id esse afferueront, contra hujusmodi pestem, opporentur remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes afferentes, uniuersam intellectivam mortalem esse, aut ipsam in cunctis hominibus, & hac in dubium uerent-

ses; cum illa non solum uero, per se, & essentialiter, humani corporis forma existat, sicut in Carbone, febris, recordationis Clemensis Papa V. Predecessoris nostri, in Generali Vientensi Concilio ediso, consenserat: uerum & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine, singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit.

410. Probi conclusio 2. ratione. Videlur ex terminis absurdum, & imperceptibile, quod ab inanimatis corpusculis, certo modo combinatis, possint provenire nobilissimæ actiones, cognitiones universales, & particulares, entium materialium, & spiritualium, ipsius etiam Dei, item directe, & reflexe, discursus ingeniosissimi in scientiis subtilissimis, inventiones artium mirificæ, & utilissimæ, dictamoda maxime prudentiae, quibus regatur orbis universus &c. insuper actus voluntatis, tendentes in bonum protinus inseparabile, & quidem libere. Hoc est, cum potestate diversa agendi in iisdem circumstantiis sit, ergo, cum ista dentur in homine, debet in ipso dari fortis, substantialis, & quidem absolute, & spiritualis: quod postremum prædicatum alibi magis probabitur.

411. Equidem hoc defacto nemo negat, sed res ipsa omnes Epicurum reprehendunt, quod animam rationalem negant, & spiritualem, cum que

que in hoc deserunt, licet in aliis ipsum sequantur. Objectiones contra has duas conclusiones alicujus momenti nullæ sunt; neque enim Atomistæ definitionem peripateticam formæ substantialis impugnant: sed negant dari definitum, quod non impedit, quo minus definitio bona sit; nam etiam definitio hircocervi est bona, licet hircocervi existentia meritò negetur. Quòd etiam anima rationalis sit forma corporis, & substantia spiritualis, ac ordinata ad materiam, saltem pro aliquo tempore informandam, facile quoque conceditur.

412. Supposito autem, quòd anima rationalis sit forma substantialis, existimat Suarez *disp. 15. Metaph. sec. 1. n. 6.* posse ab ea duci non unum tantùm argumentum efficax, ad probandas formas substanciales, etiam in aliis mixtis, quæ videre potes *loc. cit.* Ego, quamvis disparitatem aliquam agnoscam, inter animam rationalem, & alias formas, tamen adverto 1. Admissa anima rationali, tanquam formâ, ad eoque substantiâ incompletâ, non possunt amplius negari aliæ formæ substanciales, ex ea ratione, quòd substantia incompleta sit imperceptibilis, ut patet.

Adverto 2. Neque possunt negari aliæ formæ ex eo, quòd non immediate in se sentiantur, vel intuitivè non cognoscantur; nam utrumque etiam contingit in anima rationali: & sicut hæc sufficienter sen-

titor, aut cognoscitur in effectibus, ex quibus inferimus, eam adesse, ità quoque aliæ formæ brutorum, plantarum, ac etiam quorundam inanimateorum, sufficienter sentiuntur in effectibus, qui sub oculos, & alios nostros sensus cadunt.

413. Adverto 3. Cum plures effectus, ex quibus inferimus, in homine adesse formam in genere, vel etiam viventem, seu animam in specie, sint (ut infra ostendemus) communes brutis, aut plantis, vel etiam quibusdam inanimatis, non male à paritate rationis infertur, etiam in istis mixtis, ab homine distinctis, dari similiter aliquam formam, sive viventem, sive inanimatam, pro diversitate effectuum. Sed de hoc argumento plura in sequentibus.

Adverto 4. Ex analogia, quam habent aliæ formæ cum anima rationali, redduntur etiam istæ valde perceptibles, atque etiam valde credibiles; nam, sicut in corpore humano necessaria est forma, quæ est anima rationalis, tanquam radix exigitiva sensationum, vegetacionum, & aliorum accidentium, etiam non vitalium: ità etiam in aliis mixtis similiter necessaria est aliqua forma, tanquam radix, vel sensationum, vel vegetationum, vel aliorum accidentium.

Quòd autem anima rationalis possit naturaliter existere sine materia, non autem id possint aliæ formæ, disparitas est merè materialis, in ordine ad perceptibilitatem, vel credi-

credibilitatem ; nam utrumque, hoc est, tam posse naturaliter existere sine materia, quam non posse sine ipsa naturaliter existere, est

facile perceptibile, atque etiam credibile cuique intellectui, philosophicarum disciplinarum capaci.

## ARTICULUS II.

### *An detur Forma Substantialis Vivens in Brutis.*

414. **D**ico 1. contra Gomesium, citatum n. 24. & Cartesianos. Bruta vivunt. Prob. conclusio 1. Sacra Scriptura, quæ juxta communem, quamdiu potest, debet sumi in sensu proprio, attribuit brutis vitam : ergo. prob. ant. statim Gen. 1. v. 21. dicitur : *Creatusque Deus cetera grandia, & omnem animam viventem, atque morabilem : iterum v. 24 Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias ter- ra : rursus v. 30. Ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus ter- ra, omnique volueri cali, & univer- sis, que moventur in terra, & in quibus est anima vivens : ergo.*

415. Confir. Etiam SS. Patres vitam brutis communiter attribuunt, ex quibus S. Augustinus lib. de Quantit. anime c. 25. in fine alloquens suum Adeodatum ait : *Bestie nempe sentiunt, ac pene omnes quinque illis sensibus vigent, quantum quisque natura tributum est. An tu id negabis ? & respondet Adeoda- tus : Nibil minus. & c. 26. de iis- dem bestiis ait idem S. Doctor : Sen- tiunt autem : & c. 28. sensu enim*

*nos bestie multa superant. Pariter S. Basilus in Hexameron. homil. 8. apertè asserit vitam brutorum, atque inter se comparat vitam pisci- um, & animalium terrestrium, dic- cens : Arbitramur, natatilium qui- dem naturam imperfectioris quo- dammodo participem esse vita : & post pauca : In terrestribus autem animantibus, cum perfectiore vita pradita sint, principatum univer- sum subindicat animam obtinere ; terrestrium siquidem sensus perspi- caciiores sunt, quam aqua ; ilium &c. S. Gregorius homil. 29. in Evangel. ait de homine : Habet namque com- mune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum anima- libus &c. ergo animalia alia senti- unt ut homo. Similia habent ahii Patres, quæ referre nimis longum foret : ex quibus tamen, non tantum mens ipsorum Patrum, sed & Sacrae Scripturæ, quam explanant, patet ; hæc enim juxta expositionem Pat- rum est accipienda.*

416. Prob. concl. 2. Communis- simus omnium mortalium, docto- rum, & indoctorum, paucissimis re- spectivè Cartesianis forte exceptis, sensus

**Sensus** est, quodd bruta vivant: sed hic sensus universalissimus omnium non potest esse falsus: ergo. prob. **ma.** In hac assertione, ut recte ait **quidam** recentior, convenient **Pythagoras**, & **Plato**, **Aristoteles**, & **Democritus**, **Philosophus**, & **rufiticus**, & universum genus huma-  
num: certè omnes universaliter condolemus, e. g. equis, aut cani-  
bus dolentibus, compatimur vul-  
neratis, benefacimus ægrotis.

Econtra cœgaudemus brutis gaudentibus: excitamus ea ad agendum, e. g. equum ad currendum, eanem ad insequendam feram, suo modo minis, & laudibus, faltem minus propriè talibus: vel etiam verberibus castigamus negligentes, blandimur strenuè agentibus: & hæc sanè agunt omnes homines ex naturali instinctu, qui omnibus persuadet, ineffe brutis sensum doloris, & voluptatis, ac alias sensitivas passiones, adeoque vitam: ergo.

**417.** Quin ipsi adversarii, sui oblii, vitam, & sensum brutis adscribunt, dum eorum felicitatem in sensuum voluptatibus constituunt. Certè Le Grand, ex Cartesii secta-  
toribus non postremus, Epicureos, beatitudinem hominis in deliciis corporis stare afferentes, sic impugnat apud Benedictum Aletinum **Liter. Apologet.** **p.** Sed tales facile erroris convineuntur, si attendant, se pecoribus equiparare, & nihil præstantiorem illis sortem contigif-  
fe, quævis, qua porcis, & ovibus af-

**Tom. I.**

**signatur**: quæ ratio, cum ab omni-  
bus Ethicam profitentibus, etiam ethnicis, sit approbata, vera sanè ef-  
se debet.

Econtra longè aliter nos gerimus circa automata inanimata: nemo compatitur, aut condolet horolo-  
gio rupto: sed dolet eo in casu tan-  
tum de suo damno: nemo eidem horas malè signanti minatur: nemo accurate sonanti blanditur, uti blan-  
ditur cani, accurate vigilias agenti:  
nemo verberibus horologium ca-  
stigat &c.

**418. Prob.** jam minor superior. Sensus iste communissimus totius mundi falsus esse non potest; quia vox omnium est vox naturæ: &, si hic universalissimus sensus dicatur falsus, aut nihil probare, evertuntur omnia, etiam prima axiomata scientiarum; nam non ob aliam rationem, quam ob universalem omnium hominum persuasionem recipiuntur: imò Benedictus Aletinus (seu re ipsa de Benedictis) **liter. n.** **præced. cit.** infert, concuti etiam prima moralis doctrinæ naturalia principia; eoque ex universalissimo omnium judicio, aut instinctu, non amplius possit inferri, aliquid esse honestum, vel dishonestum, si ex eodem judicio, aut instinctu, non possit inferri, aliquid esse vivens.

Et sanè idem lumen naturæ, à Deo hominibus inditum, quod universalis suo instinctu docet discrimen, inter honestum, & inhonestum, videtur eodem instinctu do-

**Z**

**cere**

cere discriminem, inter bruta, & inanimes machinas ; nam etiam ex universalí instinctu hominibus persuasissimum est, bruta vivere, & homines merito erga ipsa aliquo affectu, sive commiserationis, sive se veritatis &c. inclinari.

419. Prob. concl. 3. In brutis deprehenduntur actiones vitales : ergo vivunt, ant. prob. dantur in brutis variæ cognitiones, & appetitio-nes, quibus cognoscunt bonum, & appetunt : vel malum, & abhor-rent : sed hæ sunt actiones vitales, ut non negant adversarii : ergo. prob. ma. ovicula e. g. cognoscit suam matrem, tanquam sibi bonam, & ad eam accurrit : cognoscit lupilum, tanquam malum, & eum fugit : canis cognoscit suum dominum, eumque defendit : cognoscit ho-stem, & invadit : cognoscit ver-bera, etiam tantum intentata per o-stensionem baculi, & fugit : cogno-scit carnem sibi ostensam, tanquam bonam, & avidè eam arripit &c.

420. Rursus bruta addiscunt varias artes, e. g. canes, & equi varios saltus, etiam ad modulos musi-cos : canes insuper alias artes, qui-bus sæpe ludicra spectacula homini-bus præbent : aviculæ addiscunt modulaços cantus suavissimos &c. Item bruta ostendunt maximam sa-gacitatem, in construendis nidis, vel aptandis sibi spelæis, & eligendo loco apto, e. g. ad exitum, & fugam in necessitate, ut vulpes, & mures, in perficiendi suis foveis, aut for-a-

minibus: item apes, & formicæ, in al-veariis, & cellulis parandis : iterum monstrant sagacitatem bruta in pa-randa sibi annona in futurum, ut a-pes in colligendo melle, & formicæ in comportandis granis tritici, quæ etiam arrodunt, ne germinando si-bi inutilia fiant, & millenis simili-bus aliis.

421. Ulterius datur in brutis phantasia, ut colligitur ex somniis canum, item ex memoria, tam be-neficiorum, quam injuriarum, olim acceptarum : certè ex historiis est innegabile, leones post multa tem-pora fuisse gratos suis benefactori-bus, estque famosum, & notissimum exemplum de Androto : quin etiam S. Basilius homil. 8. in Hexam. scri-bit : Olim verberibus cesa camelus, irâ longo post tempore reconditâ, cum idoneum, opportunumque na-ctu fuerit tempus, malum illud san-dem reddere solet : & S. Augusti-nus 4. de Quæsiti. anima. c. 26. ait : Sciebat enim, ut opinor, dominum suum canis, quem post viginti an-nos recognovisse perhibetur : quem canem e. 28. ait fuisse Ulyssis.

422. Præterea in brutis datur a-mor, & ira, tristitia, & gaudium, timor, & audacia, quas passiones ipsa Scriptura brutis attribuit. Sa-nè Sap. 7. v. 17. & 20. Salomon ait, dedisse sibi Deum, ut sciat iras be-stiarum : & Eccles. 13. v. 19. dici-tur: Omne animal diligit simile fi-bi. Certè summè mirabilis est a-mor brutorum in suam prolem, pro qua

qua gallina exponit etiam vitam unguibus accipitris : tigris etiam, quantumvis alias seva, catulos cum vita periculo defendit : & vel formicæ, dum earum disturbantur cellulæ, primo præ omnibus aliis solicite sunt de aportandis in tutum ovulis. Ex tristitia multi canes sunt mortui, post occisos heros, ut pas sim historici referunt : alii valde gavisi sunt ob eorum redditum : quin ipsa S. Scriptura *Tob. 11.* dum redditum Tobiae junioris recenset, de cane ipsum comitante sic scribit *v. 9.* *Tunc præcurrit canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuncius adveniens, blandimento sue cœuda gaudebat.*

Mira quoque est fidelitas canum erga suos heros, quos absque metu mortis contra hostes defendunt : terribilis est ira leonis, itemque canis : & metus leporis etiam in proverbium abiit. Nulum finem invenirem, si omnes actiones brutorum, quæ sensationem, cognitionem, affectionemque aliquam, adeoque vitam indicant, vellem afferre, quibus, & quidem summè mirandis, pleni complures sunt libri : certè vix majora in hominibus apparent vita sensitivæ indicia ; unde videtur prorsus irrationalibile, brutis vitam negare.

Sed & planè irrationalibile videatur, afferere, quod amare, timere, gaudere, tristari &c. sit tantum moveri localiter : quod tamen Cartesiani, qui nullum alium motum in

brutis admittunt, debent dicere. Evidem aliqui reponunt, in brutis non dari pudorem, aut erubescenciam, consequenter nec alias passiones, amoris, gaudii &c. sed hæc illatio est nulla ; cum omnes Ethici dividant passiones in rationales, & irrationales, sive brutis communes : & experientia de amore, gaudio, timore &c. brutorum, nimis manifesta sit. Adde, quod etiam in dubium trahi possit, an non bruta habeant aliqualem verecundiam : certè feles dicuntur suas fôrdes abscondere, & canes videntur erubescere, si non animosè feram, aut hostem aggrediuntur &c.

423. Respondent tamen Cartesiani, ad has, & similes omnes actiones, bruta moveri tantum ab extrinseco, seu à corpusculis, quæ ab objectis variis emittuntur. Sic, adjunt, e. g. frustum carnis emittit corpuscula, quæ feriunt oculum canis, atque in eo causant aliquam dilatationem, vel constrictionem, aut raritatem, vel densitatem, & subinde aliquam vellicationem, tensionem, pressionem &c. quæ motiones per nervos continuantur usque ad cerebrum, ibique aperiunt viam spiritibus animalibus, ut mox in pedes confluant, & motum illum causent, in clateriis, vel musculis pedum canis, quo hic ad eam currit : simul alii spiritus in fauces, ac dentes canis affluunt, qui causant motum coctionis.

424. Sed discriben faciendum  
Z 2 est

est inter motus; alli enim sunt *Motus pure naturales*, qui in corpore animalis fiunt sine ejus cognitione, & sive eos velit, sive nolit: sic e. g. cor micat, venæ pulsant, chylus percolatur, & cum sanguine miscetur, nobis prorsus insciis, quin etiam invitit, si tales essemus. Alii sunt *Motus spontanei*, qui in hominibus sepiissime sunt liberi, & nec in hominibus, nec in brutis, fiunt ipsis invitit, sed ipsis volentibus, seu appetentibus.

Jam, quamvis non negetur, corpus cujusque animalis esse machinam quandam aptissimam, & plurimum conferentem ad quoslibet motus animalis, imò ad hos necessariam; cùm videamus, vel unico nervo, aut musculo lœso, corpus, vel membrum, moveri non posse: quamvis etiam pro hīc, & nunc detur (non concedatur; quia nullo modo conceditur, motus naturales, vegetationis, nutritionis &c. posse oriri, à machina inanimata) quamvis, inquam, detur, motus pure naturales à sola hac machina sine concursu animæ provenire posse: attamen nulla verosimilitudine fingi potest, motus etiam spontaneos sine anima, aut sine cognitione elicí posse.

425. Quando enim motus, seu cursus e. g. canis, ut ordinariè contingit, est non tantum directus, seu per lineam rectam tendens, sed diversissimus, antrorum, retrorum, & in omnes partes, e. g. quando in-

sequitur leporem, variis circumflexis saltibus effugere celerrimè conantem, sanè contra omnem rationem fingitur, ad istos motus omnes determinari canem sine ulla cognitione, per solum appulsum corporiculorum leporis: sicut etiam omnino incredibiliter fingitur, leporem ad suos saltus variè circumflexos determinari à corporiculis canis.

Rursum, si cani ostenditur frustum carnis ex alto, ad quod per linéam rectam deferri non potest, queret ille circuitum, & primò intra domum intrabit, inde ad scalam accurret, per hanc etiam cochleatam ascendat, & in cubiculum, seu locum, unde caro monstrata est, penetrabit: quæ, obsecro, corporicula per tot ambages canem circumducere possunt?

426. Item, si canis famelicus videat carnem in plano jacentem, statim ad eam accurrit: at, si eam videat in fossa profunda, vel præcipito, neutquam ad eam se movet: quin imò, si priùs non vidiit fossam interiacentem, & jam cœpit currere versus carnem, ex altera parte positam, cùm ad fossam venerit, mox cursum sistit: & tamen corporicula eodem modo in oculos, & in nares incurruunt: quid igitur impetum spirituum in musculos influentium cohibet? certè nil aliud, quam cognitio, vel apprehensio quædam periculi mortis, canem à saltu in profundum absterret. Sanè, si machina curulis, in plano mo-

ta, ad tale præcipitum perveniret, absque dubio in illud se le devolveret; quia omni cognitione careret.

427. Præterea, quando unum animal tendit insidias alteri, e. g. felis muri, collocat se, non è regione foraminis, sed quasi à tergo, ut mus crumpens felem non videat, adeoque egressus mox unguibus arripiat: quæ autem corpuscula felem ad eum locum, tamquam sessionem, aliquando satis diuturnam, determinant? Pariter, quando canis usque in remotam sylvam excurrit, ut leporem, vel qualemcunque feram insectetur, quæ corpuscula feræ jam domi in canis oculos incurunt, ac spiritum in pedes affluxum, & consequenter usque in sylvas motum causant? præsertim, cum dein cani in sylvam delato perinde sit, sive lepus, sive vulpes occurrat, & quidquid occurrerit, insectetur. Et eadem est ratio de fele, ex infima crypta sæpe sub tectum supremum currente, ut mures venetur.

428. Ulterius à quibus corpusculis determinantur spiritus vitales, ad influendum in plurima diversissima organa, à quibus simul, & semel eduntur diversissimi motus? e. g. dum canis pedibus tripudiat, cœda agitatione gestit, & ore, quantum potest, latum admurmurat: vel, dum dolens, & ejulans ob accepta verbera, ac varie respectans fugit: dum gallina pullos sub alas convocat, & simul contra milvum se parat: dum avicula nidum stru-

ens, modò avolat, & aliquid stramenti, vel plumarum inquirit, & inventum advehit, inde pedibus, ac rostro ordinat: dum duo juvenes canes lepidissime rixantur &c.

429. Certe contra omnem rationem dicitur, in his, & similibus innumeris casibus, omnia fieri tantum per affluxum spirituum, è cerebro, varia impressione ab objectis causata excitato, submissorum. Sanè sententia Cartesiana, si tantum ad hæc experimenta quotidiana applicetur, tam paradoxa, & incredibilis est, ut nemo, nisi in authoris gratiam intellectum cæco modo captivet, ei vel à longè assentiri possit.

Jactant quidem Cartesiani ubique assertionum suarum evidentiam, & explicationum perspicuitatem: at, quæso, quid explicatur ab ipsis ad captum, dum semper ad similia, ex brutorum actionibus miris desumpta argumenta, tantum reponunt, eos motus fieri, per certam impressionem ab externo objecto causatam, pèr certum motum spirituum, & elateriorum: sanè istæ certæ impressiones, & istæ certæ motiones, sunt valde incertæ, nec minùs, imò magis occultæ, quam aliquæ qualitates Peripateticorum.

430. Confirm. Deus dedit brutis oculos, aures, nares, palatum, & totum corpus passibile, adeoque omnia quinque sensuum organa, ut dedit hominibus, id quod patet ex anatomia: imò brutis quibusdam de-

dedit perfectiora organa sensuum; nam aliquæ feræ nos superant in perfectione eorum organorum, ut fatetur S. Augustinus citatus n. 415. & probant quidam decantatis versiculis: *Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu, Vultur odoratu, nos vincit aranea tactu*: (de quibus tamen videnda dicta 2. p. *Phys. partie. n. 799.*) ergo dedit Deus iisdem brutis etiam potentiam istis organis utendi, seu sensationem elicendi, adeoque dedit vitam sensitivam.

431. Antecedens est certum. conseq. etiam non videtur neganda; quia, cum simillima in brutis, & hominibus sint organa, & simillimi etiam, saltem quoad externam apparentiam, effectus, erit quoque similis potentia; alias, ut Benedictus Aletinus *Litter. Apol. 4.* ait, Deus nos huderet in modum histrio-nis, producendo quasi in scenam icunculas inanimes, dum interim nos eas judicaremus animatas; co-quod omnia signa viræ sensitivæ in iis deprehenderemus, non minus, quam in nobis ipsis. Evidemt aliqui hoc argumentum refellere volunt, negando ejus suppositum, si-ve negando, quod potentia dicta sensitiva in homine sit vitalis: sed nos inferius n. 441. probabimus, eam esse identificatam, cum anima rationali: insuper nullus mortali-um, exceptis præoccupatissimis sua opinione Cartesianis, sibi unquam suet persuaderi, suos dolores in

membris externis, suas in somno phantasias, suas visiones, vel auditio-nes externas &c. non esse actus vitales.

432. Dico 2. Vita brutorum in actu primo est distincta à combina-tione corpusculorum, adeoque est forma substantialis. ita Peripatetici omnes, & etiam aliqui alii, ut Bur-gundi *tom. 4. Philos. tr. 1. differt. 1. c. 2. concl. 1.* ac Fabri. Prob. conclusio contra omnes corpuscularios, sive sint Epicuri, sive Empedo-clis, sive Cartesii sectatores: probatur autem 1. sic. Actiones bruto-rum, cognitiones, & appetitio-nes vitales, quales eas esse probavimus à n. 419. superant longè activitatem, seu virtutem agendi corpusculorum inanimatorum, quomo-docunque combinatorum: ergo nos possunt procedere à corpuscu-lis inanimatis: ergo debet admitti alia causa, seu forma nobilior.

Consequencia facile negari non potest; nam omnes naturali instin-ctu ex perfectione effectus inferimus perfectionem activitatis in causa adæquata, & principali, adeoque judicamus, effectus non posse prodire ab alio, tanquam à causa adæquata, & principali, si ejus activitas effectu imperfectior sit. ant. etiam habetur ex eodem sensu com-muni, quo omnes judicant, ens penitus inanime non posse videre, audi-re, meminisse &c. quæ explica-vimus n. 419. Et seq. & ista esse actiones tam perfectas, ut vita ca-

carentibus adscribi minimè pos-  
sunt.

433. Certè si adversarii nobiscum,  
& bene dicunt, non esse paritatem  
ab actionibus brutorum ad actiones  
hominum, neque ex eo, quod  
bruta possint elicere materiales  
quasdam visiones &c. sequi, quod  
etiam possint elicere spirituales, seu  
cognitiones intellectivas, etiam no-  
biscum debent dicere, non esse à  
combinatis corpusculis, sive Epicu-  
ri, sive Empedoclis, sive Cartesii,  
aut ab horologiis, vel aliis automa-  
tibus insensatis, paritatem ad bru-  
ta: neque ex eo, quod combinata  
corpuscula, aut artificiosa automa-  
ta, possint ratione elateriorum suo-  
rum producere aliquos motus com-  
parativè valde imperfectos, sequi,  
quod etiam possint producere mo-  
tus illös, quos perfectissimos expe-  
rimur in brutis.

434. Sanè meritò adversarios in-  
clamare hic licet: quid calori, &  
frigori, humiditatí, & siccitatí  
commixtis, vel etiam qualitatibus  
secundis non vitalibus, ex prima-  
rum commixtione, vel adæquatè,  
vel inadæquatè exortis: quid va-  
riæ figuræ corpusculorum, vel eo-  
rum motui purè locali: quid, in-  
quam, commune cum cognitione,  
& appetitione, cum amore, gau-  
dio, tristitia, & similibus?

Certè corpuscula, tam elemen-  
taria Empedoclis, quam alia Epi-  
curi, aut Cartesii, ante combina-  
tionem, vel motum, tam parum ha-

bent proportionis, etiam tantum  
inadæquatæ, ad hos effectus vita-  
les, vel ad constituendum animal,  
quam parum proportionis habent  
corpuscula lignea, aut faxeæ ad  
constituendum aurum: imò illa  
corpuscula adhuc habent propor-  
tionem minorem, quam ista: ergo,  
sicut incredibile est, quod ex cor-  
pusculis ligneis, & faxeis, combi-  
natis, aut motis, possit fieri aurum,  
ita etiam, & magis adhuc imper-  
ceptibile est, quod ex corpusculis  
elementaribus, Cartesianis, aut Epi-  
cureis, præcisè combinatis, vel mo-  
tis, possit fieri animal.

435. Confir. Corpuscula elemen-  
taria sunt inter se contraria, & exi-  
gunt separationem à se invicem:  
quin imò ignea exigunt etiam de-  
structionem aliorum, saltem quoad  
sensibilitatem, & vicissim alia exi-  
gunt similem destructionem igneo-  
rum: corpuscula Cartesiana, ratio-  
ne motū iis impressi, semper (ut  
ajunt eorum patroni) conantur à  
centro recedere, adeoque à se in-  
vicem separari: Epicurea autem in-  
primis sunt ad omnem combinatio-  
nem indifferentia, nec ex se potius  
unam, quam alteram exigunt: dein  
etiam motui, quo, nisi cohibeantur,  
sapissimè subsunt, nec ei motui re-  
sistunt, nisi forte per accidens, ra-  
tione certæ inter se implicationis:  
quam tamen ipsa ex natura sua non  
petunt, & cujus etiam causa, si ne-  
getur forma substantialis, conve-  
niens.

nienter assignari non potest : ergo dato etiam, at non concessio, quod ex talibus quibusdam corpusculis bruta constituantur, tamen debet insuper admitti alia forma substancialis, quæ sit radix exigitiva, & conservativa illius combinationis, & consequenter vita ipsius bruti; alias sanc nulla esset radix, vel causa vehementissimi illius appetitus, quo experimur, quodlibet brutum intensissime ferri in conservationem suæ vita.

436. Si fors argumentum retorquere velles in mixtis imperfectis, in quibus non datur radix conservativa combinationis, responde rem, ista, saltem multa, non ita appetere suam conservationem; certè, quando ex aqua, & terra, fit mixtum imperfectum, scilicet lутum, facile iterum separantur: dein sèpius non constituuntur hæc mixta ex omnibus elementis, aut ita sibi contrariis, sed e. g. ex terra, & aqua: quibus si etiam accederet aér, tamen exigentia ad se invicem, & ad conservationem talis mixti esset modica: ignis autem sèpius non constituit mixtum, sed latet tantum in poris, præsertim terrestribus, aquâ quasi conglutinatis, & contra ignis vim defensis. Quod si autem probaretur (quod tamen non adeò facile foret) quod omnia quatuor elementa formaliter talia constituant idem mixtum imperfectum, dici posset, id mixtum non råfortiter exigere conservationem

sui, ac exigunt animalia, saltem hoc tamdiu meritò diceretur, donec adversarii oppositum probarent, quod verosimilius non possent. Tandem addi potest, sine hac confirmatione stare adhuc ipsum argumentum primum, & alia sequentia.

Interim, si in adversis systematis non potest assignari radix exigitiva, vel conservativa combinationis specificæ, in proprio subiecto, vel supposito, quanto minus assignari poterit radix exigitiva, vel productiva novæ similis, combinationis in alio subjecto? sive quanto minus assignari poterit causa, vel radix propagationis speciei? cùm tamen experiamur, exigentiam, seu appetitum propagandi speciem in bruti, esse præ aliis vehementem.

437. Prob. concl. 2. Est communis sententia Theologorum, à SS. Augustino, Leone, ac aliis Patribus, & Concilis accepta (ut videre est apud Suarezium l. 4. de Angel. c. 25. n. 4. & tom. 2. Metaph. disp. 35. sec. 6. & n. 2.) quod Angeli non possint producere ullam substantiam; unde multò minus possunt eandem jam destruetam reproducere: seu brutum mortuum ad vitam resuscitare, in qua resuscitatione sanc omnes agnoscunt miraculum: atqui, si, ut vult adversa sententia, forma substancialis, seu anima, aut vita brutorum in actu primo, consisteret in mera combinatione corpuseculorum posse

sent Angelii, tam boni, quam mali, bruta de novo producere, in modo mortua iterum resuscitare ad vitam: ergo ea sententia non potest admitti.

438. Prob. mi. Angelii, tam boni, quam mali, comprehensivè cognoscunt quæcunque corpuscula, itemque eorum in certa corpora sensibilia combinationes: insuper possunt, ea pro libitu sup movere, transferre, & in quemcunque locum transponere: verbo, ea omnia de iis facere, que per solum motum localem fieri possunt, ut iterum est communis Philosophorum, & Theologorum apud Suarez l. 4. de Angelis c. 27. n. 2. & seq. atque patet ex Scriptura, ex qua habetur, ab Angelo bono translatum fuisse Habacuc in Babylonem Daniel. 14. v. 35. & a demonibus porcos fuisse præcipitos in lacum, ac in eo suffocatos Lact. 8. v. 33. ergo possunt Angelii, tam boni, quam mali, combinationem corpusculorum, ad efformandum e. g. equum necessarium, efficere, vel eam destrutam iterum reparare: adeoque iuxta sententiam adversam possunt, equum de novo producere, vel mortuum ad vitam revocare.

439. Nec dicas, Angelos non quidem posse producere substantialias, per veram actionem, seu educationem peripateticam: at vero posse eas producere, per combinationem particularum, jam prius

*Tome. II.*

existentium; nam hoc ipso, ex communi Theologorum, & Philosophorum, ea combinatio, utpote Angelo possibilis, non est vera productio substantiarum, nec in ea constituit forma substantialis brutorum; alias non esset amplius miraculum resuscitatio bruti ad vitam, utpote naturaliter possibilis agenti creato scilicet Angelo.

440. Prob. concl. 3. Si vita in actu primo, sive anima sensitiva in brutis, est identificata cum combinatione corpusculorum bruti, tunc etiam anima sensitiva in homine erit identificata cum combinatione corpusculorum hominis: atqui hoc non potest admitti: ergo prob. ma. corpuscula, & eorum combinatio, ac fabrica organorum &c. non sunt, saltem ordinariè, perfectiora in homine, quam in bruto: ergo, si in bruto cum ea combinatione est identificata anima sensitiva, erit etiam identificata in homine.

Nec dicas, in homine adesse animam rationalem, & ab hujus praesentia excludi omnem aliam animam; nam, quidquid sit de vocabulis, sive, an vis sentiendi, distincta ab anima rationali, in hujus praesentia dicenda sit anima, an non, saltem anima rationalis non excludit dictam combinationem, aut fabricam organorum, nec quidquam physicae entitatis ab ea tollit, adeoque etiam praesente anima rationali illa combinatio adhuc erit vis,

Aa

vis, aut facultas sentiendi, non minus, quam in brutis, consequenter re ipsa erit anima sensitiva: quidquid sit, an ita vocari debeat: vel adversarii debent ostendere, qua ratione anima rationalis ab illa combinatione tollat vim sentiendi.

441. Prob. jam. minor. Omitto, quod nonnulli hic afferunt argumentum ex Conciliis, & Patribus negantibus, duas, vel plures animas in eodem homine: ad quod quidem aliqui respondent, ab iis tantum negari duas animas in sensu Manichæorum, seu unam bonam, alteram malam. Sed hoc non sufficit; nam duas animas expressè negat S. Gregorius Nyssenus *de Opific. homin. c. 14.* & non tantum acceptas in sensu Manichæorum, sed in sensu philosophico: item S. Augustinus (vel quisquis est auctor) *libr. de Eccles. dogmat. c. 14.* ubi sichebat: *Negare duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Iacobus, & alii Syrorum scribunt, unam animalem esse, qua animetur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram spiritualem, qua rationem ministret: sed dicimus, unam esse, eandemque animam in homine, qua & corpus sua societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat.*

Verum hoc omisso sic argumenter. Si anima sensitiva in homine est identificata cum combinatione corpusculorum, sequitur 1. quod, si, ut supernaturaliter fieri posset, auferretur anima rationalis, & con-

servaretur ea combinatio, homo fieret brutum: quod videtur per se absurdum. Sequitur 2. quod non posset amplius ratione naturali probari, quod in perpetuò amentibus, præsertim simul-mutis, detur anima rationalis; nam actiones talium amentium, quoad externam apparteniam, non sunt perfectiores, quam multæ actiones brutorum, e. g. simiarum. -

442. Sequitur 3. quod anima sensitiva Christi Domini in eis morte fuerit destructa, adeoque à Verbo dimissa pars ut quod, spectans non tantum ad integratem, sed etiam ad essentiam humanae naturæ, quæ prius fuerat assumpta: quod est contra communem Theologorum. Sequitur 4. quod anima sensitiva Christi, si præsertim, ut adversarii videntur velle, exigat aliquam extensionem localem, non adsit in SS. Eucharistia, ubi nulla datur talis extensio, sed omnia corporecula sunt in eodem minimo spatio: sequelæ istæ admitti non possunt: ergo.

443. Cum itaque vita brutorum in actu primo (quam admittendam esse non inefficaciter probavimus à n. 444.) stare non possit in corporeculis inanimatis, neque in eorum combinatione, aliud non superest, quam, ut dicatur esse substantia incompleta, seu forma substantialis vivens, cuius analogia clarissima habetur in anima rationali hominis, ut dictum m. 413.

Hanc

Hanc tamen illationem negant P. Fabri *com. 5. tratt. de homine l. 2. propos. 39.* ac alii ei adhaerentes; hi enim vitam brutorum in actu primo, seu animam eorum, constituant in substantia subtilissima, ignea, vel ætherea, per totum corpus bruti diffusa.

Hanc substantiam vocant formam absolutam; eoquod sit ens absolutum: at re ipsa est corpus aliquod completum, & simplex, quod juxta hos autores non minus, ac quodlibet elementum Empedoclis, est ingenerabile, & incorruptibile; nam per mortem, seu corruptionem bruti, in auras, ferme ut juxta Empedoclem ignis, dispergitur: in generatione bruti autem iterum colligitur, & per bruti corpus iterum diffunditur: sed contra hos autores.

444. Dico 3. Vita brutorum in actu primo non consistit in substantia modo descripta. ita omnes synceri Peripatetici. Probatur hæc conclusio iisdem ferè argumentis, quibus probata fuerunt superiores, quæ memoriaz sublevandæ causâ hic succinctè repetuntur. Itaque prob. 1. Substantia modo explica ta est re ipsa in se inanimata; nam, quando post mortem bruti quomodounque, vel dispersa, vel collecta existit, non vivit, certè non magis, quam Empedoclis, vel Epicuri corpuscula; nam & ipsa primùm per combinationem, aut diffusionem per corpus bruti, debet ac-

quirere vim vitalem, nisi quis ve lit planè absurdè dicere, infinita corpuscula viventia, è mortuis ferris inspirata, ubique vagari per aërem.

445. Jam verò actiones vitales, & quidem tam nobiles, quales in brutis dari à n. 419. probatum est, non possunt provenire à substantia ex se inanimata, ut iterum probatum est à n. 432. ergo. Sanè nemo capit, à corpusculis inanimatæ substantiæ, quacunque tandem ratione combinatis, posse provenire mirabiles cognitiones brutorum, & apprehensiones etiam artium, item diversissimos affectus amoris, gaudii, iræ &c. Unde communissimus omnium, si paucos suis præjudiciis absone præoccupatos excipias, sensus est, in brutis dari aliquod principium istarum actionum, quod analogiam cum anima rationali habeat: hoc autem aliud non est, quam forma peripatetica vivens.

446. Prob. concl. 2. Supposita adversa sententiâ tanquam verâ, Angeli possent producere bruta, eaque mortua denuo ad vitam resuscitare: atqui hoc non possunt ex n. 437. ergo. prob. ma. Angeli istam substantiam igneam, vel ætheream, & omnes ejus combinationes, brutis necessarias, comprehensivè cognoscunt, adeoque per motum localem efficere possunt ex n. 438. ergo.

447. Prob. concl. 3. Vel hæc substantia esset in omnibus brutis ejus.

ejusdem naturæ, & speciei: vel est in diversis diversæ: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. si dicatur esse ejusdem naturæ, & speciei, tunc planè, contra omnem lensem omnium hominum, anima felis non differt ab anima muris, nec anima lupi ab anima ovis, nec anima milvi ab anima columbae &c. nisi forte magnitudine, aut extensio ne; cum tamen exigant diversissimas operationes, maximè contrarias, inimicas, invicem destrutivas &c. quis autem sibi persuadeat, eandem substantiam ætheream, vel igneam, præcisè ratione diversæ quantitatis, aut accidentalis combinationis, exigere substantiaz sibi prorsus similis in alio destructionem, non minus, ac ignis exigit destructionem ligni? item exigere dissimillimas actiones, cognitiones, & appetitus prorsus contrarios, ac inimicos, quales experimur in brutis diversis?

Si autem dicatur, illa substantia esse in diversis diversæ naturæ, & speciei, tunc debent admitti tales substantiaz igneaz, vel æthereaz diversæ quam plurimæ: & quidem debent admitti ubique in omnibus, & singulis plantis, in corporibus mortuis, in aqua, vel liquoribus &c. ex quibus animalia nutrituntur; nam ex alimento debent bruta accipere augmentum suæ animæ: ergo adverlarii incident in omnia absurdæ, quæ superius n. 103. & 144. objecta sunt systemati Anaxagoræ,

defacto communiter rejecta, quæ non videntur huc repetenda.

448. Dico 4. Vita brutorum in actu primo non potest statui in corpusculis, seorsim potentia viventibus, conjunctim autem actu viventibus: quæ videtur esse opinio aliquorum recentiorum, qui tamen, vel nil aliud dicunt, quam quod adversarii n. 432. jam impugnati dicunt; unde contra ipsos non opus est aliis argumentis: vel dicunt, corpuscula esse viventia in actu primo, sicut dicuntur partes animæ divisibilis in brutis seorsim tantum in actu primo vivere; quia scilicet sole necdum possunt elicere actiones vitales, possunt autem postea conjunctæ: & si hoc velint, contra ipsos.

Prob. conclusio argumentis ferè iisdem, quibus probatæ sunt conclusiones superiores, ea huc ita applicando. Etsi non omnia, tamen corpuscula plurima, quæ in brutum naturaliter combinari possunt, debent ita vivere: atqui hoc est incredibile: ergo. prob. ma. etsi brutum forte non quoad omnes partes sit vivens, tamen est vivens quoad plurimas, ac potissimas, & quoad eas nutritri debet corpusculis viventibus: ergo corpuscula plurima, quæ per nutritionem in brutum combinantur, debent ita vivere.

449. Prob. etiam mi. Brutum ex quovis cibo sibi connaturali, si ve sit panis, sive caro, sive herba, aut radix, nutritur quoad omnes suas

suas partes: ergo omnia ista nutrimenta deberent esse plena corporisculis viventibus, quod planè est incredibile, & prorsus gratis confitum. Confirm. 1. Non tantum unum brutum, sed plura, & diversissima, sibique inimicissima, nutrituntur iisdem cibis: ergo deberent in quolibet tali cibo esse corporecula innumera, viventia diversissimæ vitæ, & exigentia actiones non tantum nobilissimas vitales, quales videmus in brutis, sed etiam prorsus contrarias, ac sibi inimicas &c. hoc autem planè contra omnem communem sensum gratis, & incredibiliter dicitur: ergo.

450. Confirm. 2. Non tantum cibi, sed & res aliae pleraque, deberent esse plenæ corporeculis, diver-

sissimæ vitæ viventibus, e. g. aëris, & aqua, ut dictum n. 105. hoc planè est paradoxum, & omnes longè citius sibi persuadebunt, in generationibus brutorum produci substantialiam aliquam novam, quæ radix, & causa proportionata esse possit istarum operationum tam præstantium, & tam diversarum: ergo. Nec quis retorqueat argumentum in particulis animæ divisiibilis, successivè bruto ad generatis; haec enim non prius jam existentes colliguntur, ut particulae animæ in sententia adverbiorum, sed omnino de novo peripateticè generantur. Huc etiam spectat, quod juxta adversarios Angeli possint, non tantum bruta de novo producere, sed etiam mortua ad vitam revocare &c.

### ARTICULUS III.

#### *Solvuntur Objectiones.*

451. **O**b. 1. contra 1. conclus. SS. Patres negant, in brutis dari animam: ergo non debemus eam afferere. ant. prob. S. Augustinus *l. 2. de Genes. ad litter. c. 24.* ait: *Neque enim corpus sensis, sed anima per corpus, quo velut nascio uestitur.* & *ep. 102.* scribit, creaturam ita obtemperare Deo, finè vivificantis animæ ministerio, ut edantur sibi, quales edi ex corpore animato solent. & ut figura, moxisque volueris, eadem posessis

*creatoriis ingeratur aspectibus.* & S. Gregorius Nyssenus *l. de Opificio homin. c. 15.* docet in brutis non esse animam: ergo. Resp. neg. ant. cuius falsitas patet ex n. 415. ad prob. neg. conseq. S. Augustinus primo loco, ut patet cum ibi legenti, tantum vult, corpus se solo non sentire, sed ad hoc debere animam illi esse unitam: elici autem sensationes corporales ibi aperi-  
tissimè doeet, easque comparat spiritualibus, ac postponit, paulò super-

superius ajens : *Praestansior est enim visio spiritalis, quam corporalis : & paucis interjectis : Momento eodem, quo corpus sensu corporis tangitur, sit etiam in animo &c.*

Altero loco S. Doctor tantum docet, non fuisse impossibilem vocem auditam, & apparitionem columbarum volantibus, dum Christus baptizaretur : & supponit, quod quidem vox talis, & volatus, conaturaliter debeat fieri *vivificantis anima ministerio*, & a corpore animali : attamen ait, id tunc fieri aliter potuisse *potentia creatoris* : ex quo prorsus non sequitur, S. Doctorem sensisse, bruta non esse animalia, sed omnino oppositum.

S. Gregorius Nyssenus autem tantum brutis negat animam rationalem, ut est apertissimum legenti ; sic enim scibit : *Cum ea deorum perfecta sit anima, que intelligentia, & rationis est viviparata, quidquid scilicet tale non est, ei cum anima quidem nomen esse commune potest, rursum vero non anima, sed vivendi facultas quedam erit* : & infra : *Parum scilicet quiddam esse videtur in animalibus ceteris facultas sentiens* : & iterum : *Cum sentiendi facultate, animalia rationis expressio non supervenietur.*

452. Dices i. S. Basilius in *Hæxamer. homil. g.* sic scribit : *Cum, juxta quod scriptum est, animalia omnis anima sanguis sit ipsius* : ergo docet, non dari in brutis ve-

ram animam ; quia sanguis non est anima propriè dicta. Resp. neg. conseq. S. Pater tantum vult, quod anima aliquo modo radicaliter, dispositivè, aut conservativè, dependeat à sanguine, tanquam aliqua causa, aut quasi dispositione, sine qua vita animalis non conservaretur. Et hoc sufficit ad intentum S. Basili, qui loc. cit. tantum vult probare, animam bruti esse mortalem, utpoteeductam è terra, & dependentem à sanguine : non verò mortalem esse animam humana.

Certè ex textu *Lev. 17. v. 14.* universaliter de omnibus animalibus loquente, quidam inferre voluerunt, sanguinem etiam esse animam hominis, adeoque mortalem, quos S. Augustinus l. 2. *contra adversar. legis c. 6.* ait, non intelligere legem, seu Scripturam, docetque, dictum fuisse à Moysi *Levit. loco cit.* secundum Græcum textum, animam esse sanguinem, non quia hoc erat, sed quia bene significabatur : & addit, Scripturam voluisse, animam significare per sanguinem ; eoquod hic præ aliis rebus sit signum corporis, vel adhuc animali, vel certè prius anima informati.

-453. Dices 2. Aristoteles l. 1. *Historia animal. c. 1. in fine* ait : *Homo unus ex numero animalium omnium vim obtinet cogitandi, & cum memoria, atque disciplina, complures animalia esse particeps possint,*

possint, nulla tamen prater hominem potest reminisci: ergo bruta non habent cognitionem, adeoque nec vitam sensitivam, sed tantum memoriam, quæ juxta Aristotelem *l. de Memor. c. 2.* non est aliud, quam impressio, similis illi, quæ fit per annulum obsignatorum in cera.

Resp. Aristotelem vitam brutorum millies assétere, ut videri possint cum non legisse ii, qui de hoc dubitant. Sic *l. r. de Gener. animal. c. 20. sub finem* ait: *At animalis munus non solum generare, quod commune omnium viventium est: sed etiam cognitionis alicujus particeps unumquidque est, aliud majoris, aliud minoris, aliud minima; sensum etenim habent; sensus autem cognitione quadam est.* & *l. de Inv. ac Senect. c. 1. Animal enim, secundum quod animal, impossibile est non vivere.* Reminiscientiam autem cur tribuat soli homini, rationem dat *l. de Memor.* Et *Reminisc. c. 4.* Quia ipsum reminisci est ut syllogismus quidam; quod enim prius, aut videt, aut audiret, aut aliquid hujusmodi passus fuit, syllogizat reminiscens. Scilicet reminisci vel supponit, vel involvit aliquem discurrsum, cuius bruta sunt incapacitatem.

454. Quando autem memoriam dicit impressionem, intelligit impressionem intentionalem, factam in phantasia per speciem impressam; nam *l. de Memor. c. 1.* expressè tradit, ad memoriam requiri

phantasmata: & hinc ait, memoriam esse communem homini, & bruto. Quando verò *l. de Animal. motu c. 5.* ait, animalia habere nervos, & vertebras, tanquam instrumenta ad motum, sicut suo modo currus habet rotas, verissima dicitur non sequitur, animalia esse tantum automata inanimata, nec moveri vitaliter ab intrinseco, sed tantum ab extrinseco, sicut currus, ut est per se clarum, & magis clarum est legenti ibi Philosophum. in forma conc. ant. neg. conseq.

455. Ob. 2. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate: ergo non debent admitti tot formæ, de novo productæ. Confir. 1. In sententia nostra afferente, bruta vivere, & cognoscere, multiplicantur sine necessitate, non tantum formæ substantiales, sed etiam sensations, & cognitiones, ac species impressæ, & expressæ &c. in infinitum: sed hoc est absurdum: ergo. Confir. 2. Otiosa esset anima in horologio, sine qua per rotas, & elateria, vel pondera, rite moveri possunt omnia ad signandas horas: ergo etiam otiosa est in corpore bruti anima, sine qua per nervos, & alia organa, omnes motus animalis ordinatè fieri possunt. Confir. 3. Sapere non habetur causa productiva novæ formæ, seu animæ: ergo non producitur forma, adeoque nec datur.

Resp. neg. conseq. Necessitatem formarum substantialium in brutis suffici-

sufficienter ostendimus, argumentis pluribus, nec inefficacibus: quæ, quamvis non dicamus, esse omnino evidētia, tamen sunt sufficientia; nec enim tanquam principium irrefragabile admittitur, nullum ens esse multiplicandum, vel adstruendum, nisi evidenter demonstretur ejus necessitas: sed ad summum admittitur, nihil esse afferendum, nisi ratione valde probabili, aut probabiliore, ejus necessitas probetur.

456. Ad 1. confir. neg. ma. Necesitatem illarum formarum, ut modo diximus, sufficienter probant nostræ rationes, itemque necessitatem cognitionum: necessitatem verò specierum probabimus suo loco. Interim cogitent etiam adversarii, quæm ipsi multiplicant innumeros spiritus, & eorum motus, ac coordinationes: item situs, variationes, ac modificationes corporum &c. Ad 2. confir. neg. conseq. Poteft facile capi, motus omnes in horologio, utpote tantum artificiales, & longè simpliciores, quæm sint motus mirabiles brutorum, posse provenire à pondere, vel elaterio, seu sp̄iza; unde non est ulla necessitas superaddendi animam.

At in brutis dantur non tantum motus satis simplices, quales sunt artificiales: datur non tantum naturales, sed etiam spontanei: nec tantum locales, sed etiam intentionales cognitionum, affectionum &c. quales oriri non posse ab ali-

quo elaterio inanimato, vel impulsu extrinseco, sufficienter probatum est à n. 419. Ad 3. confir. neg. ant. Pro brutis perfectis causa ordinariè patet, nempe animal generans: & sic bos est causa formæ vituli: pro animalibus imperfectis, & imperfectis, causa assignari possunt semina, quæ à n. 1164. probabimus vivere, & ubique, ubi aliquid generatur, posse adesse: in casibus extraordinariis dicere poterimus aliquid & quæ verisimile, ac adversarii.

457. Dices 1. Omnes motus brutorum possunt explicari sine anima: ergo ista non est necessaria. prob. ant. primò motus naturales etiam in homine sunt sine cognitione, e.g. motus cordis, circulatio sanguinis &c. & refertur Reiffelius Medicus efformasse simulacrum hominis, in quo repræsentabantur actiones vitales solo fluxu, & refluxu liquorum, sanguinem imitantium; unde ad hos anima non est necessaria: secundò motus spontanei etiam sunt sine cognitione, e. g. motus linguae ad loquendum, manus ad scribendum, pedis ad progrediendum; neque enim aliquis, dum loquitur, cognoscit, quomodo lingua moveatur, neque, dum graditur, quomodo pes impellatur: ergo.

Resp. neg. ant. ad prob. in primis quantum ad motus naturales, dico, nos potius probare necessitatem animæ ex motibus spontaneis: & verum quidem esse, quod ad motus naturales non sit opus cogni-

cognitione : attamen opus esse actione aliqua animæ , quæ illos motus efficiat ; cùm in principium extrinsecum refundi non possint : sicut tamen motus simulacri Reiffeliani ( quod umbra tanècum hominis erat , nec ullam nutritionem , multò minùs motum spontaneum efficere poterat ) facile refundi possunt in principium extrinsecum ; cùm essent tantùm motus locales , neutiquam perfectiores motibus iis , quos sàpē edi videmus in artificiosis lusibus aquarum , in hortis salientium .

458. Sed emiso primo membro de motibus naturalibus , dist . 2. membrum . motus spontanei fiunt sine cognitione ipsorum motuum . om . ant . fiunt sine omni cognitione . neg . ant . & conseq . Utique sàpē , dum spontaneè agimus , non habemus cognitionem ipsorum motuum , repræsentando nobis ipsos tanquam objectum : sed tamen non possumus eos elicere si nè omni cognitione : e. g. qui loquitur , non quidem cognoscit , quomodo moveat linguam , aut ad dentes , vel palatum allidat : attamen non potest loqui , quin cognoscat significationem vocum , aut eum , quem alloquitur : item , qui movet spontaneè pedem , non quidem cognoscit modum , quo anima pedem impellit : attamen cognoscit locum , quem petit , vel à quo discedit , vel finem , quem per motum assequi cupit . Quodsi quis spontaneè mo-

*Tom. II.*

veat manum ad scribendum , puto , quòd debeat eognoscere ipsam scriptiōnem , per tenuem saltēm reflectionem ad regulas artis scriptoriarū ; nec enim sínē tali cognitione posset has præ aliis literas exarare ; unde hoc exemplum proflus non est pro adversariis .

459. Dices 2. Caput humanum , à corpore abscissum , movet sàpē adhuc oculos , labia , & linguam , quando non amplius adest anima : quin etiam dicitur , cor ex animali extractum adhuc moveri motu systoles , & diastoles : ergo . Reip . neg . conseq . Motus illi sunt præcisè naturales , & valde parùm durabiles , possuntque adhuc provenire ab impulsu , priùs ab adhuc præsente anima impresso , vel à contractione nervorum , aut agitatione spirituum &c. Attamen illi motus , qui in divisib⁹ animalibus , dictis insestis , diutius durant , ab anima partiali ( nam divisibilis est ) adhuc inexistente proveniunt .

460. Ob . 3. Nulla datur sensatio , aut actus vitalis , in membris externis : ergo ex actionibus brutorum , quæ sunt tantùm actiones exterritorum membrorum , non probatur dari in ipsis animam . prob . ant . potest dici , quòd , et si non detur sensatio , e. g. in pede , tamen , quando pes pungitur , aut aliter læditur , vel causatur in eo alia aliqua mutatio , mox nervi , vel tendantur , vel constringantur , vel premantur , vel aliter moveantur : atque dein iste motus

Bb

tus nervorum continuetur usque ad cerebrum, & quidem in homine usque ad sedem animæ, in brutis verò usque ad receptaculum spirituum animalium, juxta dicta n. 423. ita, ut in homine anima rationalis moneatur, & sentiat, atque spiritus vitales, vel mediatae, vel immediatae pedi submittat: in brutis verò iidem spiritus ex lege mechaniſmi in pedem affluant: ergo, etsi non admittatur sensatio in membris externis, tamen omnia rite expli-cantur.

461. Resp. 1. neg. conseq. nam, quamvis non daretur sensatio in membris externis, tamen ex nostris rationibus inferretur, bruta vivere, & saltem in cerebro sentire, sicut juxta Cartesianos sentiunt homines: certè non minùs in brutorum, quam in hominum cerebro, datur glandula pinealis, sive conarium: &, si in hominibus ad eam glandulam conueniunt nervi, etiam in brutis convenient, -easdēmque operationes efficient. Neque verum est, quod brutorum actiones sint tantum externæ; sunt enim plures vel maximè internæ, nempe phantasmatæ, cognitiones, appetitio[n]es, gaudia, tristitia &c. de quibus latè aetum supra n. 419.

462. Resp. 2. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. seu nego, quod ista convenienter dici possint; nam in primis negari non potest, dari in membris externis actiones vegetati-vas, nempe nutritionis, & aug-

mentationis, quæ etiam sunt vita- tales, & de quibus agemus infra n. 506. ubi de forma substantiali plantarum. Dein est contra omnem persuasionem generis humani, quod non detur sensatio externa: certè nullus mortalium judicat, se dole-re sensibiliter in cerebro, dum vul-neratur in brachio: nullus judicat, se sensibiliter delectari in cerebro, dum dulcisimum vinum palato in-fundit: & sic de aliis: quin Aristotle *L. z. de Partibus animal. c. 7.* negat, cerebrum habere vim sen-tiendi, Rursum animalia imperfecta certò eliciunt sensationem ex-ternam, seu in membris externis, & cerebro distinctis, ac remotis; nam, dum pars, e. g. serpentis, posterior penitus absissa, pungitur, mox sen-tit dolorem, sèque contorquet; cum tamen cerebrum conjunctum non habeat: cur ergo hanc perfe-ctionem animalibus perfectis nege-mus?

463. Ulterius, nisi admittatur sensatio externa in partibus exter-nis animalis, à qua dein species per nervos transmittantur ad organum sensus interni, non potest explicari, quomodo impressio, facta in membro externo, aliam impressio-nem in cerebro faciat; neque enim impressio, aut motus membra ex-terni, qualiscunque sit, potest, ut volunt Cartesiani, communicari ce-rebro, vel ad hoc propagari, per nervos, nisi isti sint valde tenui, in-star chordarum in cheli, vel cytha-ra.

ra ; nam, nisi chorda, aut funis extendatur, attractio, vel motus unus extremitatis, non causabit motum, vel attractionem in altera ejus extremitate.

464. Jam vero plurimos nervos in corpore animali non effertenos, habetur ex anatomia, ex qua patet, plurimos eorum esse laxos, & flaccidos, atque etiam pro vario membrorum situ, modò extendi, modò laxari : item patet, plurimos nervos non recta, sed per multas ambages, ac tantum mediantibus aliis, quibus noctuntur, ad cerebrum tendere : iterum multos ex pluribus ramis, & partibus in diversa tendentibus, esse compositos, ita, ut attracto uno necessario plures alii trahantur : ex quo sequitur, quod ex tali tractione nervorum sensus internus, seu anima, etiam rationalis, discernere nequeat, unde, aut in qua parte exteriore corporis ortus sit motus. Taceo, gratis confitam, & inexplicabilem esse legem mechanismi, juxta quam in brutis spiritus in pedem confluere debent : & pariter inexplicabile esse, quomodo anima spiritualis in principiis Cartesianis determinet spiritus vitales ad influendum in pedem, nisi determinando Deum, ut eos illic affluere faciat, quod, ut patet, non est sat philosophice dictum.

465. Addendum, neque modum, quo alii sensationes explicare contendunt, approbari posse. Dicunt, quod percussione e.g. pedis, com-

primantur nervi, adeoque prohibentur spiritus animales, ne per eos è cerebro ad pedem descendant, & consequenter hi debeat ad cerebrum redire, atque in isto sensacionem causare ; nam in primis difficulter capi potest, quod, dum oculus aliquid videt, lingua aliquid gustat, etiam ad excitandos spiritus ingestum &c. semper comprimantur nervi istorum organorum.

Rursus huic explicationi meritò opponitur, quod spiritus animales, quamvis à descensu in pedem impedirentur, saltem sèpissimè non redirent ad cerebrum, sed potius, utpote subtilissimæ sanguinis partes, evaparent, aut in alios nervos non impeditos se insinuarent : sicut sanguis compressus in una arteria, non redit ad cor, sed in alias arterias, vel ramos se infundit. Tandem, cum spiritus isti sint ejusdem rationis, nisi aliqua species, vel quid æquivalens, præter ipsos admittatur, explicari non potest, quomodo solus spiritum redditus causet varias sensations, & quomodo potius molestas, quam jucundas, potius calor, quam frigeris, potius coloris albi, quam nigri.

466. Dices 1. In deliquiis animi nihil sentitur in membris externis, et si pungantur, percutiantur, aut etiam urantur : ergo sensatio est tantum in cerebro ; quia hoc ratione deliquii à suis functionibus impedito nulla datur. Resp. neg. consq. Sicut adversarii dicunt, in de-

liquiis non dari affluxum, vel reditum debitum spirituum, ita nos dicimus, non appellere spiritus debito modo ad organum externum: & sicut juxta adversarios, vel nimietas, vel defectus spirituum obest, aut tensioni debite nervorum, aut debite dispositioni cerebri, ita juxta nos obest recte dispositioni organorum exteriorum: si autem ista non sint rite disposita, non possunt suas operationes exercere.

Quod autem ad ritè disponenda organa serviant spiritus animales, est sensus communis omnium: & ideo in deliquiis ordinariè adhiberi solent balsama, aut liquores, acri odore prædicti, ut excitentur spiritus; quamvis enim isti non sint uniti organo, tamen ei servire possunt, vel producendo attemperatum calorem, vel alia opportunè excitando, aut removendo, veletiam tanquam nutrimentum reparando aliquid, per evaporationem ab organo deperditum.

467. Dices 2. Sæpe, quibus abscissum est brachium, aut pes, dicunt, sibi adhuc dolere digitos manus, aut pedis: ergo sensatio fit tantum in cerebro, & non in membris externis, quæ in tali casu non amplius sentiunt, imò non adsunt. Resp. neg. cons. Hic casus non est ordinarius (nam incomparabiliter plures, imò ferè omnes, quibus aliquod membrum abscinditur, nihil simile sentiunt, nec deceptio illa diu durat, sed solet brevi cessare,

& dolor apertè sentiri, ubi revera est, quamvis duret eadem tensio, vel remissio nervorum; unde experientia hæc refundenda est in errorem phantasiaz, deceptæ per excitatæ species phantasticæ, quas acquisivit de dolore illorum membrorum, dum adhuc aderant, ac re ipsa dolebant: & phantasia quidem aliquando fallitur, at non semper; alias ex dolore, per vulnus causato, nunquam discernetur, an quis in medio brachio, vel in extremitate digiti, esset læsus, quod est contra omnem experientiam. videantur etiam *Memoires pour l' histoire des sciences à Trevoux an. 1704. tom. 1. Fevrier a. 18. pag. 233.* ubi hæc nostra responso approbatur. In eandem phantasiam deceptam, vel vehementer alteratam, refundendum est, si quando phrenetici, aut laborantes calida febri, videntur sibi intueri aliqua objecta, quæ certò oculis non subsunt; representat enim ipsis tunc phantasia turbata vivacissimè ea objecta: ferme, ut representare solet somniantibus.

468. Dices 3. Anima est tantum in conario, seu glandula pineali: ergo ibi tantum datur sensatio, & non in organis externis. Resp. 1. Ista glandula pinealis datur etiam in cerebro brutorum, ut patet ex anatomia, adeoque ex hoc argumento non probatur, in brutis non dari sensationem. Sed hoc omisso, quia argumentum hoc immediate tantum petit, non dari sensatio-

nem

nem externam. Resp. 2. neg. ant. nam in primis haec glandula est satis sensibiliter extensa, & in plurimas partes divisibilis, adeoque, si anima rationalis eam totam, quamvis solam, occuparet, jam deberet occupare spatium extensem: quod Cartesiani, hujus adversae opinionis autores, mordicus negant; cum sic juxta ipsos habere deberet extensionem, adeoque esse corpus.

469. Si autem dicant, animam tantum occupare punctum indivisibile illius glandulae (cum non possint sine compenetratione in unum tale punctum coire omnes nervi, utpote corporales, adeoque juxta Cartesium essentialemente exigentes extensionem) non posset anima, nervorum omnium motiones percipere, adeoque plurima nec sentiret, nec cognosceret. Si fors diceretur, unum nervum communicare suum motum alteri, adeoque tandem omnes mediate saltem unum, qui in illud punctulum terminetur, ac animam certam reddat de omnibus externis impressionibus: contra esset, quod hoc fieri non posset sine ingenti confusione, & frequenti animae deceptione; cum non haberet medium discernendi, in quo tandem nervo motio primitus orta fuisset, ut patet cuique consideranti.

470. Accedit 1. quod haec opinio, de existentia animae rationalis in sola glandula pineali, sic contra communissimam omnium persu-

sionem, adeo, ut multis doctis valde ridiculum videatur afferere, quod anima in glandula illa se habeat, sicut aranea in medio sui retis, quae, si in retis extremitatem musca incidat, ex motu filorum mox id advertat, & accurrat. Accedit 2. hanc sententiam non videri satis esse conformem Conciliis n. 409. ad ductis, ubi definitur, animam rationalem esse formam humani corporis, per quod sanè ridiculè intelligeretur glandula pinealis: quin nec videtur haec sententia conformis Patribus, ex quibus S. Gregorius Nyssenus *de Opific. hom. c. 14. & 15.* docet, animam rationalem non unicarum pari, sed toti corpori hominis, esse unitam.

Accedit 3. quod dicta glandula prorsus non sit statio apta animae ad mentem Cartesii; cum ibi non convenienter nervi, &c, si etiam ibi convenienter, tendi, prout oporteret, non possent, ob humiditatem, & serositatem, ibi semper stabularent; unde potius existimatur, glandula illa destinata esse ad hoc, ut instar aliarum glandularum ex cerebro colligat serositatem, in infundibulum propè adjacens verosimiliter derivandam. Accedit 4. rationem Cartesii, pro hac sua assertione exotica, nempe, quod omne occupans spatium extensem sit corporale, aperte nullam esse; cum alias etiam Angeli, quin & Deus, corporales esse deberent. vide plura p. 2. Phys. pars. à n. 275.

471. Dices 4. Ab experientia non potest probari, quod detur sensatio externa : ergo non debet admitti. prob. ant. non experimur e. g. ubi fiat visio, an in retina, an in nervo optico, an alibi : pariter non experimur, ubi fiat gustatio, ubi auditio, aut alia sensatio : ergo. Resp. Adversarii æquè parùm experiuntur, ubi fiat initium tensionis nervorum, aut fibrillarum : quin æquè parùm experiuntur, sensationes fieri in glandula pineali, vel alia parte cerebri, in forma neg. ant. ad prob. om. ant. neg. conseq.

Sensatio externa sufficienter probatur à tactu, qui satis discernitur, ubi fiat : certè mirabilis videretur ille, qui vulneratus in digito diceret, se non in digito, sed in glandula pineali experiri dolorem : & qui, percussus sonante colapho in facie, diceret, se fuisse iustum in cerebro. Si autem sensatio tactus est in organo externo, utique etiam sensatio aliorum sensuum erit in organis externis : &, licet in aliis sensibus non ita clare discernatur, in quanam præcisè parte organi sensatio fiat, tamen satis discernitur, non fieri extra totum organum. Sanè exoticus esset, qui diceret, se dubitare, an oculo videret, vel naribus olfaret, vel aure audiret.

472. Ob. 4. Corpus, quantumcunque subtile, tantum potest moveri, & figurari, non verò cognoscere, gaudere, tristari &c. sed brutum est tantum corpus : ergo non

poteſt cognoscere &c. ergo nec vivit. Resp. dist. ma. corpus non potest cognoscere, si non fit informatum ab anima. conc. ma. si sit informatum ab anima. neg. ma. & dist. proportionaliter. mi. neg. utramque conseq. Non quidem omne corpus, attamen quod est informatum ab anima vivente, potest cognoscere; sicut etiam corpus humanum deſtitutum animâ non sentit: at ſentit eā informatum.

Cognoscit autem corpus informatum ab anima: vel, quia inadæquate concurrit ad cognitiones materiales, ut non pauci defendant: vel, ut alii volunt, quia ad actus vitales, seu cognitiones materiales, ab anima ſola efficienter productas, corpus concurrit tanquam cauſa materialis: qui actus, seu cognitiones dein attribuuntur toti compoſito, ita, ut hoc totum dicatur cognoscere, appetere &c. ſicut totus homo dicitur intelligere, licet ſola anima intellec̄tiones efficiat, imò corpus neque tanquam cauſa materialis ad eas concurrat.

473. Dices 1. Quod est corporeum, etiam est extensum: ſed cognitione non est extensa: ergo neque est corporea: ergo non convenit brutis. prob. mi. cognitione, & extenſio, differunt in ſua idea, ſive in ſuo conceptu: ergo cognitione non est extensa. Idem argumentum fit de corpore, & anima, quæ eodem modo differunt in idea, & conceptu, ex quo infertur, bruta, utpote corpora,

pora , non posse habere animam. Resp. 1. neg. ma. quodlibet enim punctum indivisibile materiae est necessariò corporeum , & tamen non est extensem : item in SS. Evcharistia corpus Christi non est formaliter, sive localiter extensem, ex dictis *n. 299.* Nec dicant, ablata extensione, seu tria dimensione, auferri etiam corpus ; nam, licet hoc omitti, aut concedi possit de corpore mathematico, vel sensibili, falsum tamen est de corpore physico essentialiter sumpto , cuius essentia stat in hoc, quod sit substantia completa quantitativa.

474. Resp. 2. neg. etiam mi. & utramque conseq. nam sensatio , si recipiatur in organo extenso, etiam ipsa potest esse extensa ; neque enim est difficultas in admittenda extensione accidentis materialis. ad prob. mi. dist. ant. cognitio, & extensio differunt, ita, ut unus conceptus excludat alterum. neg. ant. ut neuter alterum necessariò includat, sed ab eo præscindat. conc. ant. & neg. conseq. Sic etiam differunt esse

pium, & esse doctum ; quia se mutuò non includunt : sed neque excludunt ; quia possunt in eodem subiecto convenire. Unde cognoscere non est quidem de essentia corporis, neque ejus proprietas : sed est ejus accidens physicum.

Idem responderetur ad alterum argumentum de anima , & corpore ; quamvis hic falsum sit suppositum ; cum anima brutorum non debeat esse corpus, sed tantum corporalis, seu pars corporis viventis, nempe bruti. De argomento claritate idearum deducto vide dicta *n. 293.* Insuper nota , Cartesianos velle, quod omne ens corporeum sit corpus , & ens materiale sit materia. Sed hoc non esse verum, probatur ex motu locali, & multis aliis affectionibus corporis, & materiae, que etiam juxta Cartesianos materiales sunt, ac corporales, & tamen non sunt corpora, sed tantum entitates aliquæ, habentes naturalem connexionem cum corpore, seu materia : & talis entitas etiam est cognitio materialis, seu sensatio.

## ARTICULUS IV.

### *Solvuntur Relique Objectiones.*

475. **O**b. 5. Omnis cognitio est spiritualis, & intellectuialis : ergo nulla datur in brutis. prob. ant. omnis cognitio fit cum reflexione : ergo est intellectualis. Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg.

ant. Per cognitivam reflexam non potest intelligi cognitio tantum ita reflexa in objectum, ut sit respectiva objecti, quatenus est ejus imago intentionalis, per quam potentia cognoscitiva applicatur objecto , & qua-

qualitercunque exercitè (non tam  
enī ut verè compos sui) advertit,  
illud adesse; sic enim etiam cogni-  
tio materialis esset reflexa, & posset  
admitti, bruta reflexè cognoscere:  
at hoc esset prorsus impropriè lo-  
qui, & terminis abuti.

Unde per hoc, quod omnis cogni-  
tio fiat cum reflexione, vel intelli-  
gitur, quod omnis cognitio sit for-  
maliter in seipsum reflexa, aut sal-  
tem conjuncta cum alia cognitio-  
ne, quæ se in ipsam reflectat: & sic  
plurimæ cognitiones, etiam spiri-  
tuales, seu intellectuales, non erunt  
reflexæ: vel intelligitur, quod omnis  
cognitio sit in seipsum virtualiter,  
aut quasi æquivalenter reflexa, hoc  
est, ut cognoscens omnino com-  
pos sui, & ut talis, exercitè, ac di-  
rectè advertat, quid agat, & quid  
cognoscat: & iterum multæ co-  
gnitiones, etiam intellectuales, non  
erunt reflexæ; quia sèpe quis  
cognoscit aliquid, etiam per intel-  
lectum, sed ita distractus ad alia,  
ut in ordine ad istud objectum non  
sit omnino sui compos &c.

476. Quamvis negari non debeat,  
quod plurimæ cognitiones intelle-  
ctuales hanc alteram reflexionem  
secum ferant: attamen id negatur  
de cognitionibus sensitivis, & ma-  
terialibus; nam brutorum cogni-  
tiones materiales, in ordine ad hoc,  
quod cognoscens sit compos sui,  
non sunt perfectiores sensationibus  
infantium, vel hominum adulto-  
rum somniantium, qui sui compo-

tes non sunt, & materiales tantum  
cognitiones habent, infantes qua-  
si semper, adulti dormientes,  
saltem ordinariè: quidquid sit, an  
adulti aliquando in raris casibus  
spirituales intellectiones in somniis  
eliciant. Obiter addo, Cardina-  
lem Ptolemæum *dissert. I. Theol.  
natural. (quæ est pars ejus Philo-  
sophiæ) *sec. 3.* eruditè exponere  
triplicem vitam, nempe intellectua-  
lem, sensitivam, & vegetativam in  
homino; hic enim juxta hunc au-  
storem, dum omnino sui compos  
est, vivit intellectualiter: dum dor-  
miens somniet, vivit sensitivè: dum  
sine somnio dormit, vivit vege-  
tativè.*

477. Dices i. Nullum potest as-  
signari discrimen inter cognitio-  
nem spiritualem, & materialem:  
ergo omnis cognitio est spiritualis.  
Resp. neg. ant. nam differen-  
tiale est, quod cognitio mate-  
rialis exigat aliquod principium,  
aut actuum, aut saltem passivum,  
quod habeat pro semper connexio-  
nem naturalem cum quantitate: at  
verò cognitio spiritualis non exi-  
git tale principium, sed potius exi-  
git, tam principium passivum, quam  
etiam principium actuum, purè  
spirituale.

Quamvis autem omittatur, posse  
dari cognitionem spiritualem, e.g.  
puram apprehensionem, quæ ha-  
beat pro objecto tantum aliquod  
accidens materiale in individuo, il-  
ludque intuitivè, ac directè tan-  
tum

tum cognoscat, adeoque ratione objecti, aut modi tendendi purè apprehensivi, vix differat à cognitione materiali, tamen aliae cognitiones spirituales quam plurimum differunt à materialibus, tam ratione objecti, quam ratione modi tendendi.

478. Et quidem differunt ratione objecti ideo; quia cognitiones materiales tantum cognoscunt accidentia materialia in individuo, quæ scilicet sunt immediatè sensibilia: at verò cognitiones spirituales cognoscunt materialia, & spiritualia, substantias, & accidentias, universalia, & particularia, genera, species, & individua, ac omne cognoscibile.

Ratione modi tendendi autem differunt istæ cognitiones ideo; quia cognitiones materiales tantum habent modum tendendi apprehensivum, directum, & intuitivum: econtra cognitiones spirituales habent modum tendendi directum, & reflexum, intuitivum, & abstractivum, apprehensivum, & judicativum, ac dilucidivum, affirmativum, & negativum.

479. Unde principium spirituale, seu intellectus, nimirum quantum differt à principio materiali, seu sensu: & hinc, cum omnis cognitionis spiritualis necessariò debeat procedere ab intellectu, iterum propter hanc ipsam connexionem, & dependentiam, multum differt à cognitione materiali. Ex quibus

*Tom. II.*

infertur ulterius, quod, si etiam esset possibilis, aut daretur anima rationalis, quæ sola materialia posset cognoscere, tamen non esset brutum; quia materialia cognosceret spiritualiter: & quidem cognosceret etiam substantias: quod si etiam poneretur, cognoscere sola accidentia, adeoque non differeret ratione objecti, differret sufficienter ratione modi tendendi, universalis &c. item ratione ipsius principii, seu intellectus.

480. Dices 2. Etiam cognitionis, quæ in homine dicitur esse sensatio, est spiritualis: ergo omnis cognitionis est spiritualis. prob. ant. cæcus, dum ex baculo immerso sentit, in via ante se esse lutum, & non terram solidam, reipsa id spiritualiter, seu intellectualiter cognoscit; alias deberet in baculo dari sensatio: ergo cognitionis cæci, quæ dicitur esse sensatio, reipsa est cognitionis spiritualis. Confir. Ens materiale non potest cognoscere spiritueliter: ergo ens spirituale, quale est anima rationalis, non potest cognoscere materialiter.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. suppositum antecedentis; cæcus enim non sentit, viam esse lutosam: sed sentit, aliamp per baculum fieri impressionem in manu, quando is immittitur luto, quam, quando figuratur in terra solida; unde impressio illa sentitur, estque ea sensatio tantum materialis: ex hac autem sensatione infertur à cæco, lutum esse

C e

esse in via : quæ illatio est utique cognitio spiritualis, sed & sensatio-  
ne prorsus distinguitur.

481. Ad confit. neg. conseq. se-  
pe enim aliquid perfectius potest producere effectum imperfectio-  
rem : non autem aliquid imperfe-  
ctius potest producere effectum perfectiorem. Ex occasione addo, Cartesianos quosdam dicere, ex co-  
gnitione, seu vitali perceptione, inferri immortalitatem animæ rationalis : adeoque in brutis non posse dari veram vitalem perceptio-  
nem ; cum in ipsis non detur im-  
mortalitas. Sed isti auctores Philo-  
sophos sapientiores hoc suo asser-  
to, vel ad admirationem, vel ad compassionem movent ; eoquod veritatem tanti momenti, quanta est immortalitas animæ humanæ, fundari velint in rationibus nullius momenti.

482. Ob. 6. Si in brutis admittitur cognitio verè talis, debet etiam admitti ratiocinatio : hæc non admittitur : ergo. prob. ma. habentur in brutis etiam indicia rationis, ex illis ipsis actionibus, quas attulimus n. 419. & seq. quibus accedunt aliæ plures, ab histo-  
ricis recensitæ de elephantis, leóni-  
bus, simiis, castoribus Canadensi-  
bus &c. ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. habentur indicia incomparabiliter leviora rationis, quam simplicis cognitionis, & quædem tantum indicia, quæ per rationes in oppositum penitus ener-

vantur. conc. ant. habentur indica-  
cia rationis sufficientia. neg. ant.  
& conseq. Indicia rationis, vel di-  
scursus in brutis verè talis, esse tan-  
tum tenuia, & insufficientia vel  
ex eo patet, quod totus mundus ea  
negligat, & in oppositum judicet,  
bruta esse irrationalia.

483. Insuper majora indicia rationis habentur in infantibus, & perpetuò amentibus (qui tamecum manifestè carent usu rationis) quam in brutis: certè infans, & multo magis adultus amens, callidiùs insidiatur avi, vel alteri animali, quam felis: item majore quasi arte construit domunculas, aut alias pro se latebras, quam ullæ formicæ, aut castores Canadenses : item peritiūs utitur circuitu, aut simili flexu, quando ipsi necessarius est, in sub motu progressivo, quam canis: af-  
fert aquam, & obit alia munia do-  
mestica, incomparabiliter melius, quam ulla simia: verbo: perpetuò amens omnia longè perfectius fa-  
cit, quam ullum brutum ; unde omnia, quæ à brutis fiunt, absque usu rationis, ope solius phantasie, & instinctus à natura impressi, fieri possunt.

Quin imò, neque ex eo, quod aliquando bruta aliquas actiones videantur elicere perfectiores, quam ipsi homines, etiam rationales, sequitur, dari in brutis ratio-  
ciniū; aliás, cum plantæ quoque aliqua opera perfectiora produ-  
cant, quam homines, etiam istæ debe-

deberent ratiocinari : sed tantum sequitur, bruta habere à natura impressum instinctum valde perfectum. Plura vide, si lubet p. 2. *Phys. partic.* à v. 816.

484. Dices. Hic ipse instinctus, cum sit valde prudens, supponit directionem rationis: ergo. Resp. neg. ant. Directio enim rationis propria dicta est directio moralis, per aliquam illustrationem, aut propositiōnem motivi, factam illi, qui dirigitur: at hujus directionis bruta non sunt capacia. Aliud est, quodd hic instinctus sit brutis impressus ab agente rationali, scilicet sapientissimo Deo, qui brutorum animabus indidit certas species, dictas congenitas, quae excitatæ causant in ipsis certas inclinationes ad sibi convenientia, vel aversiones à sibi noxiis, ita, ut positis certis circumstantiis, vel certis cognitionibus materialibus, ita, vel aliter agant.

485. Auctor Philosophiæ Burundiæ, & etiam aliqui alii, in brutis admittunt rudem, & imperfectum discursum circa res particulares, ac sensibiles: sed re ipsa est tantum umbra discursus. Alii quidam in Gallia (ut fertur) admittunt, in brutis animam spiritualem, sed insimilat fortis, utpote, quæ sola singularia, & directè tantum, nil autem reflexè possit cognoscere; clara enim experientia convicti non audent, brutis omnem cognitionem negare: ex altera parte opinantur, omne ens eogitans esse spi-

tum: adeoque concludunt, animas brutorum esse spiritus.

486. At ex hoc sequitur, etiam spirituales substancialis ex genere suo non esse immortales, vel animas brutorum æquè esse immortales, ac animas hominum: quæ sunt novitates prioribus sæculis, inter Catholicos saltem, inauditæ, & non ferendæ: ad has tamen deducit prærigo novandi in Philosophia; ex qua toties nova exotica systemata in scenam protruduntur, adeo, ut Benedictus Aletinus (qui re ipsa est P. Joannes Baptista de Benedictis) *Liber. Apol.* 5. referat, editum suis libellum, tacito nomine auctoris sub titulo: *Philosophia vulgaris refutata*: in quo dicatur, composita sensibilia constitui ex atomis spiritualibus, seu Angelis, qui in ponnam inobedientie suæ fuerint privati vita, & penetrabilitate, ut adeo servire potuerint loco atomorum materialium. Imò D. Berkley Anglus docuit, nec dari corpus, nec materiam, sed tantum dari spiritus: &, quando putatur, adesse aliquid corporate, tantum dari aliquam ideam, quam unus spiritus alteri impresserit, cui non respondeat à parte rei objectum corporale.

Alius Parisis mordicus longa in disputatione defendit, esse probabilissimum, non tantum, quod nullum detur corpus, & quod ipse sit tantum spiritus, sed quod ipse sit solus, & unicus creatus, & præter ipsum nihil sit creatum. videantur

tur *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* Tom. 2. an. 1713. Maj. n. 80. pag. 921. & 922. item Tom. 4. 1713. Decembr. 4. 181. pag. 2198. Hæc, & similia, non ineptemonstrant, quorundam modernam philosophandi rationem esse satis ridiculam.

487. Ob. 7. Sensus communis, ex quo primariò probatur vita brutorum, potest fallere: ergo ratio adducta n. 416. nihil probat. prob. ant. olim fuit sensus æquè communis, quod non dentur antipodes, quod tamen modò est certò falso sumit ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. seu paritatem. Sensus ille de non existentia antipodum nullo modo fuit ita communis, ac est sensus de vita brutorum. Certè ipsi antipodes, qui sunt magna pars orbis, id non senserunt: quod autem ipsi senserint, in nostris regionibus non dari homines sibi antipodes, dici potest, sed non probari. Sanè videtur, sensus ille non fuisse magis communis, quam ille de zona torrida non habitabili, qui etiam non fuit universalis; nam utique ejus zonæ jam tunc habitatores id non senserunt, quin imò etiam alii, ut Eratosthenes, Ptolemæus, ac alii, etiam *Theologi* apud S. Thomam 1. p. q. 102. a. 2. ad 4. videantur Conimbricenses in l. 2. de Celo. c. 14. q. 1. a. 3.

488. Unde hic sensus de non existentia antipodum forte tantum fuit in Romano imperio, olim lon-

gè ampliori: & quidem fuit ferè tantum sensus communis hominum, ut plurimum Mathesis non sive peritorum, ut jam docuit Plinius l. 2. Hist. natural. c. 65. ubi scribit, quod hac de re sit *ingens hic pugna literarum, conseraque vulgi: ist est, literatorum, & vulgi illiterati, illis scilicet contendentibus, dari antipodes, hoc negante; eo quod non possent antipodes terræ insister: quam frivolam rationem ibidem Plinius refellit; nam, quod idem senserat, & quidem communiter, ac firmiter, etiam docti tunc temporis Mathematici, non est sat sibile; cum enim isti ex notitia sphæræ terrestris sciverint, dari antæcos, perizcos, & similes oppositarum regionum habitatores, in quibus ratione situs, aë stationis corporalis, ferè eadem est difficultas, quæ in antipodibus, non facilè est credibile, eos absolute negasse antipodes.* At sensus communis de vita brutorum est universalissimus; quamcumque enim in regionem, aut insulam terræ devenias, ubique videbis, homines brutis blandiri, minari, compati &c.

489. Cardinalis Ptolemæus disser. 8. Phys. General. Conclus. 2. dat aliud discrimen, & ait, sensum communem de antipodibus spectasse ad questionem facti, non cognoscibilis per modum causæ ex effectibus naturalibus: econtra sensum communem de vita brutorum specta-

spectare ad quæstionem juris naturalis, cognosciblēs per lungen intellectus, discurrentis ab effectibus naturalibus ad causas: quam responsione, ab alio etiam docto recentiore adhibitam, neutiquam rejicio. Potest etiam, & non immerito peti, ut adversarii afferant rationes, tam conviacentes ad probandum, bruta esse meras inanimæ machinas, quam convicentes afferuntur defacte pro existentia antipodum.

490. Ob. 8. Ex operationibus brutorum non infertur, ipsa vivere: ergo probatio adducta n. 419. non est solida. prob. ant. Deus potuit machinæ etiam inanimatæ identificare potentiam, eas operationes producendi: ergo. Resp. 1. retoq. arg. Deus eodem modo potest identificare machinæ inanimatæ potentiam, apparetter producendi operationes humanas; quamvis enim ista machina deberet esse perfectior, quam illa, tamen non excederet omnipotentiam Dei infinitum: an propterea homines sunt meræ machinæ? certè, si modus hic arguendi aliquid valet, ratione naturali probari non poterit, homines non esse puras machinas; nam, sicut homines, ita & bruta, suæ actiones cum ordinata, connexione inter se faciunt: e. g. apes ordinatissimè agunt in struendo suo favo, & conficiendo melle.

Quamvis autem bruta non loquantur, tamen dant signa significativa suorum affectuum; gra-

dii, tristitia, &c. non mindūs, quam homines, præsertim muti: expressio autem affectuum per voces non superat potentiam machinæ, præsertim juxta Cartesianos; cùm tantum sit aliquis motus, similis motui organi musici, quamvis perfectior. videri meretur auctor Itineris per mundum Cartesii in novis difficultatibus. propos. 5. ubi hoc argumentum insigniter tractat.

491. Resp. 2. neg. ant. ad prob. in primis om. ant. neg. conseq. Deus multa potest facere, quæ numquam facit: & ex nostris rationibus infertur, Deum non fecisse loco animalium brutorum meras inanimæ machinas: dein absolute aeg. ant. Etsi Deus possit facere machinam inanimem, quæ apparetter exterius faciat motus bruti, sicut potest facere aliam machinam inanimen, sed adhuc perfectiorem, quæ apparetter exterius faciat motus hominis: non tamen potest facere machinam inanimem, quæ producat operationes vitales: sicut non potest facere, ut cæcus videat; nam, sicut visio essentialiter pendet à potentia visiva, ita operationes vitales essentialiter pendent à principio vitali, scilicet à forma substantiali vivente, seu anima, quæ, licet sit substantia incompleta (sicut etiam est anima rationalis) tamen ob prædicata viventis, sensitivi &c. est longè nobilior substanciali inanimatis, quamvis completis.

Quod autem operationes brutorum

rum sint vitales, probatur imprimitur ex sensationibus eorum internis, phantasia, somniis, memoria, cognitionibus &c. quas in brutis dari probatum est à n. 419. item ex eo, quod eorum actiones sensitivæ sunt prorsus similes actionibus sensitivis hominum, immo quandoque istis perfectiores, & proveniant ab organis similibus: rursus, quod de actionibus illis brutorum sit eadem experientia, & idem sensus communis mortalium omnium, qui est de actionibus hominum: qui sensus etiam judicat, Deum non velle nos ludere, exhibendo inanimes icunculas, ut eas judicemus esse vera animalia, de qua re vide n. 431.

492. Dices 1. Bruta, si vivunt, sapissimè durissima, & sensus maximè afflentia debent pati, sine ulla sua culpa, & sine spe ullius præmii: sed hoc non potest Deus piissimus, & justissimus permittere: ergo bruta non vivunt, sed sunt mera automata. Hoc argumentum D. Damanson multum urget in opusculo Gallico, cui titulus: *Beitia degredata*: at Burgundi 3. p. *Phys. tr. 1. diff. 1. c. 2.* ajunt, nihil habere roboris. Resp. neg. mi. Brutis utpote prorsus incapacibus non potuit Deus proponere sperandam gloriam cælestem, tanquam præmium meritorum: neque potuit ipsa alter, quam extrinsecè ordinare ad gloriam suam: ista autem ordinatio consistit ut plurimum in hoc, ut variis hominum usibus serviant, ac-

que etiam ipsis in alimentum cedant: quod fieri nequit, nisi bruta laborent, & patientur, atque etiam occidantur in hominum utilitatem.

Adde, quod labor brutis sive jucundus, & cum delectatione conjunctus: item, quod sive voluptate fruantur, quam etiam mereri non potuerunt: rursus, quod sive voluptatem percipiunt ex actionibus, quæ essent malæ, si à rationis capacibus fierent, v. g. quando canis sapidissimè devorat carnem furto sublatam, vel mordet innocentem, quibus in casibus tamen nullam poenam subire debent. Ultrem bruta non sunt capacia tristitia propriè dictæ, neque habent cognitionem suarum miseriarum plusquam sensualis (cum tamen vis maxima doloris oriatur ex cognitione rationali) consequenter etiam vim doloris præcipuam non experiuntur: sicut non censemur tantum dolorem ex internis caloribus percipere segrotus, qui febri calida ad infaniam redactus est, quam alius, qui rationis compes iisdem ardoribus exuritur. Tandem cum brevi brutorum vita omnia finiuntur.

Dices 2. Juxta Peripateticos accidentia sola possunt producere substantiam: ergo etiam automata inanimata, sive puræ machinæ, poterunt producere actiones brutorum. Reg. neg. ant. Sententia quidem illa tenetur à Thomistis, sed à Scotistis, & aliis Peripateticis jam à lon-

go tempore satis communiter deseritur, & nos quoque suo loco ab ea recedemus. Ejus patroni negant conseq. & ajunt, accidentia tantum esse causam substantiae instrumentalem: at juxta adversarios automata esse causam principalem actionum, quas in brutis videmus. Addi potest, actiones vitales non tantum ratione perfectionis, sed etiam ratione relationis essentialis ad principium vitale, non posse procedere ab inanimi automate.

493. Ob. 9. 'Anima sensitiva in homine est distincta ab anima rationali: ergo probatio n. 440. allata est nulla. prob. ant. appetitus sensitivus in homine distinguitur ab appetitu rationali. ergo prob. ant. S. Paulus ad Rom. 7. v. 23. ait: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnarem legi mentis mee: ubi commoniter per legem in membris intelligitur appetitus sensitivus: at vero per legem mentis appetitus rationalis: ergo.* Confir. Appetitus sensitivus est caro, juxta illud ad Galat. 5. v. 17. *Caro enim concupiscit adversus spiritum: sed caro distinguitur ab anima rationali: ergo appetitus sensitivus est distinctus ab anima rationali.*

494. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. appetitus sensitivus distinguitur a rationali secundum rectum. neg. ant. secundum obliquum. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. conseq. ut prius. Appetitus sensitivus; seu potentia sensibilitet

appetendi, dicit animam rationalem in recto: sed praeter hanc dicit in obliquo organum sensitivum, & secundum istud distinguitur ab anima rationali, sicut potentiae exteriorum, e. g. visiva, auditiva, etiam secundum obliquos, sive secundum organa, oculos, aures, &c. ab anima distinguuntur.

Scilicet, ut habet S. Thomas s. p. q. 80. a. 2 in corp. & alibi saepius, appetitus sensitivus ad suam operationem supponit aliquid apprehensionis per sensum (sicut juxta eundem Angelicum appetitus rationalis supponit aliquid apprehensionis per intellectum) adeoque tota completa potentia sensibiliter appetendi, seu appetitus sensitivus, supponit in ordine ad apprehensionem requisitum organum sensitivum: rursus, cum appetitus sensitivus sit actus materialis, exigit anima tanquam conprincipium etiam organum sensitivum; sicut, quia visio est actio materialis, ad eam etiam anima exigit oculum tanquam conprincipium.

495. Ad confir. dist. ma. appetitus sensitivus est caro in sensu tropico, intelligendo totum per partem. conc. ma. in sensu pure grammatical. neg. ma. & dist. mi. caro sumpta in sensu grammatical distinguitur ab anima rationali. conc. mi. caro sumpta in sensu tropico. subdist. distinguitur inadaequatè secundum obliquum. conc. mi. adaequatè, & etiam secundum rectum. neg.

neg. mi. & sub data distinctione conc. vel neg. conseq. Caro in Scripturis s<sup>e</sup>pe sumitur in sensu tropico, & s<sup>e</sup>pe per ipsam intelligitur totum, cuius ipsa grammaticaliter sumpta tantum est pars: sic *Gen. 6. v. 12.* dicitur: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: ubi per carnem intelligitur totus homo: & sic in loco objecto intelligitur, tam anima rationalis, quam organum carneum, quod cum ipsa constituit appetitum sensitivum.

496. Ob. 10. contra 2. conclus. Etiam juxta Peripateticos minimae partes animae materialis divisibilis, separatis posite, non possunt elicere actiones vitales: attamen possunt eas elicere simul conjuncte: ergo, etiamsi corpuscula minima seorsim posita non possint produce-re actiones brutorum, tamen possunt eas elicere conjuncte, & rite combinante. Confirm. Etiam juxta Peripateticos partes materiae prime seorsim vivunt in actu primo; nam possunt constituere animal: ergo etiam possunt corpuscula alia ita vivere.

Resp. neg. conseq. Minimae par-tiales animae non possunt quidem seorsim posita elicere actionem vita-lem, e. g. visionem; quia ad hanc requiritur certa organizatio, qua in minimis particulis seorsim positi non potest dari: attamen illae partes animae jam habent virtutem, & proportionem inadæquatam, ad eliciendas actiones vitales, simul-

que naturaliter exigunt conju-nctionem cum aliis partibus animae, cum quibus consti-uant virtutem adæquatam. At verò corpuscula adversariorum, nec habent ex se exigentiam ad conjunctionem cum aliis corpusculis in ordine ad con-stituendum brutum, nec etiam ha-bent ullam proportionem, aut vir-tutem inadæquatam, ad eliciendas actiones brutorum, de qua re vide dicta n. 434.

Ad confirm. dist. ant. partes ma-teriae primæ vivunt in actu primo, ut ita dicam, passivè. conc. ant. a-ctivè. neg. ant. & conseq. Peripa-tetici tantum admittunt, particulas materiae primæ habere potentiam passivam recipiendi animam, qua ipsas informando vivificet: at ad-versarii admittunt, corpuscula sua jam in actu primo vivere activè, ita, ut non sit necesse ipsis supervenire aliquem actum, seu formam, qua vivificantur, sed tantum combina-tionem, seu conjunctionem pluri-um; quare est lata disparitas.

497. Dices 1. Aspicienti ovum non videtur magis credibile, quod possit pipire, currere, volare, quam aspicienti cumulum corpusculo-rum, e. g. elementarium: & tam ex ovo naturaliter potest oriri avicula pipiens, currens, volans: ergo etiam ex corpusculis elemen-taribus rite combinatis potest oriri volucris, & sic de aliis brutis. Resp. neg. ant. omnes enim agnoscunt in ovo majorem proportionem ad pul-

pullum, quam in corpusculis elementaribus, vel aliis: & nemo credit, quod, sicut gallina incubante ovo excluditur pullus, ita etiam excludendus sit pullus, eadem incubante corpusculis elementaribus &c.

Ulterius naturali instinctu agnoscimus, naturam à rudioribus pergere ad perfectiora: attamen per media proportionata: quam proportionem tamen, in ordine e. g. ad volucrem, non capimus in cumulo corpusculorum inanimatorum: at capimus omnes: in semine, in quo facilè admittitur ab omnibus, vel vita, vel certè vis aliqua plastica proportionata, ad efformanda sibi aliqua organa, quibus dein adjutum animalculum suas operationes exerceat. Neque hoc afferas experimentum ex Scotia, in qua dicuntur, ex ramis arborum in aquas decidentibus nasci anates, aut aliae aves; nam debet etiam ibi adesse aliquod semen, unde unde adiectum, de qua re infra n. 1197.

498. Dices 2. Pharmaca commixta possunt multa, quæ non possunt seorsim accepta: ergo idem potest dici de corpusculis. Resp. neg. conseq. Corpuscula inanima ta seorsim, nec habent inadæquatam proportionem ad actus vitales: at pharmaca seorsim jam habent inadæquatam virtutem ad producendam sanitatem; unum enim e. g. calefacit, alterum purgat, tertium confortat, quartum moderatur nimiam vim aliorum: & sic singula

juvant: at quid faciat corpuscula ignis, vel aquæ, vel diversæ figuræ, e. g. ad visionem, vel affectum gaudii?

Dices 3. Saltem combinatio pharmacorum, quin etiam aliorum artefactorum durat, licet nulla forma superaddita partium conjunctio nem conservet: ergo etiam ita potest durare combinatio corpusculorum elementarium, vel aliorum, adeoque ratio, n. 435. adducta, est nulla. Resp. neg. conseq. Partialia pharmaca non habent inter se tal em contrarietatem, nec ita exigunt motum, ut corpuscula elementaria &c. unde est ingens disparitas: si tamen misceantur aliqua contraria, e. g. spiritus nitri, & vi trioli, combinatio eorum non est stabilis, sed vehementer agitantur, donec unus liquor, aut penitus expellatur, aut saltem penitus succumbat, ut contrarietatem amplius exterrere non possit: quod tamen in elementis non contingit; cum per gant semper inter se pugnare.

499. Ob. 11. Artifices humani per solam combinationem possunt, facere machinas summè mirabiles: sic fertur S. Albertus Maginus construxisse caput humanum loquena, Archytas ligneam columbam volantem, alias muscam volantem, Regiomontanus aquilam Carolo V. vel Maximiliano I. obviam volantem, Turrianus eidem Carolo exhibuisse integrum exercitum icuncularum mutuo pugnantium: ergo po-

potest artifex divinus etiam facere machinas tam mirabiles, ut possint producere omnes actiones brutorum. Resp. neg. conseq. & rationem negandi dedimus jam n. 490. Artefacta autem illa humana, utut mirabilia, tamen potuere fieri ope variorum elateriorum, rotarum, inclusi etiam venti, item ope magnetis; nec enim fuit exhibita ulla actio vitalis, sed tantum motus localis, aut sonus minime vitalis: quamvis illa aquila, uti & musca volans, quæ Norinbergæ dicuntur confectæ, probabilius sint fabulosa; nam, qui primus eas per artem factas literis consignavit, fuit Petrus Ramus, non sat felicis memoria Philosphorus Gallus, qui, cum Germanicum idioma non bene intelligeret, & audiret, muscam arte factam in mensa qualitercumque se movisse, atque aquilam se inclinasse, alasque expandisse, mox scripsit, eas volasse. vide *Memoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* tom. 3 an. 1710. livell n. 107. pag. 1293.

500. Ob. 12. Brutum debet esse mixtum: atqui non est mixtum, si non constet pluribus corpusculis, sive elementaribus, sive aliis: ergo. Confir. Si brutum constaret ex sola materia, & forma, tunc qualibet particula, e. g. leonis, esset leo essentialiter sumptus: ergo leo integraliter sumptus esset compositum ex pluribus leunculis essentialiter talibus: hoc est ridiculum: ergo. Reg. neg. mi. Mixtum in sensu Pe-

riapateticorum est illud, quod habet formam mixti, hoc est, talem, quæ exigat determinatum aliquod temperamentum primarum qualitatum: quod temperamentum non exigitur à forma elementari; nam hæc contenta est duabus tantum qualitatibus, vel saltē tribus. Ad confir. neg. conseq. Per leunculum intelligitur individuum, vel potius suppositum leonis adhuc parvi, distinctum ab aliis: atqui nondantur in eodem leone, etiam integraliter spectato, plura talia individua, aut supposita distincta.

501. Dices Brutum, imò omne vivens, dicit corpus organicum: atqui una particula minima non est corpus organicum: ergo neque est brutum, aut vivens: ergo debet admitti in bruto, aut alio vivente, tanquam pars essentialis combinatio corpusculorum. Resp. dist. ma. brutum, aut vivens, dicit corpus organicum in acto secundo, sive actu habens organa. neg. ma. dicit corpus organicum in actu primo, sive exigens organa, adeoque exigens conjungi sibi alias partes materiae, & formæ. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. utramque. vide dicta n. 496. Ceterum naturaliter non potest existere seorsim particula animali, informans minimum punctum materiae; quia eo ipso, quod non posset obtainere finem suum naturalem, nempe operationem, non potest existere; unde, si ab animali integro avellatur talis particula, ani-

*anima illam informans & atque per-*  
*rit.*

502. Ob. 13. contra 3. conclus.  
Non implicat flammula aliqua subtilissima, vel alia substantia ætherea (de qua n. 443.) quæ eliciat omnes actiones brutorum : ergo non debet in brutis admitti alia anima. prob. ant. si implicaret, tunc ideo ; quia à flamma, vel alia substantia, quæ seorsim sumpta esset inanimata, deberet procedere cognitio vitalis : sed nulla actio brutorum est cognitio : ergo. prob. mi. percipere, & sentire, quod solum datur in brutis, non est cognoscere, sed est tantum agere circa impressionem in organo factam : ergo. Resp. neg. ant. de quo vide plura n. 444. ad prob. neg. mi. ad hujus prob. neg. ant. Sanè percipere propriè dictum, & præsertim percipere vitaliter, est cognoscere : atqui bruta percipiunt vitaliter impressionem in organo factam, & non tantum quomodo cùnque circa eam agunt, ut agit saxum aliquod circa impressionem, in se factam ab altero saxe. Vel maximè autem perceptiones, seu sensationes internæ brutorum,

sine cognitione vitali explicari non possunt : quin etiam multæ aliæ actiones, de quibus videantur dicta à n. 419.

503. Dices. Ubi plus caloris, ibi perfectior est sensatio : ergo anima brutorum consistit in quadam flammula. Resp. neg. conseq. Ex antecedente tantum sequitur, calorem, spiritus animales, & similia, requiri, vel servire, tanquam dispositiones, & instrumenta, ad sensationes : non verò animam ipsam stare in calore, vel flamma : & hoc sanè expressè negat Aristoteles l. 2. de Partib. animal. c. 7. ubi ait : *Non nulli statuunt impressionem, animam esse ignem* : & cùm dixisset, calorem multum juvare animam ad suas operationes, addit : *Igitur animam esse ignem arbitrari, simile est, atque si ferram, aut asciam, fabrum, aut artem fabrilem esse ideo arbitreris; quia opus non nisi junctis his efficiatur* : ex quibus verbis etiam appareat, qua rei veritate se Aristoteli addicitionis ubique venditet P. Fabri, qui tamen modicus tenet, animam brutorum duntaxat esse aliquam flammulam.

## ARTICULUS V.

504. Dico 1. Plantæ vivunt. ita Peripatetici omnes cum pluribus aliis. Prob. 1. conclusio auctoritate gravissima, præsertim

doctorum ; in hac enim assertione convenient SS. Patres, atque Philosophi : & ex illis S. Gregorius M. id docet textu, *ex homil. 29. in E.*

vangel. adducto supra n. 413. dein ead. homil. 29. in Evangel. sic ait: *Sunt herbe, & arbusta: vivunt quidem, sed non sentiunt: quod iterum, ac tertio ibidem repetit.* S. Basilius homil. 5. in Hexam. multis eleganter explicat actiones vitales herbarum, & inter alia ait de myricis, eas quasi vitam anticipitem degere, ut & inter aquariles enumerantur, & copiosa sint in desertis. S. Augustinus l. 2. de morib. Manichor. c. 17. admittit, sicut de animalibus, ita de arboribus, eas necari: & post pauca ait: *De pecorum anima, & de quadam vita, qua dicuntur arbores vivere, non potest vobiscum subsiliter disputari:* & clarius l. 8. de Civit. c. 6. ait, non nisi à Deo esse omnem vitam, vel qua nutrit, & conservet, qualis est in arboribus: vel qua & hoc habet, & sentit, qualis est in pecoribus: vel qua & hac habet, & intelligit, qualis est in hominibus &c.

505. Ex Philosophis autem Aristoteles plurimis locis docet, plantas vivere: sic e. g. l. 2. de Anima sext. 3. ait: *Vitam autem dicimus, qua per ipsum (hoc est, vivens) fit, alitionem, augmentationem, & diminutionem:* qui sunt actus potentiarum vegetativarum: & text. 14. ait: *Unde & vegetabilia omnia videntur vivere: & l de Spir. c. 2 Vivunt autem plantæ quoque, & aluntur.* Idem Philosophus l. 1. de Plantis c. 1. sic ait: *Vita, & in animalibus, & in plantis esse deprehensa est: &*

*ibidem scribit, Platonem, Empedoclem, & Anaxagoram, plantis attribuisse appetitum elicitum, ex quo infertur, ipsis etiam concedendam esse vitam sensitivam; unde addit, Anaxagoram docuisse, plantas esse animalia: quia addit, Anaxagoram, Democritum, & Empedoclem affirmasse, plantis inesse mensem, & cognitionem: in quo quamvis erraverint, tamen ex eo constat, quam longè remoti fuerint à neganda plantis vita, & quam prona ad eam ipsis attribuendam.*

Unde Aristoteles quidem ait, hoc à se tanquam falsum repudiari; eo quod nullum signum sensus in plantis deprehendatur: attamen, quia in eis deprehenditur signum vegetationis, seu vitæ vegetativæ, docet Aristoteles, statuendum, in ipsis esse animam, seu vitam in actu primo; sic enim loquitur cit. c. 1 *Negare verò ita à nobis hoc (id est, plantas vivere) constitueretur, nisi alericem, aut rictumque facultatem,* parcer anima esse cognitum fore; proinde, cum talēm quandam hujus anima partem continere planta deprehendatur, necessariò fit, ut animam quoque habere eam statuamus.

506. Prob. 2. concl. ratione ab Aristotele hie indicata. In plantis datur actio vitalis: ergo vivunt. conseq. patet. ant. prob. nutritio, qua aliquid alitur, augetur, vel quoad deperdita reparatur, ita, ut hoc non tantum fiat per juxtapositionem (sicut e. g. augentur saxa per ligna quo-

quorem pettificum, vel metallorum per liquationem confusa, aut etiam aquæ, vel liquores commixti) sed per iactus sumptionem, qua aliquid per organa sibi intrinseca attrahit alimentum, illudque rite concoctum, vel digestum, certa proportione in omnem partem, pro varia corporis exigentia, dispensat, hæc, inquam, nutritio est actus vitalis: atqui in plantis datur talis nutritio: ergo datur actus vitalis.

507. Major prob. cum ex Aristotele citato *narr. præced. in fine.* ubi ait, cognitum esse, hoc est, omnibus clarum, quod facultas taliter altrix, & nutrix, sit pars animalium: tum ex eo, quod non aliunde probetur vitalitas nutritionis, in hominibus, & brutis, quam tamen omnes, exceptis paucis Cartesianis, universali orbis reliqui judicio se opponentibus, vitalem esse admittant. mi. patet ad oculum; omnes enim plantæ, sive sint herbæ, sive arbores, attrahunt per interiora sibi organa succum alimentitium, cùmque pro varietate suarum partium variè dispensant, & non tantum ad excimam superficiem sibi aliquid apponunt.

508. Sanè nutritio hæc plantarum est aquæ mirabilis, ac nutritio hominum, & brutorum; nam & plantæ habent organa sibi convenientissima, habent radices, caudices, seu trunco, canaliculos, ramos, corticem &c. qua omnibus patent: habent insuper, ut Malpi-

ghius adhibitis microscopiis accuratè observavit, fibras, non tantum rectæ sursum protensas, sed etiam in latitudinem circulariter tendentes, ut cum rectis quasi rete conficiant: habent etiam suas glandulas, seu, ut Malpighius vocat, uriculos: habent fuos, ut idem auctor appellat, tracheas, seu lamellas squamatim dispositas, quæ distendi, & comprimi possunt. videatur *Cardinalis Ptolemæus differt.* 2. *Physic. parsie. de corp. animat. sec. 6. à n. 4.* Et habent plantæ hæc omnia ordinatissima, quæ ipsis non minus serviant, quam animalibus serviant os, venter, nervi, venæ, pedes, & alia membra.

Ceteræ plantæ per radices, tanquam per ora complura, sūgunt è terra succum, cùmque dein in caudice, sive trunko, & fibris, glandulis, tracheis &c. filtrant, percolant, aëre immisso ventilant, atque etiam immutant, ut animalia chylum mutant in sanguinem; quippe etiam succus arborum, & herbarum, mukum differt ab aqua elementari, quæ tamen est potissimum alimentum plantarum: sanè succus uvarum, item succus, aut aqua betulae, aqua cochlearia, roacea &c. plurimum different, & inter se, & ab aqua communis.

509. Ulterius plantæ, postquam succum sibi pro alimento proximo adaptarunt, mirabili proportione eum dispensant, scilicet partem unam in truncum, vel caudicem:

D d 3

aliam

aliam in ramos, aliad in folia, flores, fructus, seu nova semina: aliad in novas partes ad generandas: aliad in deperditas reparandas &c. Quin etiam juxta Malpighium, p. 3 *Anatom. plantar. mibi fol. 88.* Perault, & Mariote, apud eundem Ptolemaeum loc cit. n. 6. datur in plantis circulatio succi alimentitii, qualis in animalibus adstruitur circulatio sanguinis: item aliqua ejus succi pars instar excrementi, vel omnino ejicitur, vel certè in extremum crassiorem corticem extruditur.

Hæc, & plura de plantis, recentiùs valde eruditè ostendit D. Chico-  
gnæus, Confiliarius curie vecig-  
nium, & Cancellarius universitatis  
Medicorum &c. imò insuper ostendit,  
quòd plantæ habeant quasdam  
partes elasticas, quæ promoveant  
succos, & suppleant motum systo-  
les, & diastoles, qui datur in ani-  
malibus: item habeant partes alias  
aëre plenas, quæ suppleant pulmo-  
nes, & respirationem, atque distri-  
buant aërem, plantis summè neces-  
sarium. Addit, quòd semina plan-  
tarum se habeant ut ova animalium,  
& pari modo in seminibus jam vi-  
deantur rudimenta organorum  
plantæ, fibrarum, glandularum &c.  
*Vide Memoires pour l'histoire des  
sciences à Trevoux tom. I. an. 1707.  
Mars. n. 35. pag. 514.*

510. Adde, quòd in plantis suc-  
cus nutritius non ità dispensetur, ut  
nuac una tantum, nunc altera tan-  
tum pars nutriatur, sicut e. g. saxo-

ex una tantum parte aliquid appo-  
nitur: sed simul nutriuntur omnes  
plantarum partes; nam, dum cau-  
dex crescit sursum, radices crescunt  
deorsum, etiam in magnam profun-  
ditatem, & latitudinem, per inte-  
grum quandoque jugerum in ma-  
gnis arboribus: simul etiam rami in  
omnes partes extenduntur: ex qua  
nutritione, in omnem partem si-  
mul facta, Aristoteles l. 2. de Ani-  
ma text. 14. infert vitale princi-  
pium; sic enim scribit de plantis:  
*Videntur enim in semetipſis habere  
potensiam, & principium hujus-  
modi (id est, vitale) per quod aug-  
mentum, & decrementum susci-  
piunt secundūm contraria loca; non  
enim sursum quidem augmentur,  
deorsum autem non: sed similiter in  
usque, & omnem in partem alun-  
tur: quin etiam partes deperditæ  
reparantur, e. g. loco ramorum ab-  
scissorum, nascuntur alii in arbori-  
bus.*

511. Sed & structura ipsius plan-  
tarum, à semine elaborata, est summè  
mirabilis, ut nemo negabit, qui  
eam paulò accuratiùs contempla-  
tus fuerit: nec minùs mirabilis est  
modus, quo elaboratur. Si semen  
immittatur terræ, ita, ut punctum  
germinans deorsum profundiora  
terræ respiciat, recta agit radices  
deorsum: sin verò semen ita terræ  
mandetur, ut punctum germinans  
sursum respiciat cælum, tunc, eum  
germinare cooperit, non recta sur-  
sum, sed per circuitum deorsum,  
suum

suum germen inflectit, ita, ut reliquum suum corpus circumundo in profundum infodiatur. Inde sensim extremum corticem, seu pellem exuit, & geminas suas fissiles partes, quasi alas explicat, atque in altum, remotâ terrâ, & quondamque amotis lapillis, extollit.

§ 12. Postquam harum partium, seu alarum, subtilior portio in primum alimentum puncto germinanti cessit, ipsæ album sensum colorum exiunt, ac viridem induunt, atque sic in prima folia novæ plantæ mutantur: è quorum medio dein germen novum in altum surgit, & caudicem, sive truncum inchoat: qui ulterius mira proportione pro varietate semenis crescit, ac organa sibi varia, scilicet fibras, ramos, radices &c. conficit: & tandem profert folia, flores, ac fructus: quorum copiam, varietatem, pulchritudinem, utilitatem, nemo sati mirabitur. In his fructibus latent etiam nova semina, quibus species propagantur: & in his seminibus praesertim mirificè emicat punctum germinans, in minima sua mole continens vitam, seu virtutem plasticam, aut potentiam, novam plantam efformandi. Omitto sexcenta alia in herbis, floribus, atque arboribus, naturæ quasi prodigia, quæ in hortorum, plantarumque descriptionibus, paucim occurunt, & ab hortulanis facilissime possunt resciri.

§ 13. Dico 2. Vita plantaram in

actu primo est distincta à combinatione corpusculorum, adeoque est forma substantialis vivens, seu anima vegetativa. ita saltem Peripatetici omnes cum Aristotele *l. 1. de Anima* *text. 95.* ubi sic loquitur: *Videtur autem, & quod in plantis principium, anima quedam esse; bac enim sola communicans, & animalia, & planta: hoc est: videtur etiam illud, quod est principium actionum in plantis, esse anima &c.*

Prob. hac conclusio eodem fere modo, quo conclusio de vita brutorum *l. n. 432.* nempe sic. Actiones vitales, & tam nobiles, quales experientia monstrat in plantis, & quas adduximus *n. 507. & seq.* multum superant perfectionem virtutis agendi corpusculorum penitus inanimatorum, quomodounque combinatorum: ergo non possunt ab ipsis procedere, sed exigunt principium longè nobilius, nempe formam substancialē viventem, seu animam. conseq. est certa. ant. autem patet ex communi omnium persuasione, qua judicant, quod ab inanimato non possint procedere actiones vitales, & praesertim actiones summè mirabiles, productivæ e. g. arboris, cum omnibus suis partibus, radicibus, foliis, fructibus, & praesertim seminibus, propagationi speciei destinatis &c. Nec dicas, et si corpuscula seorsim sumpta non vivant, posse tamen simul sumpta vivere, & actiones vitales produce-

ducere; hæc enim responsio jam in simili preoccupata est à n. 496.

§ 14. Confir. 1. Si nutritio, & alia actiones vegetativæ in plantis, non superant virtutem agendi corporisculorum inanimatorum, tunc neque nutritio, aut alia actiones vegetativæ in hominibus, & brutorum, superabunt eandem virtutem: sed hoc admitti non potest: ergo. in. prob. in primis ex dictis n. 507. & s. g. tum ex eo; quod nutritio, præsertim in quibusdam plantis, aut floribus magis mirabilibus, sit quoad perfectionem similis nutritioni hominum, aut brutorum, neque videatur fermè differre, nisi ratione materiæ; quod enim in animalibus crescant caro, & ossa per sanguinem, in plantis autem radices, truncus &c. per succum alimentarium, est differentia purè materialis; nam intus sumptio alimenti, & ejusdem digestio, distributio &c. in quibus formaliter nutritio vitalis consistit, sunt similes.

§ 15. Quin multis videbitur pulchrior nutritio, & elaboratio roseæ, aut liliæ, quam nutritio, & elaboratio lumbrici, vel præcisè carnis humanæ, aut ossis. Et sanè propter similitudinem vegetationis plantarum, & hominum, inducti sunt novi Philosophi, præsertim Cartesiani, ad negandam etiam vitalém aerationem, aut vegetationem hominibus.

Prob. jam etiam minor superiùs posita. Hac ratione potentia ve-

getativa, etiam in homine, consistet in certa dispositione machine corporis humani, quæ dispositio destrueretur per mortem: atqui hoc dici non potest: ergo. prob. mi. sic potentia vegetativa, quæ constituit hominem, tanquam pars ut quod, adeoque etiam est assumpta à Christo, fuisset ab eodem in morte dimissa, contrass. Patres, & communem Theologorum: imò, si hæc vegetativa potentia consistat in certa organorum extensione, non posset adesse in SS. Eucharistia: sequelæ istæ non possunt admitti: ergo. videantur dicta in simili n. 441.

§ 16. Confirm. 2. Etsi forte per calorem, aperientem quomodo cunque poros plantarum, ac per elasticitatem, vel pressionem aëris in terram, & consequenter etiam in succos intra eam latentes, etsi, inquam, per hæc fors explicari posset aliqualis intrusio succi alimentii in caudicem, seu truncum plantæ, tamen in primis explicari non potest elevatio succi ad tantam altitudinem, ad quantam debet alimentum promoveri in altissimis cedris, & similibus arboribus; neque enim ultra triginta sex pedes gravitas, & elasticitas aëris, aquam, aut similes humores attollit: fingere autem, quod in medio istarum arborum dentur quasi receptacula, in quæ primò exoneretur succus, & à quibus dein incipiat nova pressio aëris, est fingere aliquid sine ulla ratione, aut experientia.

§ 17. Ve-

517. Verum dato etiam, quod per dictam aeris pressionem ad tantam altitudinem elevari queat alimentitius succus, non tamen potest, nisi accedente vitali principio, ita ordinatè in omnem partem dispensari: non potest, ita aptè digeri, filtrari, immutari, prout experientia monstrat, e. g. in uvis, betula, herba cochlearea. Sed neque per solum mechanismum potest ex tali succo formari lignum durum, medulla mollior, folia diversissimè figurata, fructus dulcissimi, & præsertim non potest produci novum semen, novam plantam in se formaliter, vel virtualiter continens. Sanè, nec fibræ, nec glandulæ, nec tracheæ, vitali principio ablato ulterius aliquid efficere possunt, ut patet in animalibus mortuis, & quoque in arboribus, ut communiter etiam vocantur, emortuis.

518. Ob. i. contra i. conel. Si plantæ vivunt, tunc etiam sentiunt: sed non sentiunt: ergo neque vivunt. prob. ma. si nutritio indicat vitam vegetativam, tunc motus localis indicat vitam sensitivam: sed in plantis datur motus localis: ergo. prob. mi. plantæ se contrahunt, ab aliis fugiunt: e. g. vitis fugit brassicam, ita, ut ab ea palmites suos avertat, & in oppositam regionem crescendo eos extendat: similiter cucumeres oderunt olivam, vel oleum &c. quin arbor dicta pudica, & plantæ quædam Brasiliæ, imminentem contactum hu-

manæ manus fugiunt, & sese, ac ramos suos contrahunt: insuper flores se aperiunt, atque post aliquod tempus iterum claudunt: tandem plantæ omnes motu peristaltico succi alimentitii gaudent ad suam nutritionem: ergo.

519. Resp. neg. ma. hæc enim opinatio quorundam antiquorum, de qua n. 505. & quam postea secutus est Thomas Campanella cum Cardano, ab omnibus modò deserta est, nec ulla ratione probari potest. ad prob. iterum neg. ma. non enim quilibet motus localis indicat vitam, præsertim sensitivam; alias ignis, & aqua fluvialis, atque alia quæ plurima viverent, & sentirent: sed debet esse motus, qui indicet appetitum elicitem alicujus, ad quod obtainendum res moveatur: neque etiam vitam indicat sensitivam quævis contractio, aut recessus, vel accessus; alias Mercurius ad aurum advolans, & spiritus vitrioli, ac tartari, se mutuò expellentes, sentirent: sed debet esse contractio, vel contorsio, indicans dolorem, qualis datur in vermis, vel ostreis, si acu pungantur; unde nec contractio florum vesperi ad solis occasum, vel eorum apertio manè ad ejus ortum, neque motus peristalticus in ordine ad nutritionem, est signum vitæ sensitivæ, sed tantum vegetativæ.

Ad prob. mi. neg. conseq. & dico, dari antipathiam, vel formaliter, vel æquivalenter talem, inter vi-

E e

tem, & brassicam, inter cucumeres, & oleum, atque in arbore pudica contra carnem humanam: siue dein ea antipathia consistat in qualitatibus contrariis: sive in effluvio corpusculorum, in alterum corpus impingentium, & poros impropportionatos subire non potentium, adeoque illud propellentium: sive in aliquo alio.

Simili aliqua ratione etiam discurrendum est de quasi accessu, aut complexu plantarum quarundam inter se, ut myrti, & oleæ, allii, & rosæ, vitis, & ulmi, palma maris, ac foeminae &c. nam dicendum, inter ista dari aliquam sympathiam, vel formaliter, vel æquivalenter talem: sive hæc consistat in qualitatibus: sive in effluvio corpusculorum, in alterius corporis poros sibi impropportionatos subeuntium, aut mutuo se alterantium, aliquo proportionaliter modo, quo n. 1056. inferius dicitur, ferrum trahi à magnete: sive in quoconque alio.

Evidem D. Vallemont censet, antipathiam plantarum stare in eo, quod utraque planta eodem alimento, seu succo nutritur, adeoque una alteri alimentum præripiat, qua de causa alterutra intereat: sympathiam vero stare in eo, quod plantæ diverso alimento gaudent, adeoque neutra alteri obfit. Sed, licet hac ratione possit aliquorum experimentorum ratio dari, non tamen potest omnium; nam propter diversum aliumentum non mu-

tūd se quasi complectentur vici, & ulmus, palma mas, & foemina: nec propter idem alimentum fugiet arbor pudica manum humanam &c. cum idem alimentum non habeant. De hac D. Vallemontii opinione vide *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* tom. 2. an. 1711. *Avril.* a. 62. pag. 706.

520. Ob. 2. Si plantæ viverent, non possent tam citò nasci, seu perfici; nam viventia animalia indigent multo tempore: sed plantæ nascuntur citissimè: ergo prob. mi. fungi crescunt una nocte: item quædam semina, vel etiam arborcs, rigatæ aquâ viciæ, vel simili spiritu, per artem attemperato, longè citius solito producunt herbas, & fructus: ergo. Resp. neg. ma. Etiam inter animalia, aliqua citius, alia tardius nascuntur: alia semel in anno, alia sibi, alia sepiissime pariunt; nam e. g. pediculi, & pulices, quasi quotidie videntur nasci, & nova semina emittere.

Unde non est mirum, quod idem quoque accidat inter plantas, ut scilicet, sicut inter animalia, erdnariè, quæ imperfectiora sunt, citius, & sibi pariunt; eo quod paucioribus dispositionibus indigeant, ita etiam plantæ imperfectiores, ut sunt fungi, ob eandem rationem citissimè enascantur. Potest etiam aliorum seminum, & arborum germinatio, aut fructificatio, per artem accelerari; quia possunt dispositiones successivæ supple-

ri per simultaneas: ordinariè tamen id sit cum pernicie arborum, aut herbarum, quibus per affusos similes spiritus sit non modica violentia.

521. Ob. 3. contra 2. conclus. Potest per artem fieri, ut enascatur arbor philosophica, cum suis ramis, foliis, ac fructibus intra vitrum: item potest per artem fieri, ut ex cineribus rosa rursus generetur nova rosa intra phialam vitream, admota ardente candela: ergo arbores, & flores, sunt tantum corpuscula combinata, sine forma superaddita. prob. conseq. ars nihil potest efficere præter combinationem corporisculorum: ergo. Resp. neg. conseq. ad prob. om. ant. (potest enim ars applicare activa passivis, & sic saltē mediatē facere aliquid ultra combinationem) neg. conseq.

Arbor illa philosophica non est magis arbor, quam alia, quæ ab aurifabro fingitur ex argento; nam constat potissimum Mercurio, & aliquo etiam argento. Quod autem Mercurius quasi à seipso in formam arboris se fingat, id equidem mirabile est: attamen non superat vim imperiū, aut motū localis, unde unde provenientis (de hoc enim est multa disputatio) interius autem in tali arbore, nec habentur organa, nec datur intus sumptus alimenti: sed omnia tantum fiunt exteriorū per juxtapositionem, quæ est disparitas nimis palpabilis, inter hanc fictitiam, & alias verè naturales arbores.

522. De rosa illa, intra phialam generata, jam dictum est supra n. 51. & 524. Alii dicunt, in cineribus illis latere adhuc semina rosa, eaque præsente candela vim suam tam citò exerere. Attamen difficillime capio, quod intra modicissimum tempus unius horæ, revera per intus sumptionem vitaliter, integrè & perfectè, rosa vera crescere possit, & mox iterum in meros pulvres desinere, rursusque admotâ tantum candelâ iterum intra horulam denuo ut prius revirescere. Adde, quod, qui hoc experimentum cibiciunt, dieant, durante illa hora tantum cerni varium motum corporisculorum, & eorum ad se invicem accessionem, hoc est, juxtapositionem; unde persisto in mea opinione, quod nempe rosa illa aliud non sit, quam inanimata rosa imago.

523. Dices. Saltem ex cineribus variarum arborum, aut aliarum plantarum, certa ratione terre immisis, nascuntur iterum similes arbores, & plantæ: sed in tali casu non producitur forma nova, sed tantum aliqua combinatio: ergo. Resp. om. ma. neg. mi. si enim producat nova arbor, novus flos, aut alia nova planta, debent in iis cineribus adhuc latuisse aliqua semina nondum corrupta, quæ sibi postea adgenerarent novam matrem, & in eam introducerent novam formam; nam, ut hic suppono, infra n. 527. probaturus, semina

mina vivunt. Addo tantum, mihi quidem semina, seu grana uvarum passarum, prout in mensa solent apponi, terræ immissa germinâsse: at verò eadem semina, ex dulciariis in fornace coctis extracta, non amplius germinâsse; unde non tam facilè est credibilè, quod semina, saltem quoad magnam sui partem combusta, adhuc crescant.

§ 24. Ob. 4. Sæpe in quibusdam cryptis reperiuntur, ossa, dentes, aleæ, & similia, ex terra ipsius combinatione efformata, sive ulla anima vegetativa: ergo etiam possunt in plantis ita efformari organa, radices, caudices &c. nec opus est animâ vegetativâ. Confir. Ut testantur quidam auctores, puero cuidam in Silesia natus est anno 1593. dens aureus: sed ad hunc non concurredit ulla anima vegetativa: ergo nec concurredit ad alios dentes, vel organa, præsertim plantarum. Resp. neg. conseq. Quæcunque talia adducuntur, si absque anima vegetativa sunt efformata, nulla est pars inter ipsa, & plantas, aut animalia, quoad efformationem, præsertim interiorem organorum. Et in primis illa ossa, dentes &c. non habent, nisi extrinsecam apparentiam ossium, aut dentium, qualem facile possunt acquirere quævis argillæ, seu cretæ, si in formam quandam artificiose exsculptam imprimantur; nam sic fiunt integræ statuæ ex cretatalis autem forma, utique non vivens, sed longè inferior

anima vivente, suppleri potest per aliud etiam non vivens, quod talem figuram imprimere possit, quamvis id difficulter assignari queat.

Cùm enim illa ossa, dentes &c. quoad materiam non differant ab aliis, in tali crypta jacentibus massis, dici non potest, ab ipsa materia exigi eas figuræ: & præsertim diei non potest, exigi figuræ tam variæ. Equidem de quibusdam cavernis videtur probabile, in ipsis humanorum cadaverum ossa, olim ibi sepulta, per humorem petrificum in petram friabilem, seu quasi gypsum, esse conversa: at universaliter hoc diei non potest; cùm inveniantur hujusmodi dentes, & ossa in ea magnitudine, ut nullus etiam gigas eam vasta membra habere potuerit.

§ 25. In quibusdam cryptis taliter figurata simulacra adscribuntur miraculo: & sanè, qui afferuntur ex terra Melitensi formati serpentes, aut horum linguæ &c. meritò à quibusdam adscribuntur intercessioni S. Pauli: à qua etiam terra illa, quæ *Gratia S. Pauli* vocatur, vim habet contra venena, itemque tota insula hoc privilegium, quod serpentes, & scorpiones, etiam alibi nati, & in Melitam translatis, nullo veneno noceant, uti tamen nocuerunt ante adventum Apostoli; alias non putassent Melitenses, S. Paulum ex morsu viperæ mox interitum, ut tamen eos putasse habetur *Aetor. 28. v. 6.*

Ali-

Aliquando etiam contingere potuit, ut similia prius in aliqua urbe, vel pago, aut quocunque loco, per artem facta, & simul congesta, postea per subitum terræ motum, vel etiam vehementissimum Typhonem, tellure unà cum urbe, vel pago, sint obruta (nam scimus, multos pagos, & urbes simili aliqua ratione periisse) nunc autem è terra eruantur. Et sic fortè optimè explicantur aleæ, prope Badenam effodi solitæ, nempe dicendo, officinas complures, ac domos, in quibus aleæ conficiebantur, esse simili aliquo modo obrutas.

Quando autem in pluribus locis, remotis à mari, & fluviis, atque etiam præaltis, effodiuntur varia conchylia, quin & pisces petrificati, censem multi, ea conchylia, ac pisces, tempore diluvii Noëtici, in illa universalis terræ, non tantum inundatione, sed quasi inversione, in ea loca devenisse, ac poste a globis cooperta, & succo quodam petrifico in petras fuisse conversa. videantur *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom. 1. ad an. 1713. Janvier. a. 3. pag. 54.* ubi etiam pag. 62. refertur, non ante multos annos in Anglia è terra, ad centum, & amplius pedes effossa, erutas esse immanes quercus, in-

tegras cum omnibus suis ramis, colore nigro, ac duritie insigni: & *som. 2. ad an. 1714. Avril. a. 50,* pag. 687. refertur, effossum è terra fuisse verum dentem elephantis enormiter magnum, & alterum multo minorem, in eadem Anglia.

Ad confir. neg. ma. Hanc relationem esse fabulosam pridem compertum est ab Academia Varsavienisi; unde ex ea nihil probatur. Similis dens aureus refertur natus fuisse infanti cuidam Vilnensi, qui quidem à Medicis, & aurificibus juratis, dictus fuerit esse aureus: at post aliquod tempus factus fuerit osseus instar aliorum dentium. Ex quo tamen ipso bene colligunt Trivultienses, dentem probabilius tantum fuisse exteriùs auro unde unde illitum, eo ferè modo, quo, ut memorant celebres scriptores, sæpe dentes animalium, quæ in montibus metalliferis pascuntur, metallico colore, auri, cupri &c. obducuntur: id quod præsertim in montibus provinciæ Nortamptoniensis in Anglia contingere dicitur, & evaporationibus metallicis adscribitur. vide *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom.*

*1. an. 1712. Janvier a. 5. pag.*

*63. item tom. 2. an. 1714.*

*Avril. a. 50. pag. 687.*



## ARTICULUS VI.

*An etiam in Mixtis Inanimatis detur Forma Substantialis, distincta à Combinatione Corpusculorum.*

§ 26. Ex mixtis inanimatis aliqua vocantur perfecta, alia imperfecta. Et quidem *Mixtum imperfectum* est illud, quod componitur ex partibus etiam dissimilibus, sive ulla physica unione, tantum localiter inter se confusis: talia mixta sunt potus ex vino aquâ diluto, cerevisia ex hordeo, aquâ, & lupulis cocta, pulvis pyrius ex carbonibus, sulphure, ac nitro compositus, lutum ex terra, & aqua affusa ortum. De talibus autem mixtis non procedit h̄ic quæstio; nam in his nec Peripatetici admitterunt aliam formam præter eas, quæ jam ante mixtionem dabantur in partibus, sive elementares, sive aliæ: & sic in luto tantum dantur formæ elementares aquæ, & terræ, in cerevisia autem formæ hordei, lupulorum, & aquæ.

§ 27. At *Mixtum perfectum*, juxta Peripateticos saltem antiquiores, est illud, quod habet peculiarem, seu specialem formam totius mixti. Verum hæc definitio à corpusculariis Philosophis non recipitur, quin imò nec ab omnibus Peripateticis; nec enim omnes admitterunt specialem formam mixti, in quolibet etiam perfecto mixto inanimato. Sed nec melior est illa, quam

corpuscularii afferunt, scilicet, quòd mixtum perfectum sit illud, in quo partes miscibiles ita alterantur, ut in sensu physico mutantur, & physice, hoc est, ut explicant, sensibili-  
ter, non maneant in mixto; nam cur dicunt isti auctores, aquam ita alterari in ligno, & non in pane? certè aqua in pane non magis sensibilis est, quam in ligno.

§ 28. Ego judico, quòd, cùm *Mixtio* in genere dicatur *miscibilium alteratorum unio*, possit dici, illud esse mixtum perfectum, in quo datur miscibilium alteratorum perfecta unio: quænam autem talia sint, fors melius desumitur à posteriori, & ab exemplis, quam à priori, seu ratione. Sic censentur communiter mixta perfecta aurum, & plura alia metalla: item adamantes, & plures aliæ gemmæ: rursus ossa, & ligna complura, etiam postquam vivere desierunt, ac similia. Et de his mixtis perfectis jam quæritur, an in iis detur forma absoluta substantialis, & specialis totius mixti: an vero tantum detur in ipsis complexum ex formis elementorum, aut mixtorum, ex quibus eomponuntur: si-  
cuit nempe in mixtis imperfectis datur tantum complexum ex formis partium, ex quibus constituuntur.

§ 29. Di-

529. Dico. Datur saltem in aliis mixtis perfectis inanimatis forma absoluta, substantialis, & specialis. ita synceri Peripatetici communissime. Prob. conclusio. Forma talis, nec est imperceptibilis, nec impossibilis, ut sufficienter colligitur ex dictis de animabus, seu formis brutorum, atque plantarum: adeoque jam ruit præcipuum argumentum adversiorum: quin immo ab analogia, seu paritate formæ in homine (de qua n. 413.) & formarum in aliis animalibus, ac plantis, probabilissime infertur, dari etiam in quibusdam saltem mixtis inanimatis similem formam: ergo.

Antecedens jam quoad 1. p. patet quoad 2. p. prob. ideo in brutis, & plantis, immo etiam in homine (quamvis in isto militent plures etiam aliæ rationes) admittuntur tales formæ; quia sine ipsis non habetur radix actionum nobilissimarum, itemque stabilis connexionis partium, seu essentialium, seu integralium, in brutis, & plantis, ac etiam in homine: sed sine similibus formis etiam non habetur radix nobilissimarum actionum, aut effectuum, in quibusdam mixtis inanimatis: item stabilis connexionis partium: ergo. prob. mi. in primis in magnete, quem paucis descriptis, una cum sua vi, & efficacia in ordine ad actiones, seu effectus, sane valde nobiles, atque mirabiles.

530. Itaque *Magnes* est lapis, non unius semper coloris: is tamen præ-

aliis est optimus, qui ferrugineum colorem præfert; econtra, qui album, deterimus. Figura ei à natura non est determinata, at ab arte quamlibet potest accipere: sepius autem ad ovalem reducitur; bac enim prædictus majorem vim habet. Trahit ad se ferrum, non autem aliud metallum: vel etiam aliquando ad ferrum immotum accedit: item ex se suspendit ferrum, non obstante hujus pondere, quandoque satis magno: quin immo ferro armatus, ut vocant, (quando scilicet duo ferri frusta, aut laminæ, ejus polis annexuntur) efficacior, seu fortior fit, saltem ad retinendum ferrum, si non ad attrahendum; nam istud quidam videntur in dubium trahere, forte tamen immerito. Hanc vim trahendi ferrum magnes exercet per interposita quævis alia corpora, sive liquida, sive dura, etiam vitra, ita, ut ferrum, vi treo recipienti inclusum, à magnete extrinsecus applicato suspensum tenetur.

Celebris quoque est confectio magnetis artificialis, à D. Joblot inventa, dum nempe 26 laminas chalybeas, magnete affrictas, secundum polos Boreales, sibi invicem superimposuit, easque ligamentis orichal. cinis connexuit: quæ laminæ ita junctæ pondus 27 librarum ferri suspensum tenuerant. vide *Memoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* tom. 4. an. 1701. Nov. 9. *Description d'un aimant &c.* pag. 282. Item videlicet

de tom. I. an. 1703. Fevrier. a. 29.  
pag. 326. ubi plura argumenta contra sistema Cartesianum circa magnetem proponuntur. Addendum, quod virtus magnetica, ferro per magnetis affrictum communicata, iterum eidem ferro detrahatur, si hoc rursus modo opposito affrictur: id est, si magnes affrictu primo per aliquam lineam in ferro ductus, dein altero affrictu per eandem lineam, vel aliquam ei parallelam, retrahatur.

531. Quod autem in magnete longè magis mirabile est, dantur in ipso duo poli, *Arcticus*, & *Antarcticus*, sive *Borealis*, & *Australis*: sed ita vocati contraria ratione, quam vocentur poli cælestes, vel terrestres; nam, qui ad polum terræ arcticum se convertit, *Antarcticus* dicitur, qui verò respicit polum terræ antarcticum, is in magnete *Arcticus* dicitur.

Hinc magnes, è filo in aëre libero suspensus, tamdiu se movet, ac vertit, donec in linea meridiana, vel quasi in ista (nam in plurimis locis aliquantum ab ea declinat) axem suum, & suos polos constituat, qui *Motus verticitatis*, hoc est, conversionis, appellatur: &, si ab hoc situ magnes dimoveatur, in eum quamprimum se restituit, cum aliqua tamen pro varietate regionum declinatione, in orientem, vel occasum: quæ declinatio cum tempore mutatur. Sic D. de la Hire, diligentissimus observator, deprehendit an. 1686. declinationem magnetis esse 4 graduum, & 30 minutorum versus occasum: postea verò an. 1699. invenit eam esse 8 graduum, & 10 minutorum. ita ex historia Academie Parisiensis referunt *Memoires pour l' histoire des sciences à Trevoux* tom. 4. an. 1703. Octobr. a. 162. pag. 1706.

Quin, ut iterum referunt *Memoires* &c. à *Trevoux* tom. 2. an. 1712. Avril. a. 54. pag. 700. P. Noel S. J. qui quater fecit iter Chinense, & exactas observationes instituit, deprehendit, declinationem magnetis eodem in loco singulis annis variare circiter 9 minuta prima cum 30 secundis. Et habet hæc variatio suos limites, quos non egreditur: sed, dum eos attigit versus occidentem, regreditur versus orientem, & vicissim. Et hic motus conversionis etiam acui, seu lingualæ magneticæ, communicatur, ut est omnibus notum.

532. In his polis ulterius observandum, quod semper perseverent, quantumvis magnes sæpius per lineam rectam ad suum axem perpendiculariter fecetur, ita, ut quasi in uno, eodemque puncto, saltem sensibili, detur ex una parte quidem polus arcticus, ex altera antarcticus. Is super in distinctis magnetibus poli cognomines sunt sibi contrarii, ita, ut unus arcticus alium arcticum repellat, vel ab eo fugiat: & pari ratione etiam linguala, seu acus magneticæ, ad unum polum

polum magnetis, e. g. Australem attacta, ab isto polo se avertit, & convertit ad Borealem : econtra, attacta ad polum Borealem, se convertit ad Australem. Notandum tamen est, quod experientia crebra monstraverit, in magnetibus hos polos aliquando inverti, ita, ut Australes fiant Boreales, & vicissim. vide *Memoires &c. à Trevoux tom. 1. an. 1703. Fevrier a. 29. pag. 332.*

Hanc experientiam Dominus Joblot sic explicare conatur. Supponit poros magnetis intus habere filamenta quædam, qualia habent pennæ anserum, vel aliarum volucrum, quasi retro obversa. Ab his filamentis corpuscula, alterius magnetis poros prioris subire co-nantia, impediuntur ab ingressu, ex ea parte, in quam filamenta obver-tuntur : & hinc unus magnes ordinariè alterum secundūm polos cognomines repellit. At verò, si unus magnes est debilis, & alter longè fortior, tunc hujus corpuscula prævalent, & vi sua alterius magnetis filamenta invertunt (sicut homo facilè invertit filamenta suæ pennæ scriptoriæ) ac postea facilè poros ex ea parte permeant : qua ratione poli mutantur, & qui priùs erat arcticus, fit antarcticus, quique priùs repellebatur, jam conjungitur. vide *Memoires &c. à Trevoux tom. 3. ad an. 1703. Août. a. 14. pag. 147.* An hæc explicatio hujus experientiaz admittenda sit, aliorum esto judicium.

*Tom. II.*

Insuper in lingua magnetica notanda est inclinatio, seu tenden-tia unius medietatis versùs tellu-rem, ita, ut non observetur æqui-librium : & quidem in nostro he-misphærio Boreali deprehenditur inclinatio versùs Boream, etiam si lingua, ratione attractus ad magne-tum, per motum verticitatis se con-vertat ad Austrum. Qui plura cu-pit rescire de magnete, adeat Kir-cherum *de Arte Magnetica*, Cardi-nalem Ptolemaicum *Phys. pars. de mixt. inanim. differt. 4. sec. 5. & seq.* videat etiam dicta infrà n. 763. & 8053. ac seq.

533. Jam sic argumentor. Hæ actiones, seu hi effectus magnetis, hæ attractiones, & retentiones ferri, hæ conversiones, & aversiones, seu quasi amicitiae, & inimicitiae, observatæ in quolibet puncto secti axis magnetici, hic itus, & redditus declinationis, hæc communicatio virtutis, per unum attractum facta, & per alterum iterum erecta &c. sanc sunt effectus summè mirabiles, adeò, ut iis capiendis, prout omnes fatentur, vix par sit humanum ingenium : ergo non est credibile, quod proveniant à sola combina-tione corpusculorum, in quibus juxta ipsorum patronos nihil datur, nisi forte calor, aut frigus, atque aliquis motus, duntaxat sursum, vel deorsum tendens, vel ad summum, ut vult Cartesius, per se tendens à centro ad peripheriam : adeòque admittenda est in magnete specialis aliqua

F f

aliqua forma substantialis, & absolute, quæ sit radix intrinseca tam mirabilium operationum, & proprietatum.

534. Prob. eadem minor suprà posita etiam in auro. Hoc communis orbis judicio præstantissimum metallum, in primis purissimum est, & hinc nullam æruginem, aut squalorem contrahit: dein ex omnibus etiam metallis, quin ex omnibus aliis corporibus, gravissimum est: tandem etiam est ex aliis metallis maximè indissolubile, ita, ut effatum commune sit, aurum se solo liquatum destrui non posse: certè Boyle in *Chymico Sceptico pars. 1. propos. 4. mihi fol. 20* testatur, aurum purum per duos integros menses fuisse, in fornacee vitraria eo loco, ubi materia, vitris conficiendis destinata, intensissimo igne fluit, nec tamen minimum quid de pondere suo perdidisse: adeò, ut Rogerius Baccon apud eundem Boyle *Chym. Scept. p. 3. mihi fol. 61.* dicere solitus sit: *Facilius est, aurum facere, quam destruere.*

Evidem defacto videtur reper ta ars à D. Homberg, convertendi aurum in fumum, ut non restet de eo, nisi modicum massæ vitrificatæ, quæ vix decimam partem ponderis, quod aurum priùs habuit, adæquet, ut refert *Histoire de l' Academie Royale des sciences tom. 1. an. 1707. §. Chymie. pag. 37. item Table pour les memoires pag. 51.* Attamen D. Hartsöcker adhuc negat,

aurum destruibile esse; nam scribit, se aurum, quantitate 4 ducatos adæquans, exposuisse foco speculi caustici Hellenaseliani (quod etiam confection est à D. Tschirnhau sen, estque ejusdem cum Parisiensi efficaciam) & quidem initio modicum fumum elevatum fuisse, sed vix 15 minutis secundis durasse: aurum verò per 5 horæ quadrantes in foco durasse, & tamen postea ejusdem ponderis, ac bonitatis, ut ante fusionem erat, inventum fuisse. Vide *Memoires pour l' histoire des scienc. à Trevoux tom. 1. an. 1712. Fevrier. a. 19. pag. 257.* Et si autem omittatur, plus fidei tribendum esse experimentis Domini Homberg, aurum tamen destrui nequit, nisi intensissimo igne, per specialia specula caustica, eaque efficacissima adhibita, quo igne opus non est, ad destruenda alia metalla, vel mixta.

Ex quo sic arguo. Si aurum non haberet formam substantialiæ specificam, non haberetur radix tantæ indissolubilitatis: ergo. Certè, si aurum constaret tantum ex corpusculis elementaribus, vel etiam Cartesianis, ista, cum sint invicem contraria, aut semper nitantur ad motum, ac separationem, neutiquam tam pertinaciter resisterent dissolutioni, sed potius eam promoverent: & ideò sentiendum de Epicuri atomis, quæ, cum sint tantum quoad figuram diversæ, & ad quamvis mixtionem, vel combina-

tionem si differentes, atque etiam ad motum pronae, non possunt esse radix tantæ indissolubilitatis, etiam contra intensissimos ignes diutissimæ adhibitos. Et adhuc multo minus aurum resisteret tanto igni, si tantum esset complexum ex principiis chymicis, ut videtur per separe.

§ 35. Confirm. 1. Ut probatum fuit n. 287. & 288. ex auro nunquam possunt extrahi principia chymica: & pariter non possunt extrahi principia Empedoclis, seu quatuor elementa: certè Boyle Chym. sept. part. primi dialog. sub finem mihi fol. 11. afferit, se non credere, quod vel unicum ex quatuor elementis ex auro extrahiposset: id quod etiam ibidem de argento, ac talco Veneto sentit: ergo juxta modum arguendi adversariorum ex iis aurum non constituitur. Aequè parùm credibile, aut probabile est, quod ex auro extrahi possint Cartesiana, aut Epicurea corpuscula. Confirm. 2. Aurum etiam, ut præstantes Medici tradunt, prædictum est virtute medica multum æstimata, quæ difficulter ad-

scribi potest solidis corpusculis talibus, à quibus aliud provenire non potest, etiam juxta adversarios, quæ fortè calefactio, & frigefactio, vel tandem aliquis motus; nam planè videtur viæ medica auri, juxta communem æstimationem, aliquid longè præstantius esse.

§ 36. Præter magnetem, & auro, sunt plura adhuc alia mixta inanimata perfecta, e. g. cadavera animalium, vel etiam herbarum, fructuum jam exiccatorum, e. g. fabæ S. Ignatii dictæ, aut lapides, aliave fossilia, e. g. petræ quadratae, in quibus reperiuntur variae virtutes mirabiles, sympathicæ, aut antipathicæ dictæ, salubres, aut noxiæ, etiam vix non ultra omnem credibilitatem venenatae &c. quæ difficulter alteri radici, quæ formæ speciali absolutæ, & substantiali, possunt adscribi: sed, si omnia examinare vellemus, nunquam finem facere possemus; unde neutiquam quidem negamus, dari adhuc alias peripateticas formas in inanimatis: attamen vitandæ nimis prolixitatis gratiâ plures in specie adstruere omittimus.

## ARTICULUS VII.

### Solvuntur Objectiones.

§ 37. Ob. 1. In rebus physicis, & maximè in corporibus, tantum afferenda sunt ea, quæ sensus percipit: sed sensus in mixtis,

maximè inanimatis, tantum percipit varias combinationes corpusculorum, & nullam formam substantialem peripateticam: ergo. Resp. neg.

neg. ma. aliâs etiam non erit affe-  
renda anima rationalis, quæ non  
cadit immediatè sub sensu: medi-  
atè autem, sive in suis effectibus,  
sub sensu cadunt quoque formæ  
aliæ, etiam inanimatae. Nempe  
Philosophus non debet sistere in  
perceptione sensitiva, sed ex hac ul-  
terius intellectu discurrere; nam  
Philosophia debet esse mentis, &  
sensuum.

538. Dices 1. Ex varia combinacione corpusculorum fiunt varia mixta, & valde diversa, e. g. ex Mercurio, & sulphure chymice commixtis, fit cinnabaris: ex au-  
ro, & Mercurio commixtis fit amal-  
gama, sive massa mollis instar butyri &c. ergo non est opus alia formæ. Resp. neg. conseq. Non dicimus, quod in omnibus mixtis, præsertim tam imperfectis, qualia sunt modò dicta, quæ statim reduci possunt ad priorem statum, nempe cinnabaris in Mercurium, & amal-  
gama in purum aurum, non, in-  
quam, dicimus, quod dari debeat forma, toti mixto communis: sed tantum dicimus, eam dari debere in quibusdam mixtis perfectis: & de magnete, ac auro, id sufficienter probavimus.

Id tantum hic addo, ex Cardina-  
le Ptolemæo. *dissert. 5. Physic. par-  
tical. de metallis sec. 3. n. 1.* ex au-  
ro, & Mercurio, fieri amalgama, seu massam ita mollem, non, quando aurum jam purgatum in massam sol-  
lidam coivit: sed, quando recens

ex mineris Peruanis extractum ad-  
huc minutissimis granulis constat;  
tunc enim ei miscetur sal, atque Mercurius, & sic assuâ etiam sepi-  
us aquâ, per plures lotiones, à frici-  
bus, & heterogeneis materiis pur-  
gatur, ita, ut tandem restet amal-  
gama, seu aurum Mercurio imbi-  
bitum.

Dices 2. Varia combinatio cor-  
pusculorum, vel etiam varia collec-  
tio qualitatum, aut modificatio-  
num, tribuit composito determi-  
natam speciem: ergo est forma  
compositi. Resp. neg. ant. Ita  
sunt tantum signa, ex quibus colli-  
gitur, adesse formam specificam.  
Obiter noto, neutiquam posse di-  
ci, collectionem qualitatum esse  
formam compositi; aliâ forma  
substantialis panis daretur in SS. Ev-  
charistia. Neque dici potest, eam  
collectionem tantum esse formam  
tunc, quando inhæret materiæ;  
nam, etiâ non inhæret, tamen es-  
set forma in actu primo; cùm ma-  
teria non sit pars illius collectionis.

539. Dices 3. Forma peripatetica non potest informare materi-  
am: ergo non datur alia forma,  
quam combinatio corpusculorum.  
prob. ant. ad informationem ne-  
cessaria est compenetratio: atqui  
forma non potest penetrare materi-  
am: ergo. prob. mi. forma non po-  
test penetrare aliam formam, quam-  
vis penetrabilem: ergo multò mi-  
nus potest penetrare materiam im-  
penetrabilem. Resp. neg. ant. ad  
prob.

prob. neg. mi. ad hujus prob. om. ant. neg. conseq. Forma una substantialis non potest penetrare aliam, non ex defectu penetrabilitatis, sed ex alio capite; si enim penetraret formam aliam, deberet, vel deserere suum subjectum, seu materiam, vel etiam ista compenetrari cum altera forma, & consequenter cum ejus subjecto, seu materia, ut considerant faciliè patet: neutrum autem potest naturaliter fieri. Rursum deberet forma, penetrans alteram formam, etiam penetrare ejus subjectum; cum forma materialis non possit extra subjectum subsistere: non autem potest forma substantialis naturaliter penetrare subjectum, cui non unitur: & uniri non potest saltem forma principalis subjecto, cui jam unita est altera forma principalis, ut infra n. 555. dicemus. At vero materia, nondum ab alia forma informatæ, uni potest quævis forma substantialis, adeoque ipsam penetrare: neque tali formæ materia impenetrabilis est.

540. Ob. 2. Forma substantialis materialis juxta nos non differret ab accidente: hoc est absurdum: ergo. prob. ant. & quæ dependet à subjecto, ac accidens: ergo. Confir. Forma substantialis respicit materiam, tanquam suum terminum: ergo est tantum ens respectivum, & modale. Resp. neg. ma. ad prob. om. ant. neg. conseq. Et si ratione dependentia non differentia forma

substantialis, & accidens, & illa & quæ parè possit naturaliter existere, vel subsistere extra subjectum, quam istud, tamen differunt ratione perfectionis, & virtutis intrinsecæ; cum forma substantialis habeat virtutem, vi cujus possit esse radix omnium operationum, & proprietatum in aliquo toto, naturaliter potente existere: qualem virtutem accidens non habet.

Ad confir. neg. 2. p. conseq. Aliud est, esse ens tantum qualitercumque respectivum: aliud est, esse ens ita respectivum alterius, ut huic essentialiter inhaerere debeat: & hoc secundum requiritur ad modum (quamvis non sufficiat, ut patet in actibus intellectus, & voluntatis, qui communiter censentur, non esse modi) in forma substantiali autem solùm datur illud primum, quod ad modum non sufficit; alias omnes creaturæ, essentialiter respiientes Deum, tanquam causam primam, essent modi: quod nemo admittit.

541. Diees. Forma peripatetica esset substantia; quia constituit substantiam: sed haec ratio nihil probat: ergo. prob. mi. non omne, quod constituit compositum, est compositum: ergo etiam non omne, quod constituit substantiam, est substantia. Resp. neg. mi. ad prob. neg. conseq. Non omni illi, quod constituit compositum, convenit definitio compositi: at omni illi, quod constituit substantiam, convenit

nit definitio substantiæ, de qua alibi. Huc etiam spectant dicta n. 89. Non autem propterea pars, & totum erunt idem; nam, licet forma, & compositum, convenient in ratione substantiæ ut sic, tamen non convenient in ratione substantiæ compleæ.

§42. Ob. 3. Actiones, seu operationes, aut effectus, qui comprehenduntur in mixtis inanimatis, possunt oriri ab accidentibus, vel accidentalí combinatione corpusculorum: ergo non debet admitti alia forma. Confirm. Qualitates primæ sunt radix secundarum, & in his consistunt virtutes mirabiles mixtorum in animatorum, tam medicæ, quam aliaz; ergo accidentia sunt sufficiens radix omnium operationum, & effectuum in mixtis saltem inanimatis. Resp. neg. ant. universaliter sumptum; nam non est credibile, quod à calore, & frigore, humiditate, & siccitate, sine alia radice proveniant omnes summè mirabiles effectus magnetis, & auri, vel etiam aliorum quorundam mixtorum: quid enim e. g. calor, & frigori commune cum mirabili magnetis, & lingualz, ad eum attractæ, conversione ad unum, & aversione ab altero polo?

§43. Ad confir. dist. i. p. ant. solæ qualitates primæ sunt tota radix secundarum. neg. i. p. ant. suntradic tantum partialis, & etiam forma est altera partialis radix. conc. i. p. ant. & om. 2. p. ac neg. conseq. Non possum mihi persuadere,

quod à sola diversitate temperamenti primarum qualitatum oriuntur omnes qualitates secundæ. Sanè videntur plura composita, quoad illud temperamentum, saltem in quantum sensu percipi potest, valde similia, in qualitatibus secundis esse valde diversa; unde puto, originem hujus diversitatis refunderet saltem partialiter in ipsam formam substantialem compositorum diversorum.

§44. Dies 1. In SS. Eucharistia radix omnium operationum sensibilium sunt sola accidentia, non tantum quoad conservationem, sed etiam quoad reparationem temperamenti deperditi: ergo accidentia possunt etiam esse radix operationum in aliis compositis. Resp. neg. ant. Si non adsit causa extrinseca, cui convenienter adscribantur tales operationes, quibus conservatur, aut reparatur in SS. Eucharistia temperamentum qualitatum, tunc Deus supernaturaliter supplet defectum, non quidem ad exigentiam naturalem ipsorum accidentium, sed ad tegendum supernaturale mysterium. At non est dicendum, idem fieri in aliis quoque compositis; nam in his reparatio temperamenti qualitatum, & etiam ejus conservatio, fit naturaliter ad aliquam exigentiam naturalem, qualis non datur, nisi in forma substanciali; neque enim materia indifferens ad accidentia, neque etiam ipsa accidentia, exigunt conservari, aut re-

parari sinit forma, in cuius bonum à natura sunt ordinata.

545. Dices 2. Lateres ex luto cocti, item virgæ ferreæ oblongæ, quictius perpendiculariter terræ insistentes, quin ipsa terra, attrahunt ferrum, aut linguulam magneticam : atqui in his propterea non admittitur nova forma specifica, sed ista virtus adscribitur tantum accidentibus istorum corporum, vel accidentalis corporiculorum combinationi : ergo neque in magnete debet admitti forma specifica absoluta. Resp. neg. 2. p. min. nam etiam in his non adscribitur hic effectus tantum combinationi accidentalis, sed quibusdam mixtis corpusculis, specificam formam habentibus. Variè autem variis explicant has experientias. Quidam dicunt, ipsam terram esse magnum quendam magnetem : alii fors probabilius existimant, in plurimis terræ regionibus sub terra esse magnetes (& certè ex terra variis locis eruitur magnes, alibi copiosior, alibi minus copiosus) à quibus emittantur effluvia, vel etiam aliquæ parvæ moleculæ magneticae, quæ acus ferreas, aut linguulam magneticam, ad se trahant, immo, dum iis adhærent, etiam virtutem aliud ferrum attrahendi communicent. Et tales particulas magneticas possunt etiam in se continere lateres, è terra cocti : vel etiam possunt continere aliquas particulas ferreas, lin-

guulam magneticam ad se trahentes.

546. Ob. 4. Forma substantialis juxtanos esset medium quid inter corpus, & spiritum : sed hoc est Chimæra : ergo. Confir. Omnis substantia spiritualis est spiritus : ergo etiam omnis substantia materialis est materia. Resp. neg. mi. quam adversarii non probant. Neque forma, neque materia, secundum sumpta, sunt corpus adæquatum, quamvis sint corpus inadæquatum, in quo nihil est chimæricum, ut dictum n. 89. Quod autem forma penetrabilis sit cum materia, non reddit eam spiritualem ; nam etiam accidentia materialia penetrantur cum eadem materia, quin propterea sint spiritualia : quid autem requiratur ad ens spirituale, dicetur alibi : interim dico, requiri saltem hoc, ut non sit ens quantitativum, seu, ut non habeat naturalem perpetuam connexionem cum quantitate, sive mediatam, sive immediatam : quod formæ materiali non competit.

547. Ad confir. neg. conseq. Rationem in simili dedimus suprà n. 541. Scilicet cuique substantiæ spirituali convenient definitio spiritus : non autem cuique substantiæ materiali convenient definitio materiae ; quia non qualibet est subjectum commune generationum &c. Quod autem forma non sit substantia completa, eadem est ratio, quam n. 89. dedimus de materia prima. Cate-

Cæterum usus loquendi de accidentibus non habet, ut vocentur completa, vel incompleta: quidquid sit, an forte in aliquo sensu ita vocari possent: at, ut sepe jam dictum est, in questionibus de nomine argumentum à pari ordinariè non est efficax.

548. Plura adhuc argumenta contra formas peripateticas corrasit Aloysius Temik, ita, ut numerum dierum in anno adæquent: & hinc sive lucubrationi titulum præfixit: *Annus frugifer argumentorum quodidic ex crescentium, ad formarum modalium veritatem, contra abs-*

*lusarum inanitatem, evidentissimè cognoscendam*: sed titulus hic utique magis est jactabundus, quam verus, & jactatæ evidentiæ neque sunt veræ probabilitates, atque ad eas ex hac tenus dictis poterit haberri multo probabilior responsio. Agitatis sat diu questionibus de forma physica, inter Philosophos corpuscularios, & peripateticos, controversis, restant duæ, de quibus, suppositâ existentiâ formæ Aristotelicæ, inter ipsos Peripateticos lis est, quas proinde modò breviter discutiemus.

Quare sit

## ARTICULUS VIII.

### *An Forma sit tota Quidditas Compositi Substantialis.*

549. Dico. Forma non est tota quidditas, vel essentia compositi substantialis. ita contra aliquos antiquos, & Averroëm, deceptum malâ intelligentiâ Aristotelis, communissima aliorum. Prob. conclus. Habitâ sola formâ sine materia non habetur e.g. totus homo, vel leo: ergo sola forma non est tota quidditas, aut essentia hominis, vel leonis: & eadem est ratio de aliis compositis. ant. & conseq. patent; nam e.g. post mortem hominis datur adhuc ejus forma, nempe anima rationalis, & tamen non datur homo: dein *Symbolum S. Athanasii* clarè ita habet: *Anima rationalis, & caro, unus est homo.*

Confir. De forma, & toto composite, seu, quod idem est, de ejus quidditate, verificantur prædicata opposita: ergo non sunt idem. prob. ant. de homine e.g. verificantur, quod sit corporeus, mortalis &c. de ejus anima verificantur, quod sit spiritualis, immortalis &c. item de qualibet composite verificantur, quod sit substantia completa, divisibilis in partes essentiales physicæ: de qualibet autem forma verificantur, quod sit substantia incompleta, & simplex, seu non divisibilis in partes essentiales physicæ &c. ergo.

550. Ob. 1. Aristoteles 2. *Phys. text. 28.* de forma dicit, quod sit ratio ipsius, quod quid erat esse: ergo

ergo forma est tota quidditas rei. Confir. 1. Essentiae rerum consistunt in indivisibili : ergo in sola forma. Confir. 2. Idem est constitutivum, & distinctivum rei : sed materia non est distinctivum : ergo neque constitutivum. Resp. neg. conseq. Expositionem veram textus Philosophi vide supra n. 405. Ad 1. confir. neg. conseq. Sensus illius axiomatis est, quod essentiae mutantur, addito, vel ablato quo-vis praedicto metaphysico : non autem, quod non possint dividi in partes, sive essentiales, sive integrales ; alias etiam forma bruti imperfecti, cuius partes post divisionem vivunt, non posset esse quidditas, ut tamen adversarii volunt.

Ad 2. confir. neg. mi. Aequè materia distinguit individualiter Petrum à Paulo, quam forma ; nam materia Petri est realiter distincta à materia Pauli. Si autem hoc axioma explicetur de distinctione specifica, dist. ma. convertibiliter. neg. ma. non convertibiliter. conc. ma. & conc. mi. neg. conseq. hoc est : omne specie distinctivum est etiam constitutivum : sed non è converso omne constitutivum est etiam specie distinctivum.

551. Ob. 2. Homo sensim plurimum perdit de sua materia, ita, ut senex forte nil amplius habeat de ea, quam habuit puer : ergo, si materia constituit essentiam hominis, non erit idem homo senex, qui fuit puer : hoc est falsum: ergo.

*Tom. II.*

Resp. dist. conseq. senex non erit physicè totaliter idem homo. conc. conseq. non erit moraliter idem homo. neg. conseq. & sic dist. subsumpto neg. 2. conseq. Idem adversarii respondere debent de animalibus, saltem imperfectis, e. g. serpentibus etiam grandibus, quorum formæ divisibles sunt ; nam partes formæ antiquas deperdunt, & novas sibi successivè adgenerant. Itaque manet semper idem homo in estimatione morali hominum, sicut manet idem serpens. Aliud foret, si anima rationalis simul, & semel, totum corpus relinquere, & alteri uniretur ; tunc enim in estimatione morali esset alius homo.

552. Ob. 3. Multi barbari se invicem devorant : ergo juxta nos materia unius constitueret alterum : hoc non potest admitti : ergo. prob. subs. sic non posset resurgere idem homo in judicio : certè aliqui non haberent suum constitutivum essentiale, scilicet materiam, vel enim Petrus, cuius corpus devoravit Paulus, non haberet suam materiam, vel Paulus non haberet suam, id est, sibi adgeneratam : sed hoc non potest admitti : ergo. Resp. neg. subs. ad prob. dist. ma. ut supra. non posset resurgere homo physicè totaliter idem. conc. ma. moraliter idem. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Argumentum hoc solvendum est omnibus, qui credunt resurrectionem mortuorum ; nam homines

G g

nes

*nes resurgent in carne sua, iuxta illud Iobi 19. v. 26. Rursum tunc meus dabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.*

553. Unde omnes cum S. Thomæ l. 4. contra Genit. c. 81. ad 4. communissimè respondent, ad hoc, ut dicatur idem homo resurgere, sufficere, si maneat moraliter eadem caro, sicut aliquid physicum ei desit, vel etiam aliquid addatur, ut fieri in infantibus mortuis post baptismum, qui non resurgent in statuta tam pusilla, ita quia deseffervent; nam omnes resurgent in eorum perfectum, in mensuram etatis. plenitudinis Christi. ad Ephes. 4. v. 13.

hoc est (ut S. Anselmus, S. Thomas, & alii apud Cornelium à Lapide in hunc locum exponunt) in measuram statutæ perfectæ, quæ deceat etatem hominis talam, quam habuit Christus, triginta trius, vel quatuor annorum. Jam, quantum unus homo devoret alterum, non tamen ex eo solo nutritur, ita, ut totum corpus Petri fiat corpus Pauli; hoc enim naturaliter non est possibile: &, si etiam possibile esset, spectaret ad providentiam Dei, id impedito, quæterans ad eam spectat, materiam omnibus sapientissime distribuere.

## ARTICULUS IX.

*An due Forme Principales possint simul informare eandem partem Materie.*

554. **Q**uestio hæc in primis agit de formis substantialibus; nam, quod plures formæ accidentales possint dari, vel immediate, vel saltem mediante quantitate, in eadem parte materiæ, nemo negat; utique enim idem, quod est calidum, potest ratione plurium graduum esse magis calidum, vel similitudine gravitatis esse grave. Item agitur de formis absolute; nam, si unio substantialis inter corpus, & animam, sit modus, facile conceditur, eam recipi una cum forma absoluta in eadem parte materiæ: & eadem ratio est de subsistencia,

si. & ista sit entitas modalis. Accedit, quod istæ formæ modales non sint activæ, aut elicitive ullam operationum, adeoque non sunt principia motus, aut quietis, de quibus hic maxime agitur. Rursus agitur de formis principalibus; nam, an cum forma principali, e.g. vivente, possint simul in eadem materia stare formæ partiales, vel elementares, non hæc, sed alibi decidendum est.

555. Dico 1. Naturaliter non potest duplex talis forma informare eandem partem materiæ. ita communissima, adeo, ut Suarez

*disp.*

disp. 13. Metaph. sec. 10. n. 60. dicat, non esse necesse, in hac assertione probanda in minoraricūm nullus Philosophus in contrarium stet. Prob. auctor conclusio hoc ipso communissimo auctorum confessa: ex quo sic argumentari licet. Philosophi communisq[ue] dicunt, materiam primam nunquam simul informari duabus formis substancialibus principalibus: & , si quæ ipsis objiciuntur experientia, oppositum ad speciem probantes, eas aliter explicant: nec ullus eorum intendit unquam probare simultaneam talium formarum inexistentiam: ergo, cùm hæc sit questio facti, utique innumeris, & tam gravibus testibus, factam negantibus, est credendum, præsertim, cùm hoc factum aliunde probari non possit: consequenter materia nunquam fuit informata simul duabus formis substancialibus principali bus: ergo neque potest iis informari. prob. conseq. quod in naturalibus nunquam sit, censendum est, non posse naturaliter fieri, ut probatum est supra n. 378. atqui nunquam sit in naturalibus, ut materia informetur duplice tali forma: ergo censendum est, id non posse fieri.

556. Dico 2. Sùpernaturaliter tamen potest duplex talis forma informare eandem materiam. ita Suarez loc. modic[us] cit. & alii communisimè. Prob. conclus. Consideratis omnibus viri docti noa inve-

nunt contradictoria in eo, quæd eadē materia informetur à dupli ci tali forma: ergo probabilius potest supernaturaliter dari ea informatio. ant. patet ex auctoritate maxima nostræ sententiaz. conseq. probata jam est n. 382. Finis autem (sic enim aliquis assignari debeat) esse potest, constituere duplex compositam substancialie inadæquate distinctam, ex quibus quodlibet dein eliciat sicutem alias operationes sibi proprias: qui tamen si nis non est naturaliter intendibilis, ex hoc ipso, quod eum natura, etiam in causis necessariis, nunquam actu hucusque intenderit, producendo tale duplex compositum: sed de fine vide dicta in similis n. 389.

557. Ob. 1. contra 1. conclus. In eadem parte materiaz possunt simul dari plures formaz accidentales: ergo etiam possunt dari plures substancialies. Confir. 1. In ferro eandente simul est forma ferri, & forma ignis: ergo. Confir. 2. Si carbones imponantur vasi fistili, bene clauso, & postea id vas immittatur in medium ignem, toti ignescunt, ut patet, si vas aperiatur, & tamen nihil de suo pondere perdunt, ut iterum patet, si prius ponderati postea denuo ponderentur: ergo forma ignis, & forma ferri, simul stant in eadem materia; alias aliquid de suo pondere perderent carbones.

Resp. neg. conseq. Deformis ac-  
G g 2 ciden-

cidentalibus id probat experientia, & requirit necessitas; nam substantia indiget pluribus accidentibus: at nec talis necessitas, nec talis experientia datur circa formas substanciales. Scilicet, ut in eadem domo sunt plures servi, non autem plures domini, ita in eodem composite sunt plura accidentia, sed tantum una forma substancialis principalis. Ad i. confir. neg. ant. si ignis sit forma principalis; nam tunc tantum habebit in poris ferri, vel in ejus superficie, quæ non amplius erit ferrum.

558. Ad 2. confir. iterum ex composite, quod ignis sit forma principalis, neg. conseq. nam videtur, quod carbones in clauso vase ex defectu aëris nondum accendantur, sed tunc primum, quando vas aperitur: & tunc ignis tantum habet in poris, vel in superficie, cuius pondus tam est exiguum, ut ejus defectus non sit sensibilis: si autem diutius sinerentur carbones ardere, utique consumerentur quoad notabilem partem, & notaretur defectus ponderis.

Quodsi etiam contendas, carbones jam ardere in vase adhuc clauso, saltem ille ignis ex defectu aëris non potest se propagare, adeoque ignis tantum habet in superficie. Dixi: si ignis sit forma principalis; nam, si esset tantum subordinata, nihil probaretur contra conclusionem nostram: quamvis vix admitti possit, ignem, quando

est in tanta copia, in quanta est in ferro candente, esse tantum formam subordinatam, & non ita prævalere, ut sit in ea materia principalis.

559. Ob. 2. Formæ non contrariae possunt simul esse in eodem subjecto: ergo saltem duas formæ similes possunt simul informare eandem partem materiæ. Confir. Duæ causæ adæquate in actu primo possunt ita convenire, ut qualibet in actu secundo inadæquate producat effectum: ergo etiam duas formæ substanciales, compleentes adæquate materiam in actu primo, possunt ita convenire, ut qualibet in actu secundo inadæquate compleat materiam.

Resp. neg. conseq. nam omnes formæ substanciales sunt sibi contrarie, in ordine ad informandam materiam (ut colligitur ex nostra probatione conclusionis) licet in aliis non sint sibi contrarie, aut dissimiles. Ad confir. neg. conseq. Pro duabus causis, ita inadæquate concurrentibus, stat evidens experientia: habetur etiam in eo casu finis naturalis, nempe, ne causæ nimirum fatigentur: at pro duabus formis ita informantibus nulla stat experientia, neque etiam habetur finis naturalis: adeoque est lata disparitas.

560. Ob. 3. Varia fuere monstrata animata cum duplicatis quibusdam, non tamen omnibus membris: ergo membra non duplicata debuit informare duplex anima, id est,

est, duplex forma. ant. & conseq. probatur ex variis historiis, quas videre est apud P. Casparum Schottum l. 5. *Phys. curios.* ubi c. 19. refert ex Buchanano l. 13. *Histor. Scot.* natum esse monstrum humanum masculinum, usque ad ventrem bicorpor, inde in unum corpus terminatum, cuius duo capita saepe invicem rixabantur: si inferius, e.g. in pede, pungeretur, utraque pars superior dolebat: at si supra in membris divisis pungeretur, una duntaxat pars id sentiebat.

Idem refert ex Lycostene, anno 1044. fuisse foeminam eodem modo duplicem, ita, ut quandoque unum caput rideret, aut fleret, alterum taceret: unum comederet, alterum jejunaret: &, quod magis est mirabile, una parte mortua, triennio adhuc superviveret altera, donec & ipsa, à mortua parte verosimiliter male affecta, defecerit. Simile monstrum iterum natum est Bellovacis in Gallia an. 1701. mense Junio, ut refertur tom. 3. *Memoires pour l'histoire des sciences &c.* à Trevoux Octobr. lettre de M<sup>me</sup> Du Courroy. pag. 220. Rursus simile monstrum natum est in alio loco Galliae Dom. Remi dicto an. 1722. 24. Decembr. de quo agunt *Memoires de Trevoux.* tom. 2. ad an. 1724. *Avril.* a. 31. pag. 703. ergo partes inferiores duplex anima rationalis informativit.

561. Resp. neg. conseq. ad prob. iterum neg. conseq. & dico in quo-

libet horum monstrorum duas fuisse animas, quamlibet tamen informasse distinctam materiam: & quidem hoc quoad partes superiores patet: quoad inferiores autem sic explicatur. Monstra similia, saltem saepe nascuntur, aut ex defectu virtutis plasticæ, non potentis conceptum opus omnino perficere, aut ex defectu materiae necessariae: & sic in ipsis casibus natura coepit duplex corpus, nempe cuilibet animæ suum adæquatè distinctum: at non potuit utrumque ex toto perficere; unde quoad inferiores partes defecit.

562. Tentavit quidem natura etiam duplices musculos, nervos, venas, fibras, ossa &c. producere: sed ex defectu, vel virtutis plasticæ, vel materiae, produxit ea tantum manca, & imperfecta, ita, ut seorsim non sufficerent pro corpore humano; hinc eos musculos, nervos &c. diversis licet animabus informatos, tamen natura conjunxit, imò inter se varie implicavit, & ex pluribus imperfectis, e.g. muscularis, aut nervis fecit unum: atque sic corpus inferius, non duplex, sed tantum unum perfecit. At, quia partes, licet diversis animabus essent informatæ, tamen inter se ita arctè erant implicatae, non poterant pungi, vel lædi partes, ab una anima informatæ, ut non simul pungerentur, vel læderentur aliquæ ab altera anima informatæ, & hinc sentiente una sentiebat, & altera.

Hæc responso non debet dici gratis confuta ; quia est conformis communissimæ auctoritati Philosophorum, nostræ conclusioni adhærentium.

§63. Ob. 4. contra 2. conclus. Si duas formæ informarent eandem materiam, tunc una esset accidentis : at qui simul , ut supponitur , esset substantia : ergo verificarentur contradictionia. prob. ma. una forma superveniret enti jam completo : ergo esset accidentis. Confir. Una forma non esset actus primus : ergo non esset substantialis. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. una forma superveniret enti jam completo in una solùm ratione , & ita, ut non ordinaretur ad illud, tanquam ad finem cui adæquate à se distinctum. conc. ant. superveniret enti completo in omni ratione , & ita, ut ordinaretur ad illud, tanquam ad finem cui adæquate à se distinctum. neg. ant. & conseq. primum enim membrum distinctionis potest etiam convenire substantiæ : at alterum non nisi accidenti.

§64. Ad confir. dist. "ant. una forma non esset actus primus prioritate temporis. conc. ant. prioritate finis , vel radicis. subdist. non esset respectu totius compositi, duplii forma constantis. conc. ant. non esset saltem respectu compositi partialis. neg. ant. & conseq. Forma dicitur actus primus ; quia est radix prima exigitiva accidentium, & operationum compositi, qualis

radix in nostro casu esset qualibet forma , respectu operationum sibi proprietarum in suo partiā compōlio : non autem requiritur ad formam substantiam , ut sit radix omnium operationum, toti, & duplii compōsitionis propriarum.

§65. Ob. 5. Juxta nos possibilis esset hircocervus, si scilicet eidem materiæ uniretur forma hirci , & forma cervi : sed hic est impossibilis : ergo. Resp. dist. ma. esset possibilis hircocervus in eo sensu, in quo affertur à Philosophis in exemplum rei impossibilis. neg. ma. in alio sensu. om. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Philosophi, dum hircocervum impossibilem dicunt, intelligunt tales, in quo daretur identitas inter formam hirci , & cervi : non autem tales, in quo daretur tantum unio mediata inter eas formas. An autem dein ratione communicationis idiomatum posset dici : *Hircus est cervus* : & viceversa, nil refert; nam non aliter dicetur, quam : *Album est dulce*: scilicet illa propositio prior habebit hunc sensum : *Suppositione habens formam hirci, est etiam suppositione habens formam cervi* : sicut altera propositio habet hunc sensum: *Res habens albedinem est etiam res habens dulcedinem*.

§66. Ob. 6. Si possunt duæ formæ uniri eidem materiæ , etiam poterunt uniri innumeræ, adeoque omnes animæ brutorum , & hominum , compingi in unum corpus : sed

sed hoc est ridiculum: ergo. Resp. Si minor est vera, eo ipso falsa est major; Deus enim non potest facere aliquid ridiculum, seu risu dignum, adeoque non prudens. in forma dist. ma. poterunt uniri innumeræ formæ, si non sit specialis repugnantia, quæ non iavenitur in duabus. conc. ma. si sit talis specialis repugnantia. neg. ma. & sub eadem dist. conc. vel neg. mi. & conseq.

567. Poteſt quidem Deus, plures creatureſ privare uſurationis: non tamen juxta plures auctores potest privare omnes; quia non amplius poſſet habere gloriam ſuam extrinſecam: & ſic etiam ex eo, quod poſſint eidem materiæ uniri duæ formæ, non ſequitur, quod poſſint omnes; quia potest in hoc viris prudentiis apparere aliqua ridicula deformitas, non intendibilis propter uitum finem, quæ deformitas iſpis non appetit in unione tantum duarum; nam, licet compa-ctio, ut ita dicam, in humerarum, ac diversiſſimarum formarum, ratio-nalium, irrationalium, viventium, non viventium &c. poſſit viris pru-dentiis videri non ſatis ordinata, adeoque non decens sapientiſſimam, & ordinatiſſimam providen-tiam Dei, tamen non ita videtur inordinata coniunctio tantum dua-rum formarum.

568. Ob. 7. Deus debet in omni-bus operibus intendere finem pru-deniem: atqui in unione duarum

formarum in eadem materia non ha-bereſ finem pruden-tem: ergo. Conſir. Una forma eſſet in eo caſu ſuperflua ad finem, ob quem forma intenditur: ergo non potest dari. prob. ant. finis formæ eſt com-plete materiā, & cum ea conſti-tuere compositum ſubtantiale: ſed ad hunc finem una forma eſſet ſu-perflua: ergo. Resp. neg. mi. Finem tam aliquem aſſignavimus n. 556. quamvis forte non fuſſet neceſſe aliquem aſſignare, de quo vide di-cta n. 389.

569. Addo tantum hinc, non vide-ri finem Deo inconvenientem, ſi in-tendiffet ita caſtigare ſuperbiā Na-buchodonosoris, ut loco phantasiæ corruptæ, & existimantis, ſe eſſe bavent, ei junxiſſet revera formam bovis: vel, ſi ob vitia aliorum, quos quandōque caſtigavit immutatio-ne externa corporis in feras, iis etiam junxiſſet animam ferinam. Ad conſir. dist. ant. una forma eſſet ſuperflua ad finem naturalem. conc. ant. ad finem etiam ſupernaturalem. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. ma. eſt finis naturalis formæ. conc. ma. ſupernaturalis. neg. ma. & dist. ſic mi. neg. conseq. Nec dicant ad-versarii, materiam jam comple-tam non poſſe ulteriū compleri; nam, licet ſit completa in una ſpe-cie, poſt ſupernaturaliter ad-huc compleri in alia, & ſic face-re duplex compositum, inad-æquatè diſtinctum.

QUE-

## QUÆSTIO SEPTIMA.

De Unione.

## ARTICULUS I.

*In quo sit Unio inter Materiam, & Formam.*

570. **A**d compositum, præter materiam, & formam, etiam requiritur unio; nec enim sine ista datur e. g. homo, et si detur materia prima, & anima; quare de unione modò agendum. *Unio* autem genericè sumpta est *unum*, quo plura fiunt *unum*, seu *indivisum*. Jam verò, sicut aliud est compositum, seu totum artificiale, aliud naturale, aliud morale, ita etiam alia est *Unio artificialis*, e. g. gluten connectens afferes, vel cæmentum nectens lapides: alia est *Unio moralis*, quæ fit per consensum voluntatum: & hæc datur e. g. inter cives ejusdem reipublicæ: atque ad hanc à quibusdam referuntur *Unio casualis*; quæ datur e. g. in acervo lapidum, vel arenarum casu accumulatarum.

571. Alia demum est *Unio physica*, seu *naturalis*; estque nexus plurium, ex intentione naturæ, & non casualiter, aut artificiosè produetus: & hæc unio iterum subdividitur; nam alia dicitur *Unio continuativa*, quæ partes integrales totius ita neccit, ut constituant unum

totum physicè continuum, seu integrale, quale constituunt e. g. plures palmi ejusdem ligneæ perticæ: alia autem dicitur *Unio informativa*, quæ neccit partes inter se penetratas quarum una se habet per modum subjecti, altera per modum formæ, & subjecto communicat suas perfectiones.

Hæc unio, si neccitat partes essentiales compositi, dicitur *Unio essentialis*: si verò subjecto neccitat plures gradus alicujus accidentis, e. g. caloris, dicitur *Unio intensiva*: vel dicitur *Unio accidentalis*, sicut & omnis alia, quæ subjecto unit accidentis: at verò, si neccitat duas substantias, e. g. materiam, & formam compositi, dicitur *Unio substantialis*; nam, ut ait Suarez *disp. 32. Metab. sec. 1. n. 15.* ille modus est substantialis, qui ad constitutionem, & complementum ipsius substantiae pertinet (qualis est utique unio inter materiam, & formam) ille verò accidentalis, qui supponit substantiam jam completere constitutam, qualis est e. g. unio albedinis cum equo, vel homine.

572. Agimus autem nunc maxime de unione informativa substanciali, formæ cum materia, quamvis, quæ de ista dicuntur, sua cum proportione facile applicari possint etiam aliis unionibus, ut ex dicendis patebit. Unio autem modò dicta non male describitur *formalis alligatio*, seu *determinatio extremitum, ad faciendum unum per se*, seu *compositum substantiale*: id est, per se posens naturaliter existere. Ubi obiter noto, requiri quidem ad unionem informativam, ut unum ex unitis sit in loco inadæquato alterius uniti: non tamen requiri, ut sit in loco adæquato, sive in omni loco alterius; nam anima rationalis, quæ informat pedem, etiam est in capite, quin tamen etiam pes sit in capite.

573. Quæritur jam, in quo formaliter consistat unio, inter materiam, & formam. Cartesiani eam constituunt in hoc, quod Deus velit, animam esse in corpore: sibi que ipsi legem posuerit, nullum producendi motum in corpore, quin etiam similem motum cum proportione producat in anima: item, quod ad quamcumque mutationem animæ velit, producere motum correspondentem in corpore. Sed in primis multæ mutations animæ rationalis non redundant in corpus, neque ad eas sequitur aliquis motus corporis; vicissim saltem probabile est, quasdam mutations fieri in corpore, sine mutatione animæ;

*Tom. II.*

cum haec illas nullo modo cognoscat. Dein haec qualiscunque conexio, seu dependentia animæ, & corporis à se invicem, non esset physica, sed tantum moralis, qualis potest quoque dari inter animam, & corpus, purè compenetrata, ut patet consideranti: præterquam, quod haec sententia refellatur argumentis omnibus, contra Amodistas paulo post afferendis.

Alii volunt, unionem hanc stare in materia, & forma compenetratis: alii plures volunt, eam stare in istis, & una in dispositiōnibus, conditionibus, negatione impedimenti, decreto Dei &c. alii vero dicunt, ista omnia esse tantum actum primum proximum, à quo prodeat ipsa entitas unionis: hanc vero ipsam esse ens modale, vel absolutum, his omnibus superadditum. Ad resolutionem hujus questionis recolendum est ex Logica à n. 659. & 660. non posse dari novam denominationem sine nova parte, nec antiquam perire sine pereunte aliqua parte: item ex eadem Logica à n. 352. separabilitatem duorum quoad locum, vel tempus, esse evidens signum distinctionis realis. His præmissis

574. Dico 1. Unio inter materiam, & formam rationalem, non potest stare in sola materia, & forma, etiam compenetratis. ita defacto communissima. Prob. Materiam, & formæ, seu anima rationalis, etiam inter se compenetratae, sunt

Hab

separabiles ab unione : ergo non sunt idem cum unione. conseq. non negatur. prob. ant. in multis casibus anima rationalis fuit compenetrata cum aliqua materia , nec tamen fuit data inter eas unio : ergo. prob. ant. anima Christi fuit compenetrata cum corpore B. Virginis, dum clauso utero Salvator natus est : item cum lapide sepulchrali, dum idem Redemptor eum penetrans resurrexit &c. rursum, si plures homines in cumulum conjecti suffocarentur, multæ animæ, in medio cumuli constitutæ, atque è suis corporibus egredientes versus celum, vel infernum, penetrarent alia corpora circumposita, nec tamen iis unirentur : ergo.

575. Dico 2. Unio ista non stat in materia, & forma compenetratis, & rite dispositis. ita auctores plurimi, quamvis opposita sententia etiam non destituatur sua auctoritate : de qua tamen hoc obiter notandum, antiquorum plures suis se connotatores, de quibus in Logica A. n. 695. alios autem hanc rem non satis exactè examinasse. Prob. conclus. Potest dari unio, inter materiam, & formam compenetratas, quin dentur dispositiones; aut conditiones, naturaliter requisitæ ad compositum : & possunt dari dispositiones, seu conditiones naturaliter requisitæ, cum compenetrata forma, quin tamen detur unio: ergo sunt motus separabiles, adeoque realiter distinctæ: prob. 1. p.

ant. sicut Deus potest producere formam absque dispositionibus, & conditionibus naturalibus, cùmque etiam absque ipsis conservare, ita quoque potest eam sine ipsis unire: certè in hoc non appetet ulla vel & longè implicantia: ergo.

576. Prob. quoque 2. p. ant. Etiam non potest ostendi ulla implicantia in eo, quod Deus velit, assimilam existere in corpore rite disposito, ea duntaxat ratione, quæ dæmon existit in energumeno : item, quod velit, eam eodem, & non alio modo, id est, non vitaliter, in eo corpore operari : sicut nempe operatur dæmon, vel alia causâ extrinsecâ, quæ ex corpore sibi conjuncto, vel ejus materia, tanquam subjecto, aliquem motum, vel alium effectum, per aliquam actionem generativam producit : sed sic positis licet omnibus dispositionibus, & conditionibus &c. non dabitur unio : ergo. ma. prob. ex eo, quod nulla prorsus hac in re ostendi possit implicantia: certè quamplurimis viris doctissimis nempe omnibus auctoribus nostrâ, sententiae patronis, non apparent ultra contradictionia. Dein nemo coget Deum, ut velit tale corpus per talem animam tanquam per formam vivificari : sanè Platonici non negarunt, animam rationalem inexistere corpori rite disposito : non tamen admirerunt, eam corpori uniti; unde S. Thomas 1. p. q. 76. a. 7. eos propterea impugnat.

577. Confir. Ponamus, in corpore rite disposito produci à Deo duas animas rationales, ita tamen, ut Deus nolit utramque uniri: in hoc casu dabuntur dispositiones, & conditiones ad utriusque unionem, non tamen dabitur unio utriusque: ergo ista sunt inter se distincta. Si dicant, in hoc casu debere Deum determinare, quemam uniatur, meritò ulterius queritur, ad quid Deus debeat determinare, ut potius una, quam altera anima uniatur. Juxta nos quidem deberet determinare ad unionem modalem, qua potius respicit animam unam, quam alteram: at in systemate adversiorum, nihil apparet, ad quod debeat determinare, nisi forte ad operationes formæ unius, & non alterius: sed de hoc postea.

578. Respondent adversarii 1. in ordine ad prob. 1. p. ant. Si Deus animam uniret sine dispositionibus naturaliter requisitis, tunc faceret miraculum, & supernaturaliter suppleret defectum dispositionum naturalium. Sed contra primò. Istud supplementum deberet esse pars unionis: adeoque ipsa unio, & consequenter etiam ipse homo essentia-liter sumptus, involveret ens supernaturale, quod esset valde mirabile. Evidem ex hoc capite quidam admittit, unionem inter corpus, & animam Christi in cruce, fuisse supernaturalem; cùm ibi defuerint dispositiones naturaliter sufficien-tes ad conservandam vitam. Sed

utique citius admittendus est aliquis modus, quam, quod pars es-sentialis humanitatis fuerit super-naturalis: quod est difficillimè cre-dibile. Altud est, quod actio con-servativa unionis fuerit supernatu-ralis; hoc enim frequenter contin-git: sic actio conservativa acciden-tium evcharisticorum est superna-turalis, ipsa autem sunt in se natu-ralia: sic, si supernaturaliter produ-ceretur triticum, ipsum tamen in se esset naturale.

Secundò negatur absolute, Deum ponere debere aliquod supplemen-tum dispositionum: sicut non debet ponere supplementum dispositio-num, in ordine ad producendam formam; unde in utrōque casu debet tantum ponere fortiorē actionē, sive productivam formę, sive productivam unionis. Tertiò. I-stud supplementum, vel exigeret es-sentialiter, materiam, & formam inter se uniri, & esset æquivalenter unio modalis: vel posset ab ea uni-one separari, & non plus faceret, quam dispositiones naturales, quae, quia possunt ab unione separari, non sunt unio.

579. Respondent 2. in ordine ad prob. 2. p. ant. Deus non potest po-nere, materiam, & formam compe-ntratas, cum omnibus dispositio-nibus, conditionibus &c. quin ponat unionem: sicut non potest ponere duos muros albos, quin ponat re-lationem. Sed contra est primò. Deus non potest ponere duos mu-

res albos, etiam spoliatos omnibus conditionibus, & quocunque actu primo proximo, quin ponatur relatio: ergo etiam non poterit ponere materiam, & formam, spoliationis omnibus conditionibus &c. seu toto actu primo proximo, quin ponatur unio: quod nec adversarii admittunt.

Secundo. Qui negant modum relationis, ex ipso conceptu relationis efficaciter probant, quod relatio nihil aliud sit, quam adæqua-ta ratio fundandi, seu utraque albedo muris unita, adæque, quod per utriusque coëxistentiam, & in muris receptionem, tollatur essentialiter omnis indifferentia murocum ad relationem: at ex conceptu unionis probari neutquam potest, quod ipsis nil aliud sit, quam materia, & forma, cum dispositionibus &c. & quod neque per absolutam Dei potentiam ab ipsis separabilis sit, adæque per ista etiam tollatur omnis indifferentia ad unionem: imò hoc ipsis adversarii, saltem communiter, non audent dicere; hinc ad decretum Dei configiunt.

§80. Quidam tamen videntur velle, quod ex ipso conceptu materiae, & formæ, eoquod sint actus, & potentia, habeatur, quod sint unio. Sed contra est. Actus, & potentia, non sunt unio; alias non essent separabiles ab unione: sed tantum sunt unibiles, & exigentes unione, atque ad hanc à natura ordinantes. Neque etiam dici po-

test, quod actus, & potentia, sunt unio in actu primo; non enim possunt fieri unio in actu secundo: sed tantum dici potest, actus esse ex se in actu primo actuans, seu informans, & potentia esse ex se in actu primo recipiens, seu informata.

Meliùs juxta quosdam diceretur, quod materia, & forma, sint actus primus ad unionem, seu istius causa: & quidem hoc omnino dicendum de materia prima: idem, probabiliter saltem, dici etiam potest de forma, seu anima rationali, ob dicta n. 6 & r. At verò si unio identificaretur cum actione productiva formarum materialium, vel si etiam formæ materiales producerentur per eandem actionem cum unione, non possent ex formæ esse actus primus, seu causa unionis: possent tamen eam exigere, sicut quilibet effectus creatus dicitur exigere causam, & actionem sui productivam.

§81. Respondent 3. Materia, & forma, non sunt absolute indifferentes ad unionem, sed tantum conditionatè. Sed contra est. Materia etiam eodem modo non est absolute, sed tantum conditionatè indifferens ad formam, & tamen non potest per se constituere formam: ergo etiam non potest constituere per se unionem, et si ad hanc sit tantum conditionatè indifferens. Scilicet, sicut materia non est indifferens, ut sit forma, sed ad hoc est essentialiter improportionata:

ta: ita etiam non est indifferens, sed improportionata ad hoc, ut sit unio: est autem indifferens, sicut ad habendam formam, ita etiam ad habendam unionem: non autem est absolute indifferens ad formam, vel unionem, sicut aer est indifferens ad lucem, quam nullo modo exigit, & sine qua naturaliter potest existere; nam materia exigit formam, & unionem, atque sine ipsis naturaliter non potest existere.

582. Respondent 4. in ordine ad confir. n. 577. positam. In eo casu, quo essent duas animas, in eodem corpore compenetratae, daretur impedimentum unionis, respetu unius animae, adeoque juxta nos quoque non daretur actus primus proximus expeditus, qui involvit etiam negationem omnis impedimenti. Sed contra est. In primis videtur multis valde difficulter perceptibile, quod intrinseca positiva communicatio perfectionum constituantur ex puro nihil.

Nec dicant, ligno communicari perfectionem statuere per puram negationem partium superfluarum; nam, cum haec ipsa perfectio, non tam physica, quam moralis, sit potissimum in negatione partium superfluarum, facile capitur, per eam negationem perfici lignum, ut sit statua. At perfectio materialis per formam, seu ejus informatio per unionem, non est tantum negatio, aut perfectio moralis; sed est phy-

sica communicatio perfectionum formarum: adeoque non aequum capit, eam posse stare in negatione. Verum hoc omisso, non potest in illo casu ostendari ullum impedimentum, nisi decretum Dei, nolentis utramque animam uniri: quo juxta nos Deus non vult unam unionem modalem, & ad hanc producendam non vult concurrere, sed eam impediare. At juxta adversarios deberet aliquid aliud nolle, quod latenter explicare non possunt.

Non enim possunt dicere, quod hoc decretum, nolens unionem, nolit negationem sui; nam esset ridiculum decretum, quod pro suo objecto adaequato, vel etiam tantum pro suo objecto primario, haberet negationem sui nolitam, ut facile patet consideranti. Neque etiam dicere possunt, quod hoc decretum, impediens, vel nolens unionem, habeat pro objecto nolito aliud decretum Dei naturale, seu secundans exigentiam materiarum, & formarum; nam hac ratione istud decretum naturale constitueret unionem: quod etiam dici non potest, ut colligi poterit ex sequentibus. itaque

583. Respondent 5. Actus primus proximus involvit adhuc, vel certe presupponit decretum Dei, volens materiam, & formam uniri, quo posito indispensabiliter ununtur. Sed contra est 1. Per hoc tantum habetur, quod decretum Dei sit unio causalis, non verba formalis:

H h;

malis : sicut scilicet decretum Dei est causa omnium effectuum. 2. Merito queritur ab adversariis , quid istud decretum velit, dum vult materiam , & formam uairi. Ad quam questionem duplex est adverſiorum responſo.

Quidam dicunt , hoc decretum velle tantum materiam , & formam , at ſpeciali modo tendendi , qui tribuat denominationem *uniti* ; nam idem objectum potest à diversis modis tendendi decreti accipere diversas denominations: ſic duo decreta divina , (ſive virtualiter, ſive tantum formaliter diſtincta) quorum uarum præciperet ſumptionem SS. Evchariſtiaz , & alterum eam ſumptionem tantum uaderet , habereat idem objectum : ſed tamen ratione diversi modi tendendi tribuerent diversas denominations.

§84. Sed contra eſt. Per iſtos diuersos modos tendendi poſſunt quidem conuenienter explicari denominations morales , ſeu concreta logica , non autem denominations , ſeu concreta physica ; nam 1. concreta physica (inter quæ uerique etiam eſt physice uitum) juxta omnes exigunt formam denominatiæ adequatæ intrinſecam , ut poſteſt oſtendi inductione aliarum denominationum physicarum: in domini Summulis datur ab omnibus hoc diſcriben inter denominations physicas , & logicas , ſeu morales : decretum autem Dei non eſt intrinſecum. materia , aut forma;

nec toti composito ; unde per decretum , ſeu actum voluntatis , poſteſt quidem explicari unio moralis , non tamen physica : ſicut per idem decretum poſteſt quidem explicari causalitas moralis , non ve-ro physica. 2. Videtur diſſicilimè perceptibile , quod formalis in-trinſeca communicatio perfectio-num compleatur per aliiquid pro-prius extrinſecum : & quod causalitas cauſe intrinſeca creare fit ſaltem partialiter aliiquid extrinſecum , & increatum.

§85. Ulterius 3. Si poſſent de-nominationes physicae completi per decretum Dei , Atomistæ po-ſſent facilè eludere argumenta illa , que cenſentur efficacissima , & po-tita ſunt ex diſtinctione realiter ſeparabilium , atque ex imposſibili-tate novi totius ſinē nova parte , quibz probatur , creature aliquid physice producere de novo , maxi-mè actus ſenſitivos neceſſarios ; nam poſſent dicere Atomistæ , po-tentiam viſivam e. g. in cane , ha-beante oculos apertos , cum aliis ad actum priuam requiſitiis , eſſe po-tentiam : & objectum , vel ſpeciem impreſſam ejus vicariam , eſſe actum: dari in ipliſetiam tantum indiffe-rentiam conditionatam ; quia po-tentia viſiva exigit naturaliter re-cipere viſionem , ut materia exigit formam : & objectum , ſeu species exigit determinare , ſeu actuare po-tentiam viſivam , ſicut forma exigit determinare materiam: adeo de-igit

igitur etiam decretum Dei, habens specialem modum tendendi, & constituet cum eo visionem, sicut cum materia, & forma unionem.

586. Nec opponant adversarii sensum communem; nam, sicut hic juxta ipsos tantum judicat, dari unionem physicam, non autem, in quo ea consistat, ita & juxta Atomistas quosdam tantum judicat dari visionem, etiam vitalem, non autem, in quo consistat. Eodem modo idem probari potest de pluribus effectibus non vitalibus, & forte adhuc melius de istis, e. g. de attractione ferri ad magnetem, ejusque refectione, de conversione linguis magnetice, de sonio campanæ, aut quovis motu corporali, & similibus. Eodem modo posset probari, quod intensio qualitatis nil aliud sit, quam ipsa qualitas, ut substantia certo decreto Dei, vel certo modo ejus tendendi: sicut juxta adversarios, forma proxime potens agere in materiam, vel etiam causa potens producere acti-<sup>vè</sup> effectum, etiam majorem, aliud non est, quam forma, vel causa substantia certo decreto, ejusque speciali modo tendendi: at hoc nec adversarii de intentione admittunt. Adeo, quod hi omnes effectus (nempe sensatio, attractio ferri, sonus campanæ, intensio qualitatis &c.) cum non sint accidentia eucharistica, ab adversariis neque supernaturali ratione probari possent, esse de novo producti.

587. Alii adversarii dicunt, decretum, ad unionem requisitum, non tantum habere diversum modum, tendendi, sed etiam diversum objectum; eoquod decernat concursum cum anima, seu forma, ad operationes eliciendas in materia. Sed contra est primò. Decretum decernendo concursum per hoc non decernat unionem; quia, ut dictum n. 576. anima potest operari in corpore, seu materia, sicut dæmon operatur in energumeno: atque etiam operationes producere ex materia; quia non potest eas creare, sed tantum ex subjecto generare.

Secundò. Etsi Deus nollet concurrere cum anima ad ullam operationem, tamen ea posset esse unita: sic e. g. anima grani tritici in horreo, ut & animæ arborum in hyeme, juxta probabilem opinionem nihil agunt (& multum erit, si quis efficaciter probet, eas aliquid agere, praesertim, si accidentia non vitalia producantur à formis partialibus) & tamen sunt unitæ materiæ, ac manent unitæ animæ granorum tritici per plures annos, post quos sepe pereunt ex sua corruptibilitate, vel destruuntur in molendino. Sed, etiamsi probaretur, eas animas, in statu suo naturali constitutas, aliquid agere, tamen implicantia nulla ostendi potest in eo, quod à Deo supernaturaliter conserventur animæ unitæ sine operatione: neque etiam potest negari, quod de absoluta Dei potentia possint

possint uniri sine operatione, adeo que sine decreto cum iis concurrendi ad operationes. Et cur non possit anima, vix à matre producta, mox, antequam ageret, mori? quo casu vixisset quidem in actu primo, non autem in actu secundo.

588. Confir. conclus. 1. Si nè unionem modali non videtur posse explicari, quomodo in SS. Eucharistia datur corpus Christi organizatum: sed hoc debet posse explicari: ergo debet admitti unio modalis. prob. mta. organizatio non sunt tantum corpuscula, informata forma substantiali, aut etiam qualitatibus quibusdam absolutis, e. g. calore, frigore; nam ista etiam simul sumpta non constituant potius manum, quam pedem: sed organizatio est etiam certa aliqua connexio, & coordinatio particularum, vi cuius istae naturaliter exigunt, inter se ita, vel ita, esse collocatae, aut extensa: sicut ratione quantitatis exigunt naturaliter esse impenetrabiles: sed hec connexio, vel coordinatio, non potest explicari sine unione modali: ergo. prob. mta. materia, aut forma, vel qualitates absolutae corporisculorum, non exigunt ullam istorum coordinationem, neque ea potius locari in manu, quam in pede: neque etiam ubicatio corporisculorum in SS. Eucharistia, ubi omnis sunt suo modo compenetrata, seu sine omni extensione locali, exigit eorum coordinationem; nam ubicatio non exigit uocans particu-

lam apponi alteri; quia non alligat suum ubicatum loco extrinseco, ut alibi probabimus: multò minus exigit eam coordinationem ubicatio eucharistica, quæ exigit omnes particulas suo modo compenetrari, seu non extendi localiter: sed neque aliud quidquam exigens talera coordinationem potest ostendit: nisi forte recurritur ad decreta Dei, & dicatur, quod corporiscula, certo decreto Dei profus extrinseco affecta, sint certa organa, manus, pes &c. quod planè videatur absurdum: ergo.

At, si admittatur unio modalis, potest dici, quod eam coordinationem exigit uniones continuativæ; cum istarum quælibet exigit suam materialism, vel etiam formam partialem, his, & non aliis partibus corporis ordinatè apponi: quæ appositi, si naturaliter per convenientem connaturalalem extensionem partium fieret, corpus cum suis extensis organis quam optimè prodiret. Videri meretur hac de re Suarez som. 3. in 3. p. disp. 48. sec. 3. Dixi suo modo compenetrata, & suo modo compenetrari; quia compenetratio propriè, & strictè dicta, non datur in SS. Eucharistia; eoque ad hanc requiratur exercitio localis compenetratorum, quæ in SS. Eucharistia non datur, de quo vide Bellarminum som. 3. Contrap. general. 3. l. 3. c. 5.

589. Confir. 2. Juxta adversarios Christus non potest habere in SS. Ev-

SS. Evcharistia candem unionem inter corpus, & animam, quam habet in seculo: sed hoc admittere est valde durum, & dubito, an in auctore classico hoc possit inveniri: ergo. ma. prob. unio Christi in seculo dicit dispositiones naturales, & organorum extensionem: h[oc]e non datur in SS. Evcharistia: ergo. Confir. 3. In sententia adversariorum, saltem eorum, qui unionem volunt stare in actuazione materialis, per operationem formae in illa, non potest dari naturalis adequata unio animae, etiam rationalis, cum qualibet minima particula materialis, adeoque non qualibet talis particula erit essentialiter homo: hoc est contra communem Philosophorum, & Theologorum: ergo. prob. ma. anima non posset actuare talem particulam, cum non posset in ea operari; eoquod in ipsa non dentur organa, neque etiam dispositiones &c. ergo non posset in ea dari unio adequata, quidquid sit de unione inadequata, seu partiali.

§90. Dico jam 3. Etiam unio formarum substantialium materialium, item accidentium absolutorum, est eodem modo distincta à materia, forma, dispositionibus &c. ita ferme auctores, qui stant nobiscum pro duabus superioribus conclusionibus. Prob. Tam formae materiales substantialies, quam accidentia absoluta, possunt separari à materia: ergo exdem rationes, que-

pugnant pro unione inter animam rationalem, & materiam, pugnant etiam pro unione istorum. conseq. patet. ant. prob. in primis de accidentibus id factis probatum est supra n. 242. de formis autem substantia libus materialibus probatur idem, ab ipsa paritate, cum accidentibus instituta; si enim accidentia possunt supernaturaliter conservari sine subiecto, non est ratio, quare non etiam ita conservari possint formae substanciales; neque enim videtur major connexio, aut dependentia admitti debere in substantiis incompletis, quam in puris accidentibus. Confir. Materia potest conservari sine forma, ut fuit probatum n. 381. ergo etiam poterit conservari forma sine materia; quia videtur esse reciproca, & aequalis connexio.

§91. Dico 4. Unio ista est entitas modalis. ita auctores pro superioribus conclusionibus citati communissimè. Ante probationem hujus conclusionis exponendum est, quid sit ens absolute, & modale. *Ens absolute* dicitur, quod saltem supernaturaliter sine aliis entibus creatione determinate sumptis posset existere. At vero *Ens modale*, seu *Modus* nec supernaturaliter potest existere sine suo modificato, vel subiecto: & hoc est proprium modi, sed tantum secundo, ut vocatur, modo: id est, convenit omni modo, sed non soli; nam cognitiones, volitiones, & alii actiones

vitales, sicutem iuxta plurimos au-  
tores, sunt etiam ita affixæ suis sub-  
jectis, ut ab iis separatae nec super-  
naturaliter possint existere, & ea-  
men vix à pauculis, inter quos est  
Oviedo, annumerantur modis: ab  
aliis autem communissimè è mo-  
dorum numero eximuntur.

592. Itaque *Modus*, sicutem à plu-  
ribus, dicitur esse *ens positivum*,  
*creatum*, *essentialiter*, & per se-  
ipsum informans *subjectum*, neque  
primariò insensum ad hoc, ut actua-  
liter, & *indispensabiliter* determi-  
net istius *indifferentiam* ad ali-  
quam *denominationem*; unde mo-  
di non sunt 1. negationes; quia  
non sunt quid *positivum*. 2. neque  
relationes divinæ; quia non sunt  
quid *creatum*: 3. neque acciden-  
tia absoluta; quia non *essentialiter*  
actu informant *subjectum*.  
4. neque actiones vitales; quia ha-  
c non intenduntur primariò præcisè  
ad determinandam *indifferentiam*  
*subjecti*, sed habent alia prædicata  
nobilia: e. g. quod sint *expressio-  
nes*, seu *imagines representativæ*  
*objecti*, & *exercitia viræ*, seu *vita*  
in actu secundo.

593. Ex qua ratione fortè *unio*  
*hypostatica* eximenda est ex nume-  
ro modorum strictè dictorum; nam  
nequit quidem *indispensabiliter* per-  
sonalitatem divinam, & naturam  
humanam: attamen etiam habet  
alia prædicata valde nobilia: e. g.  
quod sit excellens participatio na-  
ture divinæ, *sæcætias formalis*,

& *formaliter* sanctificans humani-  
tatem.

Aliqui volunt, quod modus de-  
beat informare suum modicatum:  
& hinc negant, quod actio sit mo-  
dus respectu cause extrinsecæ:  
quod si verum est, tunc unio hypo-  
statica respectu Verbi modus esse  
non potest; cum hoc, utpote im-  
perfectibile, informare non possit:  
interim tamen communiter unio  
hypostatica dicitur modalis, sicutem  
in sensu minus stricto. Sed quid-  
quid de his sit, parum hic refert;  
nam hic maximè queritur, an unio  
sit entitas *essentialiter* affixa suis ex-  
tremis, eaque *indispensabiliter*, &  
actualiter denominet unita: & hoc  
est, quod præcipue nostra quarta  
conclusio asserit. Itaque

594. Prob. conclusio. Si *unio* es-  
set *ens absolutum*, posset dari sine  
extremis, & quodlibet extremum,  
utpote etiam *ens absolutum*, sine  
altero: ergo posset dari materia Ingol-  
stadii, anima rationalis Monachii,  
& *unio Augustæ*: vel posset  
dari materia hoc anno, anima al-  
tero, & *unio tertio*: jam sic: vel  
in tali casu daretur homo, vel non  
daretur homo: neutrum potest di-  
ci: ergo. prob. mi. si dicatur pri-  
mum, contradicitur communissi-  
mo sensui hominum; nemo enim  
dicit esse hominem, partes inter se,  
vel tempore, vel loco distractas:  
& sane videtur ex terminis absur-  
dum, quod anima actu dicatur in-  
formare materiam, si ab ea sit, vel  
tempo-

tempore, vel loco distans. Si autem dicatur secundum, debet admetti, quod dari possint omnes partes, quin detur totum, quod implicat.

595. Si forte velles dicere, hominem insuper involvere durationes, & ubicationes partium simultaneas, tunc istae deberent esse modales; alias iretur in antiquam sylvam, ut patet consideranti: ergo melius admittitur, quod ipsa unio sit modalis. Accedit, quod istae

ubicationes, & durationes, singulis quasi momentis mutentur: quin etiam priores à posterioribus sepe differant specie, adeoque, si partes hominis essent, deberet singulis quasi momentis homo essentialiter mutari, yet etiam à se specie differre: quæ videntur valde inconvenienter dici. Ut taceam, ubicationes, & durationes esse accidentia, quæ saltem juxta communio-rem non constituant totum stricte substantiale.

## ARTICULUS II.

### Solvuntur Objectiones.

596. O B. i. contra i. conclus. Aristoteles 3. Metaph. sext. 15. per modum dubitationis proponit, per quid homo sit una aliiquid, seu per quid anima rationalis, & materia sibi invicem unian- tur, eamque sic resolvit: *Quod si, quemadmodum dicimus, hoc quidem materia, hoc vero forma est, & hoc quidem potentia, hoc vero actus, profecto non videtur amplius dubitatio esse, quod quaritar. & sext. 16 addit: Quare nulla alia causa est unionis inter materiam, & formam, nisi siquid fuit sanguis ex potentia in actu movens: id est, causa efficiens, sive producens formam in materia: ergo juxta Philosophum unio stat in sola materia, & forma compenetratis.*

597. Relp. neg. conseq. Si hoc

diceret Aristoteles, affereres ali- quid manifestè falsum, ut probatum est n. 574. adeoque esset deserendus. Igitur, sicut plures nostri adversarii hunc textum explicant, dicendo, Aristotelem tantum loqui de unio- ne denominative, seu secundum rel- etum accepta (quam tamen exposi- tionem gratis adstruunt) ita nos dicimus, Aristotelem tantum ne- gare, unionem fieri per corpus in- termedium: quasi diceret, ad unien- dam formam, & materiam, opus non esse corpore intermedio, e. g. glutine, vel alia quadam viscositate, qualem teste Mauro in cit. sext. 16. adstruebat Lycophron; nam sext. 15. præmittit Philosophus, quod in aliquibus, ut fratre unum, causa sit *sactus*, id est, contactus, e. g. in partibus extra se positis in aliquo

aliquo ligno continuo : in aliis vero causa sit viscositas : quam non admittit inter materiam, & formam : neque etiam nos admittimus.

598. Idem, & non aliud docet S. Thomas ; nam s. p. q. 76. a. 7. expresse ponit hunc titulum : *Utrum anima uniuscun corpori animalis mediante aliquo corpore : &c. si vellet, animam rationalem formalis cum materia jam esse unionem formalem, doceret aliquid, quod modò fortè nemo defendit ; nam saltem adversariorum quamplurimi ulterius ad unionem requirunt accidentales dispositiones &c. ubi tamen ipsi à S. Thoma recedunt, qui cit. q. n. 6. in corp. expresse negat, animam uniri corpori medianibus dispositionibus accidentalibus. Quod autem Angelicus, & Philosophus, non expresse adstruant unionem modalem, tam parùm nobis debet obesse, quam parùm sibi obesse credunt adversarii plurimi, quod pro complemento unionis non adstruant decretum Dei.*

599. Neque etiam modi debent rejici, tanquam aliquæ novitates, in scholas introductæ; nam jam à quadringtonis, & amplius annis, scilicet à tempore Durandi, qui floruit circa annum 1320. in scholis viagent: quin etiam Scotus jam modos tradidit ; nam Mastrius *Disp. 5. Phys. q. 9. n. 105.* cùm docuisset, unionem esse modum, qui tamen non sit relatio transcendentalis, sed

prædicamentalis (qua tamen in re non videtur nobiscum convenire, inceptione, seu intelligentia utriusque relationis) cùm, inquam, hoc docuisset, addit, videri antiquiores Scholasticos hoc unanimiter docuisse, & esse apertissimam sententiam Scoti.

Legatur quæstio citata tota, & apparebit, ipsum admittere unionem modalem, quamvis eam neget esse modum substantiale, in quo iterum discordat à Suarezio citato n. 571. & communi nostrorum, quod ad intelligentiam modi substantialis, & accidentalis. Idem Mastrius *Disp. 51. Phys. q. 3. n. 38. & 39.* ait, esse sententiam Scoti, & communem veterum, ac recentiorum, quod ubicatio sit modus rei superadditus, eamque formaliter constituens in certo loco.

600. Ob. 2. Materia, & forma sunt actus, & potentia, atque habent ad se invicem ordinationem, & proportionem: ergo non uniuntur per aliquid distinctum, sed per se ipsas: sicut uncus, & annulus, ne-  
tuntur inter se, non per aliud distinctum, prout tamen e. g. cubi debent inter se uniri, vel colligari. Resp. dist. conseq. non uniuntur per aliquod distinctum corpus, se habens ut quod. conc. conseq. non uniuntur per aliquem modum, tan-  
tum se habentem ut quo. neg. con-  
seq. Actus non est aliud, quam ens informativum, vel perfectivum subjecti: potentia autem est ens re-  
cepti-

receptivum actus , vel perfectio-  
sum ejus : non autem sunt unio ad  
se invicem , nisi radicalis : hoc est ,  
habent exigentiam naturalem unio-  
nis. videantur etiam dicta n. 580.

601. Quod spectat ad paritatem  
adductam ab unco , & annulo , ne-  
xus ille , vel unio qualiscunque ,  
formaliter non consistit in ipso un-  
co , & annulo (nam uncus , & an-  
nulus , possunt dari sine eo nexus )  
sed consistit formaliter in iis aliquo  
modo stabiliter inter se implexis ,  
quaes implexio , & stabilitas , habe-  
tur , partim per eorum ubicationes ,  
partim per figuram , tam unci , quam  
annuli , partim per duritatem , vel  
inflexibilitatem ferri. Ex quibus  
apparet , quod hæc paritas contra  
nos nihil probet ; cum etiam uncus ,  
& annulus , non sint formaliter  
unio.

Ob. 3. Si forma , aut anima , non  
est jam unio , saltem partialis in actu  
secundo , etiam non poterit esse  
unio in actu primo : hoc est contra  
nos : ergo. prob. ma. forma , seu  
anima , non existit ante unionem ,  
sed ad summum est effectus simultaneus : ergo , nec potest unionem  
producere , neque etiam exigere.  
Resp. 1. neg. ma. ad prob. neg. 2.

p. ant. In primis (ut videre est apud  
Suarez disp. 15. Metaph. sec. 6. n. 8.  
ubi citat Henricum , Auroolum , &  
Richardum , item disp. 18. sec. 2.  
n. 20.) probabile est , quod anima  
rationalis , statim ac producitur à  
Deo , sese uniat materie efficiendo

unionem ; unde , licet ad hanc non ,  
sit prior tempore , est tamen prior  
naturæ . vide infra n. 618.

Aliæ etiam formæ probabilitas  
producuntur per actionem distin-  
ctam ab unione , vel etiam ab actio-  
ne productiva unionis , ut dicemus  
n. 620 unde probabiliter etiam istæ  
possunt influere in productionem  
unionis ; quia pro priori naturæ ad  
eam existunt : sicut sol in primo sta-  
tim instanti produxit lucem ; quare  
formæ , & earum uniones , non sunt  
effectus simultanei , sed subordina-  
ti. vide etiam dicta n. 618. Si au-  
tem quis contendat , formas non  
rationales produci per ipsas earum  
uniones , & has esse simul actiones  
productivas formarum. Resp. 2.  
neg. mi. non enim de forma , sed  
de materia , & de actu primo ad for-  
mam , dicimus , quod sunt suo modo  
unio in actu primo ; nam forma  
non debet necessariò esse prior na-  
turæ ad unionem , sed sufficit , si eam  
exigat , vel tanquam actionem sui  
productivam , vel tanquam effe-  
ctum simultaneum : & hæc respon-  
sio etiam dari potest circa animam  
rationalem , si ista quoque non sit  
prior naturæ ad suam unionem . vi-  
deantur etiam dicta n. 580.

602. Ob. 4. Si materia , & for-  
ma , non unirentur per se , tunc for-  
ma per unionem modalem consti-  
tueretur in ratione actus : sed hoc  
est falsum ; quia forma jam per suam  
essentiam est actus : ergo. Resp.  
neg. ma. Forma jam antecedenter ,

dum adhuc nondum est unita , est actus : hoc est , ens informativum , vel perfectivum subjecti : per unionem autem constituitur tantum in ratione actus actualiter actuantis , sive informantis : sicut albedo jam antecedenter ad unionem cum muro est dealbativa in actu primo , & per unionem tantum fit dealbans in actu secundo .

603. Ob. 5. contra 2. conclus. Actuari materiam nihil est aliud , quām quodd virtus identificata formæ fiat proximè expedita , ad producendas operationes sibi debitas in , vel ex materia : ergo materia non actuatur per unionem modallem , sed per formam cum dispositionibus , & conditionibus , atque per decretum Dei , quo Deus decernit concurrere cum forma , seu anima ad operationes in materia . prob. ant. si Deus non decerneret cum forma concurrere , vel ei negaret suum concursum , tunc non actuatur materia : ergo materia actuatur per hoc , quodd forma reddatur expedita ad operandum &c. prob. iterum ant. si forma , e. g. aliqua anima , per aliquem modum uniretur lapidi , lapis ab ea non actuatur , non ob aliam causam , quām , quodd anima , seu virtus illi identificata , per eum modum non reddeatur proximè expedita ad operandum in lapide : ergo .

604. Resp. neg. ant. Certè etiam ab accidentalis forma , e. g. ab ubicatione , suo modo accidentaliter

actuatur materia , et si etiam ea forma non sit activa , adeoque non reddatur expedita ad operandum . ad prob. iterum neg. ant. actuatur enim in eo casu materia , modò daretur unio modalis , à nobis requiesca , de qua re vide n. 587. Ad do , quodd si Deus etiam decerneret concurrere ad operandum cum anima , inq. actu concurreret cum anima , seu forma , non ideo forma , seu anima esset unita , de quo vide n. 575. Si dicant adversarii , Deum debere concurrere ad operandum vitaliter : contra est . Ad operandum vitaliter jam presupponitur unio , adeoque ista à Deo pro priori decernitur , eo modo , quo decernitur actus primus pro priori ad secundum .

605. Ad alteram probationem . Resp. dist. ant. anima non actuaret formam lapidis . om. ant. non actuaret materiam lapidis . neg. ant. & conseq. Materia lapidis in eo casu actuaretur , & redderetur vivens , sicut redditur vivens per supervenientem animam materia jam priùs informata formis partialibus , aut elementaribus .

606. Forma autem lapidis non videtur in eo casu actuari ab anima ; eoquodd una forma substantialis non sit potentia respectu alterius , nec informetur ab altera , nec ei immediate uniat , nec reddatur vivens ; nemo enim dicit , formas partiales , aut elementares , si formaliter maneat in mixto vivente , per

per supervenientem animam reddi viventes: ut tamen omnes dicunt, viventem reddi materiam, seu corpus: & ratio ulterior esse potest. Forma, cùm ipsam sit actus, non censetur vivere, nisi in actu primo, per virtutem producendi activè actus vitales, & in actu secundo, per eosdem actus activè à se elicitos: cùm econtra materia, utpote potentia, dicatur vivere per formam in se receptam. Si tamen adversarii velint admittere, quod in sensu proprio possit dici, formas partiales, vel elementares actuari, & vivificari, per supervenientem animam, vel etiam per ejus actiones vitales, idem poterimus dicere de forma lapidis.

607. Dices. Si anima actuatur per unionem modalem, tunc ideo; quia per istam saltem redditur remotè expedita ad operandum in materia: sed hoc non sufficit: ergo. prob. mi. ipsa unio modalis etiam juxta modistas ideo datur, ut anima sit proximè expedita ad operandum: ergo non sufficit, si tantum redditur remotè expedita. Resp. i. neg. ma. nam forma potest etiam per unionem modalem, saltem tanquam per complementum inadæquatum, reddi proximè expedita ad operandum, quamvis per eam non fiat agens. Resp. 2. om. ma. neg. mi. ad prob. dist. ant. unio modalis ideo datur, ut anima sit proximè expedita ad operandum, hoc est,

unio est medium necessarium præquisitum ad hoc, ut anima possit vitaliter operari in materia. conc. ant. est medium, indispensabiliter secum ferens eam proximam expeditionem, seu determinationem, ita, ut non possit dari unio, quia anima sit ita proximè expedita, seu potius determinata, ad agendum. neg. ant. & conseq. vide n<sup>o</sup> 587.

608. Ob. 6. Positâ materiali, & formâ cum decreto Dei, ac dispositionibus &c. sublata est omnis indifferentia ad unionem: ergo non est opus entitate superaddita. Resp. dist. ant. positâ materiali &c. sublata est omnis indifferentia causaliter. conc. ant. sublata est omnis indifferentia formaliter. subdist. per decretum, & materiali &c. neg. ant. per unionem superadditam, quam decretum infert. conc. ant. & neg. conseq. Etiam murus erit formaliter albus, si detur decretum Dei de ipso dealbando: non tamen erit formaliter albus per decretum, sed per albedinem, quam decretum, utpote ejus causa, infert. Pariter, si detur decretum Dei de unienda inter se materia, & forma, istæ formaliter unientur: at non per decretum (quod tantum spectat ad actum primum proximum, & causam) sed per unionem superadditam, quam decretum Dei indispensabiliter infert.

609. Ob. 7. Si deberet dari unio superaddita, tunc ideo; quia decretum Dei non posset esse pars compotii,

positi, e. g. hominis: sed hæc ratio nihil probat: ergo. prob. mi. decretum Dei potest esse pars, seu constitutivum cuiuslibet actus primi proximi: ergo etiam potest esse pars cuiuslibet compositi, etiam hominis. Resp. neg. ma. nam alias rationes attulimus à n. 575. interim non in merito videtur pluribus, & etiam nobis, satis absurdum, quod omnia composita sint inadæquatè divina, inadæquatè inter se identificata, inadæquatè æterna &c. ad prob. neg. conseq. Non est absurdum, Deum esse concusam ad omnes effectus necessariam, ex qua ratione auctores plures inferunt decretum Dei constituere quemlibet actum primum proximum: quamvis alii auctores id negent, & decretum statuant tantum ex parte actus primi remoti, de quo plura Theologi.

Ob. 8. Juxta Tridentinum *Jeff. 13. c. 3.* datur inter corpus Christi Domini, & ejus sanguinem in SS. Evcharistia, naturalis connexio, adeoque unio physica, quin detur entitas modalis: ergo ita non est necessaria, sed unio rite explicari potest per materiam, formam, ac decretum Dei. Resp. supposito, quod sanguis non vivat (alias enim entitas modalis ipsum uniret animæ) dist. ant. datur connexio physica naturalis, hoc est, non supernaturalis. conc. ant. datur connexio, seu unio, strictè physica, seu continuativa, aut informativa unius

sanguinem cum corpore. neg. ant. & conseq. Tota hæc connexio inter corpus, & sanguinem Christi Domini, à Tridentino asserta, juxta communissimam auctorum, vitam sanguinis negantum, non est unio strictè physica, sed est tantum, ut ab ipso Tridentino vocatur *loc. cit. concomitans*, seu unio moralis, fundata tamen, seu consistens in constitutivis merè naturalibus, sive omniente supernaturali, de quibus vide p. 2. *Phys. pars. n. 147.* ferè, sicut quando duo afferes conglutinantur, etiam habent unionem naturalem, que tamen à nomine dicitur strictè physica, sed tantum artificialis.

610. Ob. 9. contra 4. conclus. Modi restringunt libertatem Dei: ergo non sunt admittendi. prob. ant. modi absolute non possunt produci sine eorum subjecto: ergo restringunt libertatem Dei, cumque necessitant ad producendum eorum subjectum. Resp. retorq. arg. in actibus vitalibus; nam e. g. intellectiones non possunt produci, quin producatur intellectus. in forma neg. ant. ad prob. neg. conseq. Deus est sufficienter liber ad modos; potest enim eos producere, vel omittere, etiam quando producit eorum subjectum: potest etiam destruere modos manente subjecto.

611. Quamvis autem non possit Deus modos producere, vel conservare sine subjecto, hæc tamen necel-

necessitas producendi subjectum non est antecedens, quæ sola obest libertati; non enim inevitabiliter necessitat Deum ad producendum subjectum: sed tantum est necessitas consequens ad liberam determinationem Dei, qua se determinavit ad producendum modum: si ve est necessitas ex suppositione talis liberae determinationis, quæ necessitas non præjudicat libertati; neque enim præjudicat libertati divitæ, quod ex suppositione, quod velit hominem ambulare, debeat ei providere de pedibus.

Verum est quidem, quod neque debeant entibus sine ratione affingi talia prædicata, quæ necessitatem etiam tantum consequentem inferunt: sed nos existimamus, ea in unione modali sufficienter *an. 594.* probâsse. Neque etiam dicas, juxta nos nîmum debere multiplicari modos; nam hoc argumentum non impugnat unionem modalem, quæ non magis multiplicatur, quam forma, sed alios modos, durationes, ubicationes &c. de quibus suo loco: interim non videtur, esse saltem notabiliter minor multiplicatio actuum vitalium, & similium motuum, quæ tamen ab omnibus facilè admittitur.

612. Ob. 10. Si unio esset modalis, fuissest destructa in morte Christi, adeoque in morte dimissa à Verbo pars humanitatis assumptæ: huc videtur esse contra SS. Patres: ergo. Resp. conc. 1. p. & dist. 2. p.

*Tom. II.*

ma. fuissest dimissa à Verbo pars ut quo humanitatis. conc. ma. pars ut quod. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Utique Christus est mortuus, adeoque desit esse unio inter corpus, & animam, consequenter fuit dimissa. Neque hoc est contra SS. Patres, qui, dum dicunt, semel à Verbo assumptum nunquam fuisse dimissum, loquuntur de partibus ut quod Christi Domini; ita enim eos communiter exponunt Theologi, quibus fusiorem hujus rei explicationem relinquisimus.

613. Ob. 11. Si unio esset modalis, totus homo posset dici ens modale: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. denominatio, quæ convenit parti, præfertim minus æstimabili, tribuitur etiam toti: ergo homini tribuenda esset denominatio entis modalis. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. denominatio illa tribuitur toti aliquando. conc. ant. tribuitur universaliter, & semper. neg. ant. & conseq. quando autem denominatio, convenientis parti, tribuatur etiam toti, vel non, explicatum est in Logica *z. 250.* Addo hinc, ex communi ens modale non dici, nisi quod totum quantum, ita affixum est suo subjecto, ut sine eo nullatenus existere possit.

614. Ob. 12. Posset dici, unionem esse entitatem absolutam, sed talem, ut exigat, vel non existere sola: vel, si sola existat, nunquam possint existere materia, aut forma,

Kk

quas

quas ipsa deberet unire: ergo non debet dici esse entitas modalis: prob. ant. hac ratione evitantur absurdum unioni absolutæ n. 504. objecta, ut patet consideranti: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. ita, ut incurreretur aliud valde absurdum. om. ant. ut hoc non incurreretur. neg. ant. & conseq. Hac ratione fingeretur exigentia unionis æquæ indispensabilis, ac illa unionis modalis, & simul valde inconveniens, ac incongrua.

615. Nam unio modalis exigeret indispensabiliter existere materiam, & formam: unio absoluta

exigeret, eas pro tota æternitate nunquam existere: exigentia unionis modalis tenderet ad finem con naturalem unionis, scilicet ad unidas inter se materiam, & formam, adeoque esset valde congrua: exigentia unionis absolutæ tenderet ad æternam carentiam finis sui con naturalis, nempe ad excludendam pro tota æternitate materiam, vel formam, adeoque etiam ad excludendum compositum naturale, ex ipsis factum, ad quod tamen tanquam ad suum finem ordinatur unio: adeoque esset exigentia valde inconveniens, & absurdum.

### ARTICULUS III.

*An Unio sit identificata cum Actione productiva Formæ.*

616. **A**Ctio physica, ut infrà n. 509. pluribus dicemus, est determinatio effectus ad causam: quæ tamen determinatio ex suo conceptu non exigit, effectum causæ uniri: & quidem, quod non exigit, effectum uniri causæ efficienti, res est satis clara; cum ista causa sèpè sit extrinseca, adeoque effectui non uniatur: e. g. si ignis unus producat ad extra alium ignem, ignis producens non unitur producto: & multò minus unitur Deus rebus à se productis.

Et hinc clarum est, quod illa actio creativa, per quam producitur, vel conservatur res extra subjectum, e. g. anima S. Petri extra

suum corpus, non sit unio effectus cum causa efficiente, quæ est Deus: neque cum causa materiali, seu sub jecto; quia non datur causa materialis respectu creationis. Si tamen res producatur, vel conservetur intra subjectum, e. g. anima hominis adhuc viventis intra corpus, quæstio est, an non talis actio creativa possit simul esse unio animæ cum materia tanquam subjecto, non su stentationis, sed informationis.

617. At vero actio generativa, seu eductiva, et si non necessariò uniat effectum cum causâ efficiente, tamen cum aliquo modo determinat ad causam materialem, seu passum, aut subjectum; nam effec tus

Cus ita eductus debet, saltem naturaliter, cum causa materiali penetrari; eoquod actio generativa essentialiter exigat recipi in materia, sive ipsi uniri, ut infra n. 1225. dicemus: insuper etiam exigat informare effectum, seu etiam cum ipso uniri: adeoque exigat saltem mediatè, ut effectus generatus recipiatur in subjecto, & cum ipso compenetretur. Quin iudicemus ipsum effectus, cum sine subjecto naturaliter existere nequeat, ex se petit, subjecto, seu cause materiali uniri. Quæritur jam, an actio productiva formæ intra materiam sit, non tantum radix exigitiva unionis, sed ipse actualis nexus, seu unio formalis, inter materiam, & formam.

618. Dico 1. Unio materiæ cum anima rationali est distincta ab actione productiva animæ rationalis, ita communissima eorum, qui afferunt, unionem, & actionem esse modos. Prob. Unio animæ rationalis, utpote modus etiam materiæ, dependet essentialiter à materia, tanquam à subjecto, pro priori naturæ presupposito: actio productiva animæ rationalis non ita dependet à materia; alias enim esset generatio, & non creatio, ut dicemus infra, agendo de causa materiali n. 1225. ergo inter se realter distinguntur. Confirmatur. Ut dictum n. 607. probabiliter anima rationalis producit suam unionem, etiam primam cum materia: atqui non producit actionem

productivam sui, ut patet: ergo probabiliter unio, & actio ista, inter se distinguntur. prob. ma. anima rationalis producit suam unionem cum nova materia, per nutritionem sibi adgenerata, ut nemo negat: ergo etiam probabiliter producit unionem cum materia sibi primo unita; quia est ejusdem rationis, seu perfectionis, & anima est materiæ eodem modo applicata: ergo.

619. Hurtadus *disp. 2. de Causis, & ord. gener. sec. 3.* negat quidem, animam influere in primam unionem sui cum materia: at ex ratione non sufficiente; ait enim, animam tunc necdum esse actum materiæ: sed contra est. Etiam antecedenter ad unionem anima nondum est actus materiæ, quam sibi adgenerat. Replicat quicquid hic auctor, animam tunc saltem jam esse actum alterius materiæ: sed contra est. Anima potest agere, et si nullius materiæ sit actus, ut patet post ejus mortem: quod autem, dum sibi aliquid adgenerat, jam sit actus alterius materiæ, non impedit, quo minus materia, quam sibi adgenerat, sit adhuc antecedenter ad unionem subjectum extraneum. Quare, ut habet Suarez *cit. disp. 15. Metaph. sec. 6. n. 8.* sufficit, quod anima habeat naturalem propensionem ad unionem, & habeat applicatum subjectum, à natura ad ipsam ordinatum, atque ab ipsa perfectibile. Per hoc autem

tem nolim negare, quod etiam anima generantis concurrat ad productionem unionis; neque enim necesse est, quod anima generata sit causa adæquata unionis, sed potest esse causa inadæquata. Quin imo nolim absolute defendere, quod anima sit causa unionis sive primæ cum materia; quare hæc confirmatio non adducitur, nisi tantum ut probabilis.

620. Dico 2. Unio etiam aliarum formarum probabilius est distincta ab actione productiva carum. ita Hurtadus *disp. 5. Phys. sec. 2. n. 27.* Arriaga *disp. 4. Phys. sec. 3. n. 77. & 78.* & plurimi recentiores, præsertim nostri. Prob. Probabilius, & sensu communis doctorum, & indoctorum, conformius est, quod composita naturalia sint ita indifferentia, ut absolute possint produci, vel à solo Deo, vel simul à creatura, saltem quoad illas partes, quæ de novo producuntur, ut sunt forma, & unio: sed in sententia opposita non essent ita indifferentia: ergo. prob. mi. si unio est actio, tunc non est indifferentia ad causam, sive, ut à solo Deo, vel simul à creatura procedat, adeoque neque totum, eam unionem involvens, est ita indifferentia: ergo.

Nec dicas, unionem talis formæ non posse creari; eoquod habeat essentialiem dependentiam à materia, & in hac debeat essentialiter immediatè recipi; nam generari non est, ipsam rem generatam es-

sentialiter immediatè recipi in materia: sed est, essentialiter immediatè recipi actionem productivam ipsius rei: at, si unio crearetur, licet ipsa essentialiter immediatè recipi deberet in materia; quia eam essentialiter uniret, adeoque physice informaret: non tamen deberet immediatè in materia recipi actio productiva unionis: sed hæc immediatè reciperetur in ipsa unione: quidquid sit, quod dein mediante ista, seu mediata, etiam reciperetur in materia; nam actio generativa debet immediatè in materia recipi, ut dicimus infra n. 1225. videatur Arriaga *disp. 4. Phys. à n. 122. & præ isto Hurtadus disp. 12. Phys. sec. 3. à s. 49.* Dein, eti unio non posset creari, tamen posset, vel à solo Deo, vel simul à creatura generativè produci: quo posito manet totum argumentum.

621. Confir. 1. Actio, qua primo naturaliter modo consueto generatur compositum, e. g. leo, essentialiter respicit Deum, & simul alium leonem, tanquam causam: at actio, qua postea conservatur, siue secundò producitur idem leo, respicit essentialiter solum Deum, et que specie diversa à priore actio-ne, ut patet consideranti: ergo, si eadem actio etiam esset unio, tunc unio prima, & altera subsequens ratione conservationis, essent specie diversæ: hoc autem videtur esse inconveniens; eoquod ipsummet totum compositum ratione, partis esse

essentialis specie differentis, etiam deberet specie differre à priore : ergo.

622. Confir. 2. Sæpe actio productiva alicujus formæ, vel etiam unionis, e. g. in resuscitatione mortui, est miraculosa, & supernaturalis : atqui unio non est supernaturalis ; nam incongruenter dicetur, totum compositum naturale involvere partem essentialēm supernaturalem : ergo. Addunt aliqui, actionem productivam probabiliter identificari cum duratione essentialiter fluente : adeoque, si unio ei identificaretur, etiam hanc futuram ita fluentem, & consequenter singulis instantibus mutandam. Sed, cùm hec identitas actionis cum duratione non sit certa, hoc argumento abstineo.

Ex hucusque dictis autem inferatur, etiam actionem productivam ipsius unionis, debere esse distinctam ab eadem unione; alias enim iterum unio non esset indifferens, vel ad solum Deum, vel ad aliam causam simul, consequenter neque totum eam involvens : essetque insuper etiam ipsa aliquando supernaturalis, aut differret specie : quæ utpote inconvenientia visa sunt non admittenda.

623. Ob. 1. contra 2. conclus. Potest dici cum Maistro, Pontio, & aliis Scotistis, quod unio non sit pars compositi : ergo rationes nostræ nihil probant. prob. conseq. si unio non est pars, tunc, etiam si

actioni identificetur, tamen composita naturalia sunt tota indifferenta, vel ad Deum tanquam causam solam, vel ad eum unà cum concausa creata: item sunt semper adæquatè naturalia &c. ergo. Resp. neg. ant. Ex regula partis, tradita in Logica n. 622. efficaciter probatur, unionem esse partem compositi; nam è non affirmatè nunquam potest affirmari totum compositum ; quamvis etiam è affirmatè nondum affirmetur totum compositum.

Nec obest, quod unio sit causalitas causarum intrinsecarum ; nam, sicut ipse causæ sunt intrinsecæ, ita etiam earum causalitas, potest esse intrinseca, sive inadæquatè identificata toti, seu composito: & in hoc penitus nullum est absurdum.

624. Ob. 2. Ratione actionis generativæ forma est intrinseca materia, tanquam suo subjecto: ergo actio est unio. prob. ant. actio indispensabiliter alligat formam materię: ergo ratione istius forma est intrinseca materia. Resp. dist. ant. ratione actionis generativæ forma est intrinseca radicaliter om. ant. est intrinseca formaliter. neg. ant. & conseq. ad prob. iterum eodem modo dist. ant. & neg. conseq. Dixi om. ant. quia aliqui volunt in dubium trahere, an non forma, generata ex materia, possit tamen extra istam existere.

625. Verum est, quod, si hoc fieret, probabilissime deberet actio gene-

generativa replicari ; nam deberet essentialiter recipi in materia , ut dicemus agendo de causa materiali : item deberet informare effetum , sive recipi in eo ; quia huic per ipsam communicaretur existentia : at hæc ipsa replicatio non videtur illis auctoribus impossibilis. Sed , si etiam forma generata non possit existere extra materiam ( quod facile transmitto ) tamen actio generativa non reddit formam compositi formaliter unitam , aut etiam intrinsecam , sed solùm radicaliter : sicut scilicet decretum Dei , volens extrema uniri , ea tantum unit radicaliter , non formaliter : neque etiam per actionem generativam materia fit formaliter subjectum informationis , sed tantum sustentationis.

626. Ob. 3. Actio generativa est inseparabilis ab unione , & unio ab ea actione : ergo sunt identitatem . Resp. dist. ant. actio est inseparabilis ab unione determinate sumpta. neg. lant. ab unione indeterminate sumpta. om. ant. & neg. conseq. Sic etiam e. g. homo est inseparabilis ab ubicatione indeterminate sumpta , & ubicatio est inseparabilis ab homine , quin identificantur ; nam sola inseparabilitas duorum , determinate sumptorum , est signum identitatis , & quidem tantum probabile , ut dictum in Logica n. 354.

627. Ob. 4. Actio generativa unitur simul materiæ , & formæ :

ergo etiam per eam istæ uniantur inter se. prob. conseq. si aliquid identificatur duobus , tunc illa duo identificantur inter se: ergo etiam , si aliquid unitur duobus , illa duo uniuntur inter se. Resp. i. neg. conseq. ad prob. iterum neg. conseq. alias etiam intellectiones spirituales unirentur materiæ , & pes capiti ; quia & illæ , & iste uniuntur animæ , & hæc materiæ , ac capiti. Scilicet identificata debent convénire in omni prædicato , neutquam autem unita ; unde disparitas est valde lata , ut patet exponendi. Resp. 2. dist. conseq. uniuntur inter se formaliter , & immediatè per ipsam actionem. neg. conseq. formaliter , & immediatè per unionem distinctam , at verò per actionem tantum mediata , & radicaliter. conc. conseq. Scilicet actio est tantum radix immediatæ unionis inter formam , & materiam , & has tantum unit mediata , seu exigendo unionem inter eas.

628. Ob. 5. Actio est receptio formæ in materia : ergo est unio. Confirm. Actio est dependentia formæ à materia , tanquam à subiecto : ergo est ejus unio. Resp. dist. ant. actio est receptio formæ absolutæ , seu formæ per actionem productæ. neg. ant. est receptio , seu unio sui ipsius , tanquam formæ modalis. conc. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. Ipsa actio , tanquam aliqua latrem quasi forma accidentalis , & modalis ,

lis, essentialiter inest materie, tanquam modificatio; hinc potest dici formalis unio sui ipsius cum materia: at per ipsam non etiam formaliter unitur materie forma absoleta.

Ad confir. dict. ant. actio est dependentia formæ à materia, tanquam à ſubiecto ſuſtentationis. conc. ant. tanquam à ſubiecto informationis. neg. ant. & conseq. *Subiectum ſuſtentationis* eſt ſubje-

ctum naturâ prius, in quo essentialiter recipitur actio generativa; unde per istam materia fit ſubiectum ſuſtentationis. *Subiectum informationis* eſt, quod perficitur ab altero: quid autem fit perfici, dictum jam eſt n. 366. Jam materia quidem perficitur à forma, at non per actionem, ſed per unionem: & hinc non per actionem, ſed per unionem, fit ſubiectum informationis reſpectu formæ.

## ARTICULUS IV.

*An Unio inter Materia, & Formam, fit Una, & Simplex.*

629. **N**on queritur, an inter totum corpus, & animam, detur unio indivisibilis, ita, ut non constituatur ex partibus integralibus; ſatis enim certum eſt, unionem animæ, e. g. cum capite, diuidi poſſe ab unione ejusdem animæ cum pede; aliaſ enim, quoties vel minima pars cutis abſcinderetur, nova unio per totum corpus produci deberet, quod eſt incredibile: ſed queritur, an reſpectu etiam cuiuſlibet partis materie dentur duæ uniones, quarum una connectat formam cum materia, & vocetur *informationis*: altera verò ne- etat materiam cum forma, & vocetur *Materializatio*.

630. Dico. Inter formam, & eandem partem materie, datur tantum unica unio. ita Suarez *disp. 13. Metaph. sec. 9. n. 13.* & alii com-

muniūs contra Hurtadum *disp. 9. Phys. sec. 7. n. 62.* Prob. concl. Unica unio ſufficit ad connectendam materiam cum forma, & formam cum materia: ergo altera eſt ſuperflua. prob. ant. in primis negati- vè: dein ex eo, quod imperceptibile videatur, unum uniri, vel connecti alteri, & iſtud non vicim per idem vinculum connecti illi. Confir. Vel duæ uniones ponuntur eſſe ab invicem ſeparabiles, & debet dari tertia unio, eas inter ſe neectens, aut debent dari ubicaciones ſimultaneæ, eas ad ſe invicem determinantes, quæ etiam conſtituent totum compositum: ſed hæc prorsus gratis admittuntur, & contra rationem ex dictis n. 595. Vel ponuntur iſtæ duæ uniones eſſe ab invicem inſeparabiles: & melius dicuntur identificatæ; quia habent signum

signum aliquod identitatis, & nullum distinctionis: ergo.

631. Ob. 1. Materiam esse uniam formæ, & formam esse unitam materiæ, sunt duæ diversæ denominationes: ergo involvunt diversas partes: ergo diversas uniones. Confir. Potest formaliter intelligi, materiam esse unitam formæ, quin formaliter intelligatur, formam esse unitam materiæ: ergo non sunt realiter idem. Resp. conc. ant. & om. 1. conseq. neg. 2. conseq. Prima denominatio involvit materiam, & unionem: altera formam, & unionem: adeoque, licet non omnes partes sint diversæ, tamen in quavis denominatione est una pars diversa.

Hoc autem utique sufficit; nam etiam, Petrum esse visum, & Paulum esse visum, sunt duæ diversæ denominationes, licet sint visi per eandem visionem. Duxi. om. 1. conseq. nam possunt dari duæ denominationes diversæ, involventes easdem partes, si concretivè sumantur, at non eodem modo, sed ita, ut in una denominatione alia pars veniat in recto, quam in altera, de qua re vide in Logica n. 703. & seq. Ad confir. om. totum: jam ostensum est, quod haæ denominationes habeant diversas partes.

632. Ob. 2. Unio moralis non est mutua: ergo neque unio physica. ant. prob. Sæpe amans non redamatur, & tunc amatus non unitur amanti: ergo. Resp. 1. retorq.

arg. unio moralis non exigit reunionem: ergo neque eam exigit unio physica, adeoque poterit materia physicè uniri formæ, quin hæc uniatur materiæ, quod videtur imperceptibile. Resp. 2. neg. conseq. Non est paritas inter has duas uniones, nec una exigit, aut facit idem, quod altera, ut patet ex retorsione.

Neque etiam est paritas inter omnes connexiones; nam aliquæ non sunt mutuæ, ut connexio, seu dependentia creaturæ à Deo, item modi à modificato; neque enim dependentia creaturæ facit etiam Deum dependentem: neque exigit, dari aliam quandam distinctam dependentiam Dei; potest enim Deus absolutissimè existere sine omni creatura. Aliæ autem connexiones sunt mutuæ: & talis connexionis est unio physica, e. g. materiæ cum forma, quæ juxta adversarios saltum exigit aliquam distinctam unionem, vi cuius uniatur forma eum materia: juxta nos autem ea unio per seipsum etiam formam unit materiæ.

633. Ob. 3. Verbum divinum perficit humanitatem Christi, quin tamen humanitas perficiat Verbum: ergo etiam potest aliquid uniri alteri, quin hoc illi uniatur. Resp. neg. conseq. nam etiam Verbum, licet non perficiatur, tamen vere unitur, estque unio Verbo intrinseca, (de quo videri potest Lugo de Incarnatione. disp. 11. n. 67. & 84) intrin-

intrinsecitate quadam in media inter  
iatrinsecitatem, & extrinsecita-  
tem formæ, ut docet Gómez de  
*Incarn. disp. 1. n. 27.* Unde aliud  
est perfici; aliud uniri; ad hoc enim,  
ut aliquid perficiatur, requiriatur;  
ut sit subjectum perfectibile, quale  
non est Verbum: ad hoc autem, ut  
aliquid tantum physicè uniatur,  
duntaxat requiriatur, ut ipsum in-  
trinsecè terminet unionem.

634. Ob. 4. Si esset tantum una  
ca unio, haberet sibi oppositam tan-  
tum unam negationem: sed habet  
sibi oppositas duas: ergo non est  
tantum unica. prob. mi. post mor-  
tem datur aliqua negatio unionis  
in anima, & aliqua etiam in cor-  
pore, quamvis longè ab invicem  
distant: ergo sunt duas. Resp. neg.  
mi. strictè humpcam. ad prob. neg.  
suppositum, sive negati, quod ne-  
gatio aliquid sit; nam est nihil, &  
hinc propriè, neque est in anima,  
neque in corpore. Si dicas, falteri  
privationes esse duas, unam in ani-  
ma, alteram in corpore. Resp. pri-  
vationem in anima involvere duo,  
scilicet capacitatem animæ ad unio-  
nem, & ejus negationem: pariter  
etiam privationem corporis invol-  
vere similia duo: & hinc in aliquo  
sensu posse dici duas privationes,  
non adæquatè, sed tantum inad-  
æquatè distinctas, scilicet quoad  
capacitates, non verò quoad ne-  
gationem unionis: sed hæc lites vo-  
cabulariæ potissimum sunt, de qui-  
bus satis.

*Tom. II.*

635. Ob. 5. Tot debent dari  
uniones, quot sunt indifferentes:  
sed istæ sunt duas, nempe una ma-  
teria, altera forma: ergo Con-  
firm. Si relatio consideret in mo-  
do superaddito, tot deberent dari  
modi, quot sunt relativa: ergo  
etiam, cum unio consistat in modo  
superaddito, debent tot dari uniones,  
quot sunt extrema. Resp. neg.  
ma. si enim una determinatio po-  
test tollere omnes indifferentias,  
non debent adstrui plures: sic ea-  
dem actio generativa determinat  
indifferentiam patris, & filii: &  
eadem visio determinat indifferentiam  
videntis, & visi. Ad confir.  
om. ant. neg. conseq. Relativa se-  
piissime inter se maxime distant, ita  
ut non posset idem modus simili-  
tudinis recipi, in equo uno exis-  
te Ingolstadii, & altero simili ex-  
istente Augusta: quæ ratio non pu-  
gnat pro extremis unitis, adeoque  
intimè compenetratis.

636. Ob. 6. Inter partes conci-  
nuativæ unitas non sufficit una  
unio: ergo neque inter partes in-  
formativæ unitas. prob. ant. si esset  
tantum una unio, tunc eadem en-  
titas materialis recipetur in duobus  
realiter distinctis, & non pe-  
netratis: hoc est naturaliter impossibile: ergo. Resp. 1. ob. ant. neg.  
conseq. nam ipsa probatio antece-  
dentis dat disparitatem, ut faciliè  
patet consideranti; cum unio in-  
formativa non debeat neglecte, nisi  
partes inter se intimè compenetrati-

tas. Resp. 2. neg. ant. et si enim non improbabilis sit opinio Lugonis, & Arriagæ, adducta in Logica n. 354. tamen videtur probabilior sententia opposita ; nam , quando datur mutua duorum inseparabilitas, nisi efficacibus rationibus probetur eorum distinctio , probabilius assertur eorum identitas ; cum probabilius sit , entia sine necessitate non multiplicari.

637. Ad prob. ant. dist. ma. eadem entitas materialis reciperetur in duobus entibus realiter distinctis, & non penetratis, attamen minimis, & insensibilibus. conc. ma. in duobus magna molem habentibus. neg. ma. & dist. mi. hoc est naturaliter impossibile in talibus minimis. neg. mi. in magnam mollem habentibus. om. mi. & neg. conseq. Tota difficultas reducitur ad hoc, quod entitas aliqua materialis indivisibilis occupet spatiū divisibile, seu tantum, ut duo entia materialia divisa possit capere : hoc autem omnes debent admittere, qui docent , continuum componi, ex particulis, realiter quidem indivisibilibus, attamen virtualiter divisibilibus (sive in infinitum, sive usque ad certum terminum parvitatēs , quod ad hanc questionem non refert ) ita, ut Deus possit adhuc minores particulas producere ; nam hoc posito poterit Deus in spatio, quod prius occupatum fuit ab una indivisibili particula , ponere duas, imò multo plures. Et tamen

hanc virtualem divisibilitatem particularum continui docent pluri- mi, præsertim recentiores.

638. Ob. 7. Si unio inter animam rationalem, & materiam, es- set unica, nec esset spiritualis, nec materialis : hoc implicat : ergo. prob. 1. p. ma. ens spirituale non potest dependere à materia : sed ista unio dependeret à materia , tanquam modus à modificato : ergo. prob. etiam 2. p. ma. ens materia- le non potest recipi in ente spiritua- li : sed hæc unio, deberet etiam re- cipi in anima spirituali, iterum tan- quam modus in suo modificato : ergo. Resp. neg. ma. ad prob. 1. p. ma. conc. totum. at ad prob. 2. p. ma. neg. ma. nam sensationes, e.g. visiones, auditiones , licet sint entia materialia, tamen etiam recipiuntur in anima rationali, & non tantum in organo.

639. Sensationes enim sunt actus vitales , per quos anima non tan- tum quomodo cùnque vivit (sicut per vegetationes , per quas anima nec hurritur, nec crescit , aut de- crescit , & probabiliter per eas in- trinsecè non aliter se habet) sed per eos actus , seu per sensationes, ani- ma formaliter percipit objecta , & redditur formaliter videntis, audiens &c. quin imò satis clare experitur, quod per auditiones, visiones &c. intrinsecè aliter se habeat : quæ omnia, ut patet inductione, nun- quam proveniunt in subiecto , nisi per formam ei intrinsecam. Unde, licet

licet fortè vegetaciones non recipiantur in anima, nec necesse sit, ut actus vitalis immaneat essentialiter suo principio adæquato, sed tantum inadæquato, tamen non videatur, posse negari, sensationes in anima recipi: adeòque in eadem etiam recipi posse unionem materialēm.

640. Dices. Est commune axioma: *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur:* sed unio materialis, & divisibilis, non potest recipi per modum animæ rationalis, spiritualis, & indivisibilis: ergo unio non recipitur in anima. Resp. neg. mi. vel potius ejus suppositum, sive, quod per modum recipientis intelligatur convenientia subjecti cum forma in eodem genere, vel specie; alias enim non posset anima rationalis indivisibilis, & spiritualis, tanquam forma recipi in corpore materiali, & divisibili: sed per illum modum tantum intelligitur capacitas, vel aptitudo, aut dispositio subjecti ad formam.

641. Ita ex S. Thoma, & Suarez, expositio etiam axioma P. Reeb ad *Axiomatis. Philos. n. 124.* & infert, subjectum magis dispositum etiam magis, seu perfectius recipere formam: idque explicat exemplo luminis, quod quidem etiam recipitur in muro, sed perfectius in speculo: posset addi, adhuc perfectius in vitro diaphano. Jam vero anima habet capacitatem, seu aptitudinem, ad recipiendam unionem: quidquid sit, an materia habeat maiorem capacitatem. Quare, tam materia, quam forma, sunt subjectum informationis respectu unionis, & utraque ab unione perficitur. Subjectum autem sustentationis respectu unionis videtur esse sola materia; nam nulla est necessitas, ut actio ejus productiva immediatè recipiatur in forma; cum sufficiat, eam ita recipi in materia: insuper gratis adstrueretur in forma virtus, seu potentia materialiter causandi unionem.

## ARTICULUS V.

*An præter omnes Partes simul sumptas admittendus sit  
Modus Totalitatis.*

642. Ex�icatis hucusque partibus compositi naturalis, scilicet materia, forma, & unione, restat querendum, an istæ sufficient, an vero adhuc alia entitas, sive absolute, sive modalis, requiratur ad totum compositum: & eadem ra-

tio est de quolibet toto; unde quaestio h[oc]c universaliter de quolibet toto solet institui. Evidenter, ut videre est apud Suarez *disp. 36. Metaph. sec. 3. n. 2.* fuere, qui dicent, præter omnes partes requiri adhuc entitatem quandam absolutam,

exam, in qua staret ratio totius: scilicet etiam, ut habet idem Eximus sec. cit. n. 5. qui docerent, requiri adhuc entitatem modalem: scilicet tandem alii, quos ibidem n. 6. citat Suarez, qui tantum admitterent distinctionem aliquam formalem inter totum, & partes.

643. Et quidem prima opinio nostra videtur amplius vigerere: &, si etiam adhuc defendetur ab aliquo, impugnaretur iisdem rationibus, quibus impugnatur secunda. Hæc etiam cum habet plures Scotistas suos patronos, qui tamen haec in sententia non sequuntur suum ducem; nam Doctor Subtilis in 1. Physic. q. 9. n. 4. expresse sic scribit: *Nunc ponitur ista conclusio: Totum est sine partibus, ita, quod omnes partes simul sumpta sunt ipsum totum: quam deinde conclusionem pluribus argumentis probat, & a pluribus objectionibus vindicat.*

Bene autem Bonaventura Baro, etiam Scotista, sed modum totalitatis negans, advertit in 1. 1. Physic. Apolog. 9. act. 1. n. 1. libros hos physicos, à Scoto Parisiis scriptos, esse posteriores ejusdem Doctoris scriptis, jam Oxonii prius editis, in quibus videtur opposita opinioni favere, adeoque negativam Scoti assertionem tanquam posteriorem esse præferendam. videri meretur ipse Bonaventura Baro action. cit. in qua n. 3. citat plures Scotistas, qui negant, Scotum docuisse distinctionem totius ab omnibus par-

tibus. Quare Doctor Subtilis censendus est stare pro tertia sententia: ad quam rite intelligendam juvabit prius exponere dictamen, inter partes distributivæ, & collectivæ acceptas.

644. Itaque *Partes distributivæ sumpta re ipsa* non sunt aliud, quam quælibet pars seorsim sumpta, de qua sola verificatur prædicatum totum propositionis; ut enim dictum in Summulis n. 28. & 29 suppositio distributiva est illa, quando descendit a termino communi ad inferiora per particulam &, multiplicantem propositiones, ita, ut de quolibet ex inferioribus verificeatur propositio, vel ejus prædicatum: & tot hanc propositiones, quot sunt inferiora; unde hæc propositione: *Partes distributivæ sumpta distinguuntur inadæquate à toto: debet exponi per hunc descensum: Materia distinguitur inadæquate à toto: & forma distinguitur inadæquate à toto: & unio distinguitur inadæquate à toto; si enim exponeretur per descensum alium, quo diceretur: Materia, & forma, & unio, distinguuntur inadæquate à toto: esset descensus collectivus, & propositio falsa.*

645. Decipiuntur autem quidam per hoc, quod propositio supradicta habeat subjectum, & copulam pluralis numeri, adeoque appareat quasi collectiva: & sane mellius, ac clarius diceretur in singulari: *Quælibet pars distributivæ sumpta distin-*

*fingitur inadequatè à toto: sed, quia prior propositio jam in usu est, ideo relinquitur quidem in possessione, at non in alia significatione, quam ea, quæ æquivalet propositioni singulari modò allatae. Et hinc in simili sensu etiam vera est ista propositio: Partes distributivè sumptas distinguuntur inadequatè à partibus collectivè sumptis; nam significat idem, ac ista: Qualibet pars scorsim sumpta est inadequatè distincta à tota collectione partium.*

646. At vero *Partes collectivè sumptæ* sunt omnes partes simul acceptæ in suppositione collectiva, quæ, ut iterum dictum in *Summulis n. 28. & 29.* tunc datur, quando descenditur à termino communī ad inferiora, per particulam *sq.*, multiplicantem tantum terminos, & non propositiones, ita, ut tantum fiat una propositio, cuius prædicatum non conveniat singulis, sed tantum omnibus simul: sive e. g. ab hac propositione collectiva: *Omnia elementa sunt quartuor:* non potest fieri descensus sic: *Et ignis est quartuor: & aëris est quartuor &c.* sed tantum sic: *Et ignis, & aëris, & terræ, & aquæ, sunt quartuor.* Quare etiam à parte rei est distinctionem magnum, inter partes distributivè sumptas, & partes collectivè sumptas, scilicet tantum, quantum est inter partem, & totum, & inter identitatem adæquatam, & identitatem inadæquatam.

647. Nec dicas, easdem partes esse indifferentes, ut accipiuntur collectivè, vel distributivè; nam, licet ad hoc sint aliquo modo indifferentes, tamen non sunt indiferentes respectu cuiuslibet prædicati; neque enim e. g. elementa sunt indifferentia, ut sumantur pro libitu collectivè, vel distributivè, respectu numeri quaternarii, neque milites respectu prædicati exercitū: sed in ordine ad talem prædicationem debent determinate sumi collectivè. Verum quidem est, quod aliquando idem prædicatum, quod convenit collectioni, conveniat etiam singulis, & vicissim: e. g. tam de singulis brutis, quam de collectione eorum, potest dici prædicatum *vivens*: at hoc tantum est verum ratione materiae, nec est universale, & in multis aliis prædicatis differunt, tam istæ, quam aliae partes distributivè sumptæ, & partibus collectivè sumptis, & consequenter realiter distinguuntur. His præmissis

648. Dico. Totum, & omnes partes collectivè, seu simul sumptæ, sunt realiter idem, & non datur modus totalitatis, ita auctores plurimi, & communissime extra Scholam Subtilem: quin de auctoritate hujus sententiae meretur videri Suarez *disp. 36. Metaph. sec. 3. n. 6. Prob. 1.* pars conclusionis. Juxta adversarios, vel totum distingueretur ab omnibus partibus adæquate, vel inadæquate: neutrō modo distin-

distinguitur: ergo. prob. mi. sit totum adæquate distinguitur, tunc nulla pars est pars, quod est in terminis absurdum: si autem inadæquate distinguitur, tunc totum præter omnes partes involvet adhuc aliam partem, quod iterum est chimæricum: ergo.

Prob. etiam 2. p. conclus. Vel ista entitas superaddita, seu modus, adæquate identificatur cum toto, vel inadæquate: si primum, tunc præter ipsum nihil aliud identificabitur, adeoque partes non erunt partes: si secundum, tunc etiam ipse modus erit pars præter omnes partes: utrumque est absurdum, & chimæricum: ergo. Confir. Nulla prorsus est necessitas entitatis, omnibus partibus superadditæ: ergo non est admittenda. ant. patet ex solutione objectionum.

649. Ob. 1. Aristoteles *Metaph. sex. 19.* ait, aliud esse sex, & aliud bis tria: item *7. Metaph. sex. 7.* dividit substantiam in materiam, formam, & compositum: item *7. Metaph. tex. 59.* ait, aliud esse syllabam *Bæ*, & aliud duas literas *B*, & *A*: rursus *8. Metaph. tex. 15.* ait: *Totum est aliquid aliud præter partes:* ergo juxta Aristotelem rotum, & partes distinguuntur, adeoque debet admitti entitas partibus superaddita. Resp. neg. conseq. Ex his Philosophi dictis nihil probatur contra nostram sententiam. Primo loco Aristoteles explicat, quid sit substantia, seu essentia numeri, &

quid ejus qualitas, atque, id, quod uno vocabulo *sex* exprimitur, esse substantiam numeri: id vero, quod exprimitur duobus vocabulis, *bis ter*, esse numeri qualitatem, seu accidens metaphysicum, realiter tamen substantiaz identificatum. Quodsi etiam probaretur, Philosophum voluisse aliquid realiter diversum afferere, dici posset, numerum senarium non constitui ex duabus ternariis, divisim, & sive unione eorum acceptis, sed requiri insuper aliquam ipsorum, sive realem, sive moralem unionem.

650. Secundo loco Aristoteles tantum dicit, aliam substantiam esse materiam, & aliam esse formam, atque aliam esse compositum, & in exemplo ait, aliud esse æs, aliud figuram, aliud statuam: sed non dicit, compositum esse quid à materia, & forma distinctum: sicut neque statua est aliquid ab ære, & ejus figura distinctum; unde ex hoc loco aliud non probatur, quam materiam, & formam, esse substantias incompletas, compositum autem esse substantiam completam.

Tertio loco Philosophus tantum vult, ad syllabam *Bæ* præter geminas literas, tanquam partes ut quod, seu extrema, requiri adhuc earum conjunctionem, seu unionem, tanquam partem ut quo: quod & nos dicimus. Idem, & quidem clarius, docet quarto loco, ubi ait, in totis, non tantum coacervatis, præter partes requiri unionem, & in

in quibusdam quidem tactum , id est , contiguitatem , seu unionem continuativam : in aliis viscofata- tem , quae scilicet partes ut quod ad se invicem agglutinet . videatur Maurus in hos textus Aristotelis .

651. Ob. 1. De toto , & omnibus partibus , verificantur praedicta contradictionia : ergo distinguuntur . prob. ant. totum est unum , corruptibile , vivens : partes omnes non sunt unum , non corruptibles , non viventes : ergo . Resp. neg. ant. ad prob. dist. 2. p. ant. partes seorsim sumptae non sunt unum , & non sunt omnes corruptibles , aut viventes . conc. ant. partes simul sumptae non sunt unum , aut non sunt corruptibles , aut viventes eodem modo , ac est totum . neg. ant. & conseq.

Totum non est unum unitate in- divisibilitatis , sed tantum unitate compositionis , qua unitate etiam omnes partes collectivè sumptae sunt unum , nempe unum compo- situm . Eodem modo totum non est totaliter corruptibile , sed tan- tum secundum unam , aut alteram partem , qua corrupta jam non amplius potest dici totum : sed sic etiam est corruptibilis collectio partium ; nam e. g. destruxta unione non po- test amplius dici , quod detur tota collectio partium . Pariter etiam totum est vivens , denominatione desumpta ab una parte , nempe ani- ma : sed eodem modo etiam est vi- vens collectio omnium partium .

652. Ob. 2. Juxta nos in gene-

ratione hominis nihil generaretur : ergo homo non esset genitus , quod est falsum . prob. ant. nec anima , nec materia generaretur : ergo . Confir. 1. Juxta nos risibilitas , & risus , reciperenetur in duobus distin- ctis : hoc est absurdum : ergo . Con- firm. 2. Si totum nihil superaddit omnibus partibus , tunc non distin- guitur à parte in actu secundo : hoc est falsum : ergo . Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Strictè genera- ri , sicut & fieri , dicitur à Philoso- pho compositum (de quo vide suprà n. 11. § 99.) quamvis re ipsa non totum per actionem generati- vam de novo producatur ; ad hanc enim denominationem generati , toti tribuendam , sufficit , si per actionem generativam de novo producatur unio , quod fit etiam in generatione hominis .

Ad 1. confirm. neg. mi. Non est absurdum , quod actus vitales ma- teriales recipientur , tam in organo materiali , quam in anima spiri- tuali , de quo vide suprà n 638. Quod spectat ad risibilitatem , cùm hæc sit realiter identificata cum ho- mine , non recipitur , nisi metaphy- sicè , in omnibus tribus partibus ho- minis simul sumptis . Ad 2. con- fir. dist. ma. non distinguitur to- tum à parte in actu secundo con- cretivè sumpta . om. ma. denomi- nativè sumpta . neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Sed de hac obje- ctione jam sat's dictum est in Lo- gica à n. 773.

653. Ob.

653. Ob. 4. Partes sunt causæ totius: ergo non sunt identificatae cum toto. prob. conseq. causæ, & effectus, debent distingui: ergo. Resp. dist. ant. partes sunt causæ intrinsecæ totius. conc. ant. sunt causæ extrinsecæ. neg. ant. & conseq. ad prob. iterum dist. ant. causæ extrinsecæ, & effectus debent distingui. conc. ant. etiam causæ intrinsecæ. neg. ant. & conseq. Quod causa intrinseca non debeat adæquatè distingui à suo effectu, est extra Scholam Subtilem receptissimum apud Philosophos: & oppositum Bassolus apud Mastrium disp. 5. q. 13. n. 155. non probat: certè longè aliter ad effectum se habet causa extrinseca, cuius influxus est actio physica, quām se habeat causa intrinseca, cuius influxus est ipsa communicatio sui esse.

654. Dices 1. Causa etiam intrinseca debet saltem inadæquatè realiter distingui ab effectu: ergo totum debet saltem inadæquatè realiter distingui à partibus. Resp. om. interim ant. de quo paulò post iterum, dist. conseq. totum debet inadæquatè distingui à partibus distributivè sumptis. conc. conseq. à partibus collectivè sumptis. neg. conseq. quale inter istas partes sit discrimin, dictum est à n. 644.

Dices 2. Partes ut unitæ constituant totum, seu sunt causa totius: ergo partes collectivè sumptis sunt causa totius: ergo totum distingui-

tur etiam à partibus collectivè sumptis. Resp. om. ant. neg. conseq. melius enim diceretur, ut notavimus n. 644. quod quælibet pars ut unita sit causa totius. Sed quidquid sit, per partem ut unitam, vel partes ut unitas, aliud non intelligitur, quām pars, vel partes in actu secundo, & quidem denominative acceptæ, seu secundum id, quod dicunt in recto, de quo vide in Logica à n. 702. unde sensus propositionis objectæ: *Partes ut unita sunt causa totius*: est iste: *Partes, quando habent unionem inter se, sunt causa totius*: quæ propositione de partibus distributivè acceptis verissima est.

655. Dices 3. Quælibet pars est causa inadæquata totius: ergo omnes partes simul sumptæ, sunt causa adæquata totius: sed causa adæquata est distincta à suo effectu, ergo omnes partes simul sumptæ sunt distinctæ à toto. Hæc objectio, in qua Mastrius cis. disp. 5. q. 13. n. 154 cura aliis magnam vim facit, multum habet de voce, & parum de re. Resp. 1. om. 1. entyhememate neg. subsumpt. licet enim causa extrinseca adæquata sit distincta à suo effectu, tamen non debet esse distincta causa intrinseca adæquata, quæ si datur, ex pluribus inadæquatis composita, nihil est aliud, quām collectio omnium partium simul sumptuarum, quæ causat non efficiendo aliquid distinctum à se, sed communicando seipsum. Licet autem

tem adversarii urgeant, omnem causam debere esse distinctam à suo effectu, tamen id de intrinsecis causis probare nullo modo possunt, iisque reclamant saltem re ipsa innumeri alii. Et hæc responsio est expeditissima, & quoad rem verissima.

656. Respondent alii 2. neg. ant. & dicunt, non dari causam intrinsecam inadæquatam, sed quamlibet partem esse causam adæquatam; eum talis causa aliud non sit, quam pars, neque dari possit causa intrinseca, adæquata in hoc sensu, quod totum effectum sola causet (prout tamen causa extrinseca adæquata effectum suum sola causat) eo quod non detur pars, ut ita dicam, totalis, seu identificata cum toto. Respondent alii 3. iterum neg. ant. nam volunt, causas intrinsecas esse

solas partes ut quod, e.g. materiam, & formam, quæ simul sumptæ sint causa adæquata, & adhuc inadæquate à toto distinguantur.

Tandem addo, hoc argumentum solvendum esse Maistro, & ejus sequacibus, in totis integralibus, & accidentalibus, in quibus ipse cit. q. n. 176. & 182. non admittit entitatem superadditam, e.g. in homine albo, & statua ærea; nam patet cuique consideranti, has rationes, vel nihil probare, vel etiam probare modum totalitatis in istis compositis accidentalibus; neque enim minus albedo, & humanitas, ac unio, sunt causæ intrinsecæ hominis albi: vel æs, & figura, causæ intrinsecæ alicujus statuæ æreæ, quam materia, & forma, ac unio, sint causæ intrinsecæ compositi naturalis.

## DISPUTATIO SECUNDA.

### *De Natura, & Arte.*

657. Merito naturam, & artem, una disputatione complectimur; quia, ut habet communè proverbium, ars est simia naturæ, ejusque æmula, atque cum eadem in pluribus convenit; nam utraque ad sua opera præsupponit subiectum, & natura quidem materiam primam, ars vero secundam, de quibus suprà n. 92. utraque etiam à rudioribus incipit, & ab his pergit ad perfectiora: utraque habet

*Tom. II.*

suis leges, sive ordinationes, à quibus si deficit, monstrum parit: quam etiam respectu utriusque possint monstra provenire, ex nimietate, vel defectu materiarum, tam primæ, quam secundæ.

Discrimina tamen etiam inter naturam, & artem, est magnum, ac multiplex; nam natura, ut dicetur, est substantia: ars vero est accidens, nempe habitus intellectualis: natura in effectum influit physicè: ars tantum

M III

tantum idealiter directivè: rursus ars multum cedit naturæ quoad perfectionem operum; nam ista producit entia substantialia longè perfectiora, ac sèpissimè assimilat effectum agenti; leo enim producit aliud leonem: at ars effectum

suum tantum assimilat id est artificis. Plura alia possent afferri, sed hæc jam sufficiunt. Itaque in hac disputatione agemus, priore quidem quæstione de natura, & violento: posteriore vero de arte in genere, & una, ac altera ejus specie.

## QUÆSTIO PRIMA.

*De Natura, & Violento.*

### ARTICULUS I.

*Quid sit Natura.*

658. **V**Ox *Natura* multiplicem habet significationem; primò enim dicitur *Natura naturans*, hoc est, omnes naturas creatas producens: quæ hujus vocis acceptio competit soli Deo, ut patet. Secundò dicitur *Natura naturata*, sive *creata*: quæ significatio convenit toti rerum universitatì: & in hoc sensu dicitur, aliquid existere in rerum natura. Tertiò accipitur vox hæc pro essentia rei, prout distincta est à subsistenti: & sic dicitur, alia esse natura divina, alia humana, item Verbum assumptissime naturam humanam. Quartò per eam vocem significatur aliqua necessitas, seu determinatio ad aliquid: & sic dicitur, lapis ex natura sua tendere deorsum.

659. Quintò significatur etiam temperamentum animalis, e. g. hominis, quo in sensu dicitur aliquis

habere naturam cholericam, alias phlegmaticam. Sextò sumitur etiam hæc vox pro generatione rei; est enim natura, quasi *nascitura*, in quo sensu, attamen non solo, naturam accipit Aristoteles 1. 5. *Metaph. text. 5.* nam septem ibi significaciones huic voci attribuit, de quibus videri potest Maurus in loc. cit. attamen nos hic non agimus de ipsis omnibus: sed agimus de natura in sensu magis restricto, in quo eam accepit Philosophus 2. *Physic. text. 3.* ubi sic ait: *Tanquam natura sit principium aliquid, & causa movendi, & quiescendi, in quo est primum per se, & non secundum accidens:* ex his autem verbis definitionem, seu descriptionem naturæ, communiter sumunt Peripateticci, cum quibus

660. Dico. *Natura* est principium, & causa motus, & quietis, ejus,

*eius, in quo est primò per se, & non secundùm accidens.* Hujus conclusionis, seu definitionis communiter receptæ, explicatio sufficit loco probationis. Itaque natura primò debet esse principium, seu pars compositi, in quo est, sive intrinsecè recipitur motus, vel quies. Secundò debet esse causa motūs, & quietis, sive debet physicè influere; unde, licet privatio sit principium motūs, quia tamen in eum physicè non influit, non est natura. Sufficit autem, sive influat activè, aut efficienter, ut forma, sive passivè, aut sufflentativè, ut materia: attamen debet influere cum inclinatione; nam causa influens in effectum, ut determinata ab aliquo agente extrinseco violento, non est respectu illius effectus natura. Non autem requiritur ad naturam, ut motum in se recipiat; neque enim necesse est, ut forma compositi omnes motus à se productos etiam in se recipiat.

661. Tertiò debet natura esse causa motūs, & quietis: per quæ non intelligitur tantum motus, aut quies localis: sed quævis mutatio secundùm augmentum, vel decrementum, aut alterationem (ut exponit ipse Philosophus cit. l. 2. Phys. text. 1.) cuius scilicet antè præcessit privatio: vide infrà n. 906. Per motum autem maximè intelligitur acquisitio novi termini, & per quietem conservatio antiqui. Insuper debet hic motus esse sensibilis: an-

autem debeat esse sensibilis immediatè, ut calor, & frigus: an tantum mediataè, ut intellectiones, dubitatur.

Hoc secundum videtur sufficere Ruvio in l. 2. Phys. c. 1. q. 3. n. 31. & aliis, ex hoc ipso capite; quia alias anima rationalis non esset natura respectu suarum operationum spiritualium. Aliis autem hoc non sufficit, & his favere videtur Aristoteles l. 1. de Part. animal. c. 1. juxta divisionem Mauri a. s. n. 26. & seq. ubi negat, Physicam debere agere de omni anima: item negat, omnem animam esse naturam, saltem (ut videtur esse intelligendus) in ordine ad omnes actus: & loquitur sancè de anima intelligenda, cujus vim intelligendi videtur dicere, non esse principium motūs: res hæc est levis de nomine, nec meretur longius examen.

662. Id tamen addendum, particulam & hic non sumi strictè, seu copulativè: sed tantum latè, & disjunctivè, ut significet idem, ac vel: quod cùm etiam fiat quandoque in S. Scriptura, ut *Lewis. 20. v. 9.* item l. Cor. 11. v. 29. & alibi, Arriaga disp. 6. Phys. sec. 1. n. 3. meritò infert, idem fieri posse in exponendo Aristotele. Ratio autem ita sumendi particulam & est ista, ut salvetur, quod, si etiam daretur corpus, seu compositum physicum immobile, tamen in eo daretur natura, ex eo, quod in ipso daretur principium quietis. Alii quidem dicunt,

M m 2

natu-

naturam ut sic esse principium motus, & quietis, sive utriusque simul, sed non in omni composito: verum sic etiam esset bona definitio: *Animal est principium sentientiæ, & ratiocinandi*: quod nemo facile admittet.

Quarto natura debet composito inesse primum, & per se: hoc est, ut recte explicat Hurtadus *disp. 7. Phys. sec. 1. q. 5.* ut sit de essentiali compositione rei, seu sit rei pars essentialis, & quidem juxta quosdam pars ut quod; negant enim non pauci, unionem esse naturam: quamvis Arriaga *disp. 6. Phys. n. 7.* & Comptonus *disp. 16. Phys. sec. 1. n. 4.* velint, unionem etiam esse naturam; cum sit causa aliquorum metuum, nempe ubicationis, & durationis.

663. Quinto natura debet inesse non per accidens: quibus verbis Gaius in 2. *Phys. q. 4. a. 1.* recte ait significari, quod inexistencia naturæ in composito non beat per accidens se habere respectu motus, cuius est causa in eodem composito; hoc enim est ad mentem Aristotelis, qui l. 2. *Physic. text. 3.* docet, quod, et si Medicus se ipsum sanet, per scientiam medicam sibi inexistens, ita, ut habitus medicinae inexistens Medicus sit causa motus, seu sanitatis productæ, tamen habitus medicinae inexistens non sit natura; eo quod, etiamsi Medico ægrotō non inexitisset, sed fuisset in alio Medico, tamen ipsum sanisset.

664. Ex his colligitur, denominationem naturæ in primis convenire materiæ, & formæ, constituentibus compositum: principalius autem formæ, ut tradit Aristoteles l. 1. de Part. animal. c. i. utpote quæ magis determinatè exigit motus composito intrinsecos, quam materia. An etiam conveniat unioni, dubium est, de quo vide n. 662. Arriaga *disp. 6. Phys. sec. 1. n. 5.* vult, etiam ipsum compositum esse naturam; quia inest supposito. Sed in primis Aristoteles de supposito, ut est distinctum à toto composito, verosimiliter nihil scivit, ut advertit ipse Arriaga, & hic de natura loquimur in sensu Aristotelico: dein etiam juxta probabilem sententiam suppositum tantum superaddit composito aliquam negationem, quæ, cum nihil sit, non videtur propriè dici, ei, vel etiam complexo ex illa, & composito, inesse idem ipsum compositum.

665. Jam vero Deus, & Angeli, non sunt natura; quia non sunt pars alicujus compositi, cui inest motus. Animæ etiam separatae, quia non sunt actualis pars compositi, saltem non sunt natura in actu secundo. Subsistens, cum ut distincta à composito tantum dicat negationem, quæ non potest esse causa physica alicujus rei, etiam ipsa non est natura: sicut nec habitus, scientiæ, artes, & quævis accidentia; quia non insunt primo, & per se: sive non sunt pars substantialis, seu

seu essentialis, quod tamen requiritur ad naturam *ex n. 662.*

666. Ob. 1. Verbum divinum non est natura, & tamen est in Christo causa intrinseca motuum ei intrinsecorum: ergo adducta definitio est mala. Confir. Forma est natura, & tamen composito non est primū: ergo. prob. ant. forma supponit materiam: ergo. Resp. neg. 2. p. ant. Verbum non est principium, seu pars, vel causa intrinseca Christi; nam pars, & causa intrinseca, dicunt aliquid incompletum, compleibile, & perfectibile per partem: quæ non convenient Verbo infinitè perfecto; unde Verbum est tantum terminus intrinsecus Christo, seu physicè unitus ejus humanitati. videatur. etiam Suarez *disp. 12. Metaph. sec. 2. n. 10. & 11.* Adde, quodd Verbum non sit causa motuum intrinseca Christo, nisi per accidens, ut dictum *n. 663.* de arte medica in *Medico agroto*; quia Verbum non habet alium influxum in motus humanitatis Christi, quam habeat Pater, & Spiritus S. & quem etiam Verbum haberet, si humanitati unitum non esset. Ad confir. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Per primū inesse non intelligitur ita inesse, ut nihil prius naturā præsupponat: sed intelligitur inesse tanquam partem primæ radicis omnium motuum, seu tanquam partem substantialem compositi.

667. Ob. 2. Juxta Aristotelem

natura est determinata ad unum: ergo non est principium motū, & quietis. Resp. dist. ant. natura, id est potentia necessaria, est determinata ad unum. conc. ant. natura, prout hīc accipitur. neg. ant. & conseq. Axioma hoc, ut habet Reeb *de Axiom. phil. n. 96.* desumptum est *ex l. 9. Metaph. text. 3.* ubi Aristoteles dat discriminem, inter potentias rationales, ac irrationales, & non adhibendo vocem *natura* dicit, quodd potentiae rationales sint contrariorum, *irrationales vero una unius*: quæ non veniunt ad rem; quia naturam ibi Aristoteles opponit libero, & per eam non intelligit tantum causam motū &c. qualem tamen intelligit *z. Phys. text. 3.*

668. Ob. 3. Idem non potest esse principium oppositorum: sed motus, & quies sunt opposita: ergo. Confir. Si natura debet esse principium motū, tunc anima non est natura respectu sensationum: hoc non est verum: ergo. prob. ma. motus physicus est motus sensibilis: sensations non sunt sensibiles: ergo. Resp. dist. ma. idem manens idem, seu in iisdem circumstantiis, non potest esse principium oppositorum. om. ma. in diversis circumstantiis. neg. ma. & om. mi. neg. conseq.

Dixi. om. ma. nam libera possunt in iisdem circumstantiis agere opposita, non quidem in sensu composito, sed tamen in sensu diviso.

M m 3

In

In diversis autem circumstantiis id possunt etiam causæ necessariæ; sic enim sol indurat lutum, & emollit ceram. Dixi etiam. om. mi. quia, licet motus localis, & quies localis opponantur, tamen non strictè sibi opponuntur motus e. g. nutritionis, & quies, seu conservatio ejusdem. Ad confir. neg. ma. ad prob. dist. mi. sensations non sunt sensibiles objectivæ, seu per modum objecti. om. mi. non sunt sensibiles formaliter, seu non sunt formæ denominantes potentiam sentientem, neg. mi. & conseq. Etsi visio non posse videri, ut e. g. albedo, tamen denominat hominem formaliter videat, id est, sentientem.

669. Ob. 4. Materia aquæ est causa passiva caloris: ergo juxta nos esset natura respectu caloris: sed hoc est falsum: ergo. Confir. Juxta nos totum artificiale esset naturale: hoc est iterum falsum: ergo. Resp. neg. conseq. Requiritur ad naturam ex n. 660. ut causa influat in motum cum inclinatione: at materia aquæ influit in calorem con-

tra suam inclinationem; licet enī materia prima ut sic sit indifferens ad accidentia opposita, tamen ut unita certæ formæ induit inclinationem formæ, tanquam necessariam ad conservationem compositionis: inclinatio autem aquæ est ad frigus, non ad calorem. Idem dicendum de quantitate, si hæc, ut communiter docetur, sit subjectum immediatè sustentativum accidentium aliorum.

Ad confirm. dist. ma. totum artificiale esset naturale, ita, ut etiam ejus forma esset natura, sicut natura est forma totius naturalis. neg. ma. in alio sensu om. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. naturale enim aliiquid dicitur multipliciter, de qua re nūm. seq. Examinant huc aliqui, an natura possit demonstrari: & respondent, juxta Aristotelem ridiculum esse, velle demonstrare, quod detur natura: id quod intelligendum videtur de demonstratione à priori; nam à posteriori utique patet, dari animas hominum, & animalium, ac alias formas, & materias, quibus convenit definitio naturæ.

## ARTICULUS II.

### *Quid sit Naturale, & Supernaturale.*

670. **S**icut vox *Natura*, ita etiam prædicatum *Naturale* in multiplicitate significatione adhibetur; nam primò significat, quod à natura strictè sumpta (quam n. 660.

definivimus) procedit: & sic dicuntur motus naturales plurimi, qui ab anima in corpore producuntur. Secundò, quod est necessarium: & sic *naturalis* est descensus lapidis verius

*versus centrum: quo in sensu naturale opponitur libero. Tertiò, quod non est violentum, ut calor igni, vel lux aëri.*

*Quarto significat naturale, quod est debitum: & sic naturalis est calor igni, non autem lux aëri: & in hoc sensu naturale opponitur neutro. Quintò, quod non est casuale, vel fortuitum: & sic mors naturalis est homini valde seni. Sextò naturale significat omne id, quod à causis naturaliter operantibus originatur: atque in hoc sensu opponitur supernaturali: & de naturali, in hac significatione accepto, modò agimus, ejusque definitionem, seu regulam discernendi ens naturale à supernaturali inquirimus, acturi postea de naturali, prout opponitur motui violento, vel etiam neutrō.*

671. Dico 1. *Ens naturale*, prout opponitur supernaturali, est illud, quod alicui *creata substantia* ut quod determinatè, vel indeterminatè debetur. ita communis, praesertim nostrorum recentiorum. Dixi autem *substantia* ut quodd; nam unioni hypostaticæ, quæ est supernaturalis substantia, sed ut quo, debentur multa accidentia supernaturalia: at verò supernaturalis substantia ut quodd non est possibilis, ut communiter defendunt Theologici cum Suarez in 1. p. l. 2. de Atributis. Dei c. 9. An. 14. Conclusio non indiget alia probatione, quam, quod hæc definitio conveniat

omni, & soli, & sit clarior definitio: quæ patebunt, partim ex mox danda aliquorum huc spectantium declaracione, partim ex solutione objectionum.

672. Ut hæc melius intelligantur, opus est distinguere capacitem, & exigentiam. *Capacitas* est tantum aptitudo subjecti ad aliquid recipiendum, sive sit debitum, sive indebitum, sive sit bonum subjecto, sive malum, aut violentum: sic aqua habet capacitem ad calorem sibi violentum, & homo ad gratiam sanctificantem sibi minimè debitam. *Exigentia* verb, quæ etiam vocatur *Ius physicum*, est tendentia, vel inclinatio subjecti, ad bonum sibi, vel determinatè, vel indeterminatè debitum.

673. *Debitum* autem est illud, sine quo res non tantum esset negativè imperfecta, seu carens majori perfectione (quomodo imperfectæ sunt omnes creature) sed esset positivè imperfecta, seu defecuosa (quo modo imperfectus est equus cæcus) & siquidem res sit determinatè debita, tunc ens sine illo determinatè sumpto est positivè imperfectum, ut equus sine oculis: si verò res sit indeterminatè debita, tunc ens est positivè imperfectum, quando nihil eorum habet, in quæ ejus exigentia fertur: sic materia prima exigit indeterminatè formam substantialem, & hinc, si nullam haberet, esset positivè imperfecta: at non est talis, si ratiocina aliquara

aliquam determinatam, e. g. rationalem, non habet; quia etiam alia forma ejus exigentia satisfacit.

674. Huc spectat etiam *Appetitus*, qui est duplex: unus propriè talis, & vocatur *Appetitus elicitus*, estque actus voluntatis in homine, aut potentiae appetitivæ in brutis, quo bonum aliquo modo cognitum appetitur: nec datur in aliis, quam in viventibus virtute sensitivæ, aut intellectivæ: & quidem in intelligentibus aliquando, est *liber*: hoc est, appetit bonum, attamen posset non appetere: aliquando est *necessarius*: hoc est, naturaliter non potest non appetere. Addo, quod quidem appetitus elicitus feratur semper in bonum, saltem secundum quid (nam malum qua malum appeti non potest) attamen non semper feratur in bonum debitum; nam potest e. g. mendicus appetere regnum Hispaniarum, & canis cibum nimium, vel etiam deliciissime præparatum. Subdividitur iterum hic appetitus, & alias quidem dicitur *Appetitus desiderii*, qui fertur in bonum absens: alias *Appetitus gaudii*, qui fertur in bonum præsens: alias *Appetitus utsic*, qui abstrahit ab absentia, & præsentia boni.

675. Alter appetitus est tantum metaphoricè talis, & dicitur *Appetitus innatus*; quia similitudinem habet cum appetitu elicto, ferè talem, qualem habet risus præxi cum risu hominis: re ipsa autem

appetitus innatus aliud non est, quam ordinatio naturalis, & inclinatio rei ad suum bonum: sicut aqua dicitur appetere frigus, & ignis calorem. Communiter confunditur appetitus innatus cum exigentia (de qua n. 672.) quamvis nonnulli eum distinguant, dicantque, exigentiam dari tantum ad bonum debitum: appetitum verò ferri in bonum, sive hoc debitum, sive indebitum sit, non autem in violentum, per quod ajunt, appetitum differre à pura capacitate; cum hæc etiam detur ad violentum. Sed, cum de re controversia non sit, de nomine facile potest consentiri.

676. Petes, quid ergo cuique rei sit debitum, ita ut sine eo sit positivè defectuosa. Resp. hanc litem vix non adhuc pendere sub judice: interim dicendum. Primo cuique rei debetur aliquis finis; nihil enim inutile, & frustraneum facit natura: quis autem finis cuique rei in particulari debeatur, sæpe desumendum est à posteriori. Secundo debentur cuique rei media ad obtinendum suum finem; quia debet posse hunc consequi: de his autem mediis, utl & de debito, atque etiam appetitu determinato, ac indeterminato, vide dicta n. 398. Ex hoc infertur, deberi materiæ primæ aliquam formam, itemque dispositiones ad eam; cum materiæ finis, scilicet compositum naturale, sine his obtineri non possit.

677. Tertiò debita sunt cuilibet rei

rei ea', quæ necessaria sunt ad ejus conservationem; unde formis substantialibus debita sunt accidentia ea, sùmè quibus naturaliter existere non possent. Quartò debita sunt formis substantialibus illa accidentia, pro quibus pugnant, & quæ amissa reparant; nam ex hac pugna, aut reparatione, colligitur eorum jus physicum. Accedit, quod ordinariè istæ formæ, si accidentibus quoad omnes gradus spoliarentur, conservari non possent. An autem omnia sint determinatè, vel saltē indeterminatè debita, quæ subjecto bona sunt, & quorum consecutio vires naturæ totius non excedit, pendet ex eo, an detur motus neuter, an non, de quo inferius.

Dico jam 2. *Ens supernaturale* est, quod nulli creatæ substantiæ quod determinatè, vel indeterminatè debetur. ita communiter etiam Theologi. Dixi substantiæ quod; nam istam SS. Patres intelligunt per creaturam simpliciter dictam, quando docent, ens supernaturale nulli creaturæ deberi: dein, utjam dictum n. 671. unioni hypostaticæ, quæ est substantia ut quo, multa debentur accidentia supernaturalia. Pariter etiam accidentibus supernaturalibus debentur iterum alia accidentia supernaturalia: e. g. lumini gloriæ debetur visio beatifica. Prob. conclusio facile. Si naturale, ut est oppositum supernaturali, necessariò debetur

*Tom. II.*

alicui creatæ substantiæ ut quod, tunc, quod nulli tali substantiæ debetur, non est naturale, adeòque est ei oppositum, sive est supernaturale: ergo.

In idem re ipsa incidit alia definitio, qua ens supernaturale dicitur esse id, quod superat vires, & exigentiam totius naturæ creatae; per vires autem debent intelligi, tam activæ, quam passivæ; nam, licet nullæ vires activæ creatæ exigant producere animam rationalem, tamen ipsa non est supernaturalis; quia materia prima habet vires passivas, eam saltē indeterminatè existentes.

678. Dividitur jam supernaturale in *Supernaturale Theologicum*, & *Supernaturale Philosophicum*. Prius est, quod ex intrinsecis suis prædicatis ordinatur ad visionem beatificam, ut gratia sanctificans. Alterum est, quod non ita ordinatur, ut resuscitatio mortui. Rursus dividitur in *Supernaturale quoad substantiam*, & *Supernaturale quoad modum*. Illud est, quod in nullis circumstantiis debetur naturæ creatæ, ut gratia sanctificans, vel resuscitatio mortui. Hoc est, quod quidem non debetur in his circumstantiis, at debetur in aliis: tale est productio rosæ in hyeme, vel instantanea curatio morbi, naturaliter quidem, sed lentè curabilis.

Dividitur denuo in *Supernaturale in se*, & *Supernaturale presuppositivæ*. Primum est, cui propriæ

Nn

conve-

convenit definitio data: secundum est tantum analogicè supernaturale; nam est ens re ipsa naturale, at-tamen præsupponens aliquid supernaturale, e. g. comestio, vel ambulatio, hominis à morte resuscita-ti. Plura hac de re Theologi, ad quorum forum plenior ejus discus-sio spectat.

679. Ob. 1. Ex dictis sequeret-  
tur, Petrum e. g. qui accepit à Deo  
excellens ingenium, ac corpus per-  
fectè integrum, & optimè confor-  
matum, non debere Deo propterea  
grates agere: hoc est absurdum: er-  
go. prob. ma. ista erant ipsi debita:  
ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist.  
ant. erant debita debito justitiae.  
neg. ant. debita debito naturæ. sub-  
dist. erant determinatè ipsi debita.  
neg. ant. tantum indeterminatè.  
conc. ant. & neg. conseq. In pri-  
mis debito physico potest Deus con-  
travenire sine ulla injuria: sicut nos  
non facimus injuriam aquæ, quan-  
do eam calefaciendo spoliamus fri-  
gorè, ei physicè debito.

Dein bonum ingenium, & cor-  
pus integrum, sunt particularibus  
hominibus tantum indeterminate  
debita, & utique favor est Dei erga  
Petrum, si ipsi potius, quam alteri,  
ea conferat: sicut collator beneficij  
ecclesiastici, obligatus ad id alicui  
indeterminate sumpto conferen-  
dum, favorem gratiarum actione  
dignum exhibit Titio, si id ipsi præ  
alis confert; unde utique etiam Deo  
debentur humillimæ grates à Petro.

680. Ob. 2. Juxta nos visio bea-  
tifica esset naturalis: hoc est falsum:  
ergo. prob. ma. anima rationalis,  
quæ est substantia creata ut quod,  
eam producit, ac recipit: ergo non  
superat ejus vires activas, & passi-  
vas, sed potius ipsi debetur, adeo-  
que est naturalis. Resp. neg. ma. ad  
prob. dist. ant. anima eam produ-  
cit, ac recipit, per potentiam natu-  
ralem, & exigitivam. neg. ant. per  
potentiam pure obedientialem.  
conc. ant. & neg. conseq. *Potentia  
naturalis*, seu exigitiva, est illa,  
quæ, vel activè, vel passivè influit  
in effectum, cum exigentia, seu jure  
physico, dñi quibus dictum n. 672.  
*Potentia obedientialis* (de qua fu-  
sius infra à n. 1379.) est talis con-  
stitutio rei, ut possit tanquam in-  
strumentum Dei, cum extraordina-  
rio concursu omnipotentia divini-  
z, influere in effectus sibi indebit-  
es: & ut talis potentia influat ani-  
ma rationalis in visionem beatifi-  
cam.

681. Dices 1. Anima rationalis  
est capax visionis beatificæ: ergo  
hæc est illi debita. prob. conseq. il-  
lud debetur alicui enti, sine quo  
non expletur ejus capacitas: atqui  
sine visione non expletur capacitas  
animæ: ergo. prob. ma. alias capa-  
citas illa non posset obtinere suum  
finem, adeoque esset superflua: hoc  
dici non potest: ergo. Resp. neg.  
conseq. ex dictis n. 672. ad prob.  
neg. ma. intellectam de capacitate  
pura. ad hujus prob. iterum neg.  
ma.

ma. Capacitatis ut sic finis intrinsecus non est actu recipere, sed tantum reddere subiectum aptum ad recipiendum; unde non est inutilis, aut superflua, si non impleatur; nam absque hoc obtinet finem suum, ut patet. Et sane liberalitas Dei exigit, ut detur in homine capacitas etiam ad indebita, ut scilicet etiam talia dona possit ei conferre; alias, si omnia homini essent debita, quæ Deus potest homini conferre, & homo recipere, debita etiam esset unio hypostatica, quod est apertè falsum.

682. Dices 2. Saltem visio beatifica erit tantum præsuppositivè supernaturalis: hoc est falso: ergo. prob. ma. supposito lumine gloriae visio necessariò elicitor ab anima: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. elicitor ab anima agente ex iure suo, & per potentiam exigitivam. neg. ant. ab anima agente tantum per potentiam obedientiale. conc. ant. & neg. conseq. Lazarus à morte suscitatus, per potentiam suam naturalem, & exigitivam, producebat comediones, ambulationes, item cognitiones de sua resuscitatione: at non ita anima producit visionem beatificam, per potentiam exigitivam, sed tantum per obedientiale, elevatam per lumen gloriae, cui, & non animæ, debetur ea visio.

683. Quæres, an prima productio universi, item Angelorum, in eo conditorum, fuerit naturalis;

cum ante eam nihil fuerit, adeoque etiam ante eam non fuerit data exigentia ad illam. Resp. naturalem fuisse; nam in primis prima productio rei non differt specie à conservatiōne ipsius, nisi mutetur causa, ut fatentur omnes: sed conservatio universi, & Angelorum est naturalis: ergo & prima productio. Dein illud est enti naturale, & ab eo exigitur, sine quo non potest existere: atqui universum, aut Angeli, non possunt sine sua productione existere: ergo. Hinc collige, illam exigentiam, seu appetitum innatum, vi cuius aliquid dicitur alicui enti naturale, non debere dari pro priori temporis, aut naturæ, sed sufficere, si sit simul tempore, etiamsi sit pro posteriori naturæ, sicut scilicet effectus natura-liter exigit causam.

684. Ne autem dicas, ex his sequi, quod, si non fuisse data actio productiva universi, huic facta fuisse violentia, quod est falso; nam respondeatur, nihil posse esse violentum rei non existenti; quia tunc neque existit ejus exigentia, aut appetitus, contra quem debet dari violentum. At, quando datur actio productiva, simul etiam datur res producta, adeoque etiam ejus exigentia, ratione cuius redditur ipsa actio naturalis. Evidem etiam enti supernaturali eodem modo debita est actio ejus productiva: sed eis ipso, quod ens sit supernaturale, etiam actio productiva est super-

naturalis, non autem strictè loquendo naturalis; quia et non convenit definitio entis naturalis, statuta

n. 671. sed convenit ipsi definitio entis supernaturalis, allata.  
n. 677.

## ARTICULUS III.

### *An sit possibilis Motus Neuter.*

685. **M**otus neuter hinc intelligitur, non respectu agentis (nam, qualiscunque motus detur, debet esse ab aliquo agente naturaliter productus, ut patebit ex dicendis) sed respectu passi, in quo recipitur. *Motus neuter* autem (sive, ut à quibusdam vocatur *Medius*) est motus quidam ab agente naturaliter productus, attamen passo, nec naturalis, nec violentus: & de hujus possibilitate hinc queritur, & quæstio non parùm habet de nomine. Negant eum motum dari Cajetanus, Sotus, quos sequuntur alii in manuscriptis: affirmant verò S. Thomas in l. 1. de *Callo* lect. 4. Suarez *disp. 43. Metaph. sec. 4. n. 13.* Oviedo *Controv. 6. Phys. punct. 3. n. 14.* & alii plures, cum quibus

686. Dico. Possibilis est motus neuter. Prob. Non videtur esse ultra ratio negandi, quod causa aliqua naturalis producere possit in aliquo subjecto effectum non supernaturale, qui tamē illi subjecto, seu passo, neque sit violentus, neque etiam determinatè, vel indeterminatè debitus: hic erit motus neuter: ergo. Confir. Probabili-

ter actu datur talis motus: ergo est possibilis. prob. ant. talis motus probabiliter respectu aëris est lumen in ipso, à sole productum: ergo.

Prob. ant. Lumen non est violentum aëri, ut patebit ex n. 693, ubi de violento: neque etiam est illi determinatè, vel indeterminatè debitum; nam finis aëris non est, ut sit illuminatus; alijs in obscuris terræ cryptis esset sine suo fine: neque lumen est medium ad finem aëris; quia ad nullum finem aëris, sive antiquis, sive & recentioribus assertum, est necessarium lumen: neque etiam aës pugnat pro lumine, ut aqua pro frigore, sed clausis e.g. valvis illud facillimè relinquit: ergo non est ratio dicendi, quod lumen aëri sit strictè naturale, sed potius est dicendum, quod sit motus neuter.

687. Ob. 1. Aristoteles 4. *Phys. text. 67.* ait: *Omnis motus, aut violentia, aut secundum naturam fit:* ergo nullus datur motus neuter. Confir. Omnis motus non supernaturalis debet saltem alicui causa activæ eum producenti: ergo non est neuter. Resp. neg. conseq. Aristó-

Aristoteles cit. text. tantum loquitur de motu locali, de quo non dispuo, an possit esse neuter, an non; quamvis aliqui ex Philosopho ve-  
lint probare, motum circularem  
caeli esse neutrum. Ad confir. neg.  
conseq. Diximus jam n. 685. non  
quæri hic de motu neutro respectu  
agentium, sed passorum: nec dici-  
mus, lumen esse motum neutrum  
respectu solis, sed respectu aëris.

688. Ob. 2. Omnis motus, vel  
est perfectivus subjecti, vel deter-  
iorativus ejusdem, vel neque est  
perfectivus, neque deteriorativus:  
atqui nullus ex his est neuter: er-  
go. prob. mi. qui est perfectivus, est  
debitus, adeoque naturalis: qui est  
deteriorativus, est violentus: qui  
verò, neque est perfectivus, neque  
deteriorativus, est inutilis, conso-  
quenter etiam violentatus: ergo.  
Resp. neg. mi. ad prob. neg. i. p.  
ant. hoc enim ipsum est, quod ne-  
gamus, nempe omnem motum per-  
fectivum subjecti esse ipsi debitum.  
An autem omnis motus, non qui-  
dem utilis passo, attamen utilis uni-  
verso, sit illi violentus, meritò in  
dubium vocari potest: sed id inte-  
rim omitto.

689. Dices i. Omne ens appetit bonum sibi naturaliter possibile:  
ergo est illi naturale. prob. ant. bo-  
num, & appetibile, convertuntur:  
ergo. Confir. Omne passum est à  
natura destinatum, ad recipiendam  
omnem suam perfectionem: ergo  
hæc naturaliter ei debetur. Rep.

neg. ant. si sermo sit de appetitu in-  
nato, & exigutivo, quem solum  
omnia entia habent: si autem ser-  
mo esset de appetitu elicito, quem  
sola habent animalia, negaretur  
consequentia; quia hic appetitus  
potest etiam ferri in indebitum ex  
n. 674. Ad confirm. ora. ant. neg.  
conseq. Passum à natura etiam est  
destinatum ad recipiendos motus  
violentos; nam hæc ordinatio pas-  
sorum etiam est intenta in bonum  
universi; quare, sicut motus vio-  
lenti propterea non sunt naturales  
passo, ita neque propterea natura-  
les sunt omnes motus perfectivi.

690. Dices 2. Omne ens fugit  
suum malum: atqui esse imperfe-  
ctius est aliquid malum: ergo omne  
ens fugit esse imperfectius: ergo ap-  
petit omnem perfectionem, naturaliter  
sibi possibilem. Confir. Si non  
omne ens appetit omnem suam per-  
fectionem, nulla est ratio dicendi,  
quod ignis appetat octavum gra-  
dum caloris: hoc non potest admit-  
ti: ergo. Resp. dist. mi. esse imper-  
fectius tantum negativè est malum.  
neg. mi. esse imperfectius positivè.  
conc. mi. & sub eadem dist. conc.  
vel neg. i. conseq. absolute autem  
neg. 2. conseq. Ad confir. neg. ma.  
Rationem jam dedimus n. 670. nam  
ignis pugnat pro octavo gradu ca-  
loris, &, si illum amisit, eum re-  
parat, quantum circumstantiæ per-  
mittunt.

691. Ob. 3. Omnis potentia  
activa appetit omnem suum actum-  
N n ; ergo

ergo etiam omnis potentia passiva. Confir. Saltem materia prima appetit indeterminatè omnem motum: ergo respectu illius non datur motus neuter. prob. ant. materia prima appetit indeterminatè omnem formam substantialiem: sed quilibet motus est aliqua dispositio ad aliquam formam: ergo. Resp. 1. neg. ant. non enim omnis potentia activa appetit omnem actum, ad quem à principio violento determinatur: e. g. anima non appetit sensationem summè doloriferam, ad quam e.g. à forcipe, carnes crudeliter torquentे, determinatur. Resp. 2. neg. conseq. Causa activa adhibet conatum aliquem positivum, & activum, qui ex se ordinariè est signum exigentia, & inclinationis: at causa passiva adhibet tantam sustentationem, seu, si ita vis dicere, conatum sustentativum, qui datur finè exigentia, etiam in ordine ad actus violentos.

692. Ad confir. dist. ant. materia seorsim sumpta, & necdum unita alicui formæ substantiali, appetit indeterminate omnem motum.

om. ant. materia ut jam unita. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. ma. ut priùs, & om. mi. ac sub priore distinctione conc. vel neg. conseq. Si materia sumitur præcisè, ut est in se, tunc, cùm ut taliter sumpta nondum sit sub ulla forma, ejus appetitus fertur indeterminate in omnes formas, & consequenter eodem modo sive omnes dispositiones, pro priori naturæ ad introductiōnem formarum requisitas; quamvis non videantur omnes motus esse dispositiones ad aliquam formam: & fers difficulter posset ostendi, ad quam formam pro priori disponat e.g. lumen.

Si autem materia sumatur ut unita formæ, tunc ut talis induit inclinationem, & appetitum formæ, ex dictis n. 669. consequenter, quod formæ non est debitum, etiam non est in iis circumstantiis debitum materiæ, sed etiam huic est neutrū. Responderi etiam potest, dari in sensu rigoroso motum neutrū respectu compositi, quod sufficit nostræ conclusiōni. vide etiam Suarezium, citatum n. 685.

## ARTICULUS IV.

*Quid sit Violentum, & an possit ab una Creatura alteri inferri.*

693. Dico 1. Violentum est mōsus, qui provenit ab extinſeō, nullam vim conferente passo. ita communis, & sumitur ex Aristotele 3. Ethic. seu Moral. Ni-

com. c. 1. ubi ait: *Ia autem est violentum, cuius principium extinſecus ejusmodi est, ut ei, neque qui agit, neque qui patitur, quippiam conferat;* & addit exemplum venti, aliquid

aliquid vi sua transferentis. Prob. conclus. Definitio hæc in primis recepta est communissime, adeoque, sicut multæ aliz, non usquequaque exactæ, est retinenda: dicin convenit omni, & soli, estque aliquo modo clarior definitio: quæ claritas major adhuc erit addita aliqua explicatione, quam subiungo.

694. Itaque motus violentus debet provenire à principio extrinseco, saltem tanquam à principio mediate, principaliter tamen determinativo, ut, si quis arripiat te in vita manum tuam, ac eâ alium percutiat, quod est exemplum Philosophi s. *Moral. Epidem.* c. 9. vel, si quis infigendo tibi acum determinet te ad eliciendam sensationem doloriferam; nam talis percussio, & talis sensatio est voleata. Præterea debet passum, cui infertur violentia, nihil conferre: per quod communiter intelligitur, quod passum debeat positivè resistere, ita, ut non nisi coactum concurrat passivè ad motum violentum, seu cum sustentet (nam hic debet habere subjectum sustentativum, ut est clarum) item, & multò magis, quod passum non debeat activè influere, nisi cogatur externa vi; ita enim, auctores hæc verba communissime explicant, atque etiam sufficienter tradit Aristoteles *l. Magn. Moral.* c. 13. ubi ad violentum requirit coactionem, ac dicit: *Violenti igitur hac nobis erit definitio: quorum agendi causa, à qua cogantur, fuc-*

*rit externa, vis est.* Dixi, motum violentum debere provenire à principio extrinseco; nam, si violentum non est motus positivus, sed negatio, e. g. ablacio frigoris in aqua, non debet provenire à principio strictè dicto; cum enim negatio nihil sit, non datur respectu ejus principium, seu causa producens strictè dicta: potest tamen principium, seu causa negationis minus strictè dici illud ens, quod producit aliquid, vel determinat ad aliquid, ex quo sequitur illa negatio, vel destructio, vel cessatio &c.

695. Ulterius ad violentum requiritur 1. ut bonum, quod auferatur, determinatē debeatur passo: & malum, quod infertur, sit contra jus physicum ipsius; hinc homini in individuo non est violentum, si careat bono ingenio; quia hoc ipsi non est determinatē debitum. 2. ut bonum ablatum non compensetur alio meliori, vel saltem æquivalenti; hinc quantitas evcharistica non patitur violentiam, ob subtractionem subjecti, seu materiæ primæ; quia compensatur hujus defectus per actionem creativam; ut violentum simpliciter tale sit contra appetitum nobiliorem passi; si enim tantum esset contra appetitum ignobiliorum, dicendum esset tantum violentum secundum quid, & simpliciter naturale, ut communiter docent.

696. Distinguuntur autem in eodem passo variū appetitus: & in primis

mis Elicitus, & Innatus, de quibus agimus n. 674. item Appetitus Universalis, & Particularis. Prior est, quo quælibet res, tanquam pars universi, exigit, conservare bonum commune universi. Posterior est, quo res fertur in bonum proprium particulare. Ad universalem in hac quæstione non adeò attenditur, ut magis patebit ex solutione objectionum. Elicitus censetur nobilior, quam innatus: inter innatos verò ille censetur nobilior, qui provenit à gradu metaphysico, seu prædicato nobiliore; unde e. g. arbori est simpliciter violentum non posse in altum crescere; quia appetitus innatus crescendi in altum, provenit à gradu, seu prædicato vegetativi, quod est prædicatum nobilissimum, quam prædicatum gravissimum, à quo provenit appetitus tendendi deorsum: interim tamen ratione hujus appetitus potest ipsum non crescere dici naturale secundum quid.

Dividitur autem violentum in *Physicum*, & *Morale*. Prius, seu *Violentum physicum* est motus, cui passum resistit per suum jus physicum, & quandóque per reactionem: & de hoc hic agimus. *Violentum morale* est aliquid, cui passum resistit per jus morale, seu potestatem legitimam disponendi de re sua, & alterum impediendi, ne contra suam voluntatem de re illa disponat, ea utendo, eam destruendo &c. de quo violento agere

non spectat ad Philosophos, sed Juristas, ac Theologos.

697. Dico 2. Potest una creatura alteri inferre violentiam. ita communissima. Prob. Potest una creatura alteram spoliare bono determinatè debito, et que positivè inferre malum physicum: ergo. conseq. patet. ant. prob. potest e.g. ignis privare aquam frigore determinatè debito (nam hoc est necessarium ad conservationem aquæ, & pro eo aqua acriter pugnat, idque amissum iterum reparat) item potest idem ignis in aqua, nil conserente, sed contranitente, producere calorem, qui est dispositio ad istius corruptionem, adeoque est contra jus physicum aquæ: ergo.

698. Ob. 1. contra 1. conclus. Qui seipso occidunt, dicuntur inferre sibi violentas manus, seu violentiam: sed hæc actio non provenit ab extrinseco: ergo ad violentum non requiritur, ut proveniat ab extrinseco. Confir. Juxta nos mors non esset violenta homini; quia in morte non amplius datur appetitus: hoc est contra communem: ergo. Resp. dist. ma. dicuntur, sibi inferre violentiam in sensu physico. neg. ma. in sensu aliquo grammatical, vel tropico per catchresin. conc. ma. & mi. atque sub priori distinctione etiam conc. vel neg. conseq. In tali casu mors non est contra appetitum nobiliorum, adeoque non est in sensu physico violenta.

Hinc

Hinc neque Martyribus mors, quam desiderabant, ac sustinebant, fuit physice violenta; quia non fuit contra appetitum eorum rationalem, qui est nobilior. Attamen mors fuit Martyribus moraliter violenta; quia fuit contra eorum jus morale ad vitam, quo vel non potuerunt cedere, vel saltem, ut vult Lugo de *Inst. disp. 8. sec. 1. n. 7.* non cesserunt. Multo minus est violentia physica, si quis operibus penitentiaz, e. g. flagris, corpus castiget. Ad confir. jam responsum est supra n. 37. & 38.

699. Ob. 2. Juxta nos motus lapidis sursum projecti non esset ipsi violentus: hoc est contra communem persuasionem: ergo. prob. ma. motus ille proveavit ab impetu intrinsecè recepto: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. conseq. nam, licet impetus sit intrinsecè receptus in lapide, tamen ortus est à projectione, seu impulsu manus extrinseco: atque adeò motus lapidis sursum est à causa extrinseca principaliiter determinante, & hinc est violentus, ex dictis n. 694. Idem dicendum de concursu passivo materie, vel quantitatis aquae, in ordine ad calorem, ab igne in aqua producentem, de qua re vide etiam dicta n. 669.

700. Dices. Quando lapis ex alto relabitur, tunc ipse ubicationes, quas successivè in aëre producit, prius sublimiores, dein depresso-  
res, donec veniat ad terram, sunt  
*Tess. II.*

violentæ: atqui istæ sunt ab intrinseco, absque causa extrinseca principaliter determinante: ergo. prob. ma. illæ ubicationes sublimiores affigunt lapidem loco sublimi: ergo sunt violentæ. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. illæ ubicationes affigunt lapidem loco sublimi, transiunter tantum, & ita, ut sint medium necessarium ad finem lapidis. conc. ant. secus. neg. ant. & conseq.

Certè lapis talis non potest, non transito ære pertingere ad terram, aut centrum, ad quod gravia tanquam ad finem tendunt: quod autem est necessarium ad obtinendum finem, non potest esse simpliciter violentum, sed ad summum violentum secundum quid: sic medicina etiam amarissima, sed necessaria ad servandam vitam, non est simpliciter violenta. Hic tamen addo, supponi, quod appetitus, in lapide nobilissimus, sit appetitus gravitatis, quod tamen est valde dubium: & si non sit, argumentum statim corruit.

Addendum, quod motus sufficienter sit ab extrinseco, licet nulla causa extrinseca in eum influat, modò ad ipsum determinet: sic, licet in pendulo sola gravitas globi, ac impetus eidem intrinsecus, producent motum arcuatum globi, & consequenter motum ejus sursum, tamen hic motus sursum est globo violentus; quia, licet funis penduli, globo extrinsecus, in motum glo-  
bi  
O o

bi non influat, tamen ad eum determinat; si enim funis globum non retineret, hic rectè deorsum caderet. Pariter motus lapidis in plano declivi est aliquo modo violentus; quia planum determinat ad hunc motum, impediendo, ne lapis directè deorsum tendere possit. At, si ponatur terra, in medio omnino perforata, & lapis ad centrum defatus impetu suo ultra ferri, adeoque ex altera parte ascendere, videtur hic ascensus non esse violentus; quia non adesset ullum extrinsecum, aut causans, aut determinans hunc motum.

701. Ob. 3. Si sufficit ad violentum, quod aliquis impediatur à bono sibi determinatè debito, contra suam inclinationem, aut appetitum, tunc etiam Deus patitur violentiam: hoc est falsum: ergo. prob. ma. Deus privatur honore extrinseco, & aliquando etiam aliquibus effectibus, ad quos habet jus determinatum, atque etiam appetitum, seu inclinationem: ergo. Resp. dist. ma. si sufficit, ut aliquis impediatur quomodounque. conc. ma. si tantum sufficit, ut impediatur coactè. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. ad prob. dist. ant. privatur coactus. neg. ant. sponte non resistens physicè. conc. ant. & neg. conseq.

Ad violentum physicum propriè dictum requiritur, ut id fiat passo, quantum potest, resistente, & non nisi coactè motum violentum ad-

mittente, ut dictum n. 694. at Deus ad nihil cogi potest, sed sponte sepe non resistit creaturis, contra suam voluntatem, aut inclinationem agentibus. Interim absque dubio fit Deo violentia moralis, seu melius injuria, dum ei subtrahitur debitus honor contra jus suum, quo se neutquam abdicat.

702. Ob. 4. contra 2. conclus. Ignis non potest aquæ inferre violentiam: ergo nulla creatura potest alteri inferre violentiam. conseq. non negatur. prob. ant. calor non est contra nobiliorem appetitum aquæ: ergo ignis producendo calorem non infert aquæ violentiam: ergo nullo modo eam infert. conseq. sunt legitimæ. prob. ant. appetitus aquæ universalis est nobilior appetitu particulari: sed calor non est contra appetitum aquæ universalem: ergo non est contra appetitum nobiliorem.

Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. calor non est contra appetitum aquæ nobiliorem universalem. om. ant. non est contra appetitum nobiliorem particularem. neg. ant. & utramque conseq. ad prob. om. totum: at nego, quod motus violentus debeat esse contra appetitum universalem; sufficit enim, si sit contra appetitum nobiliorem particularem, ne fiat inutilis quæstio de nomine, contra communem omnium, unanimiter motus quosdam violentos dari asserentium.

Respondent alii 2. neg. ant. ad prob.

*Quid sit Vigilium, & an possit ab una creatura abservari inferri.* 292

prob. neg. ant. ad hujus prob. negant suppositum, seu negant, dari in entibus particularibus talem appetitum universalem, quo appetant bonum universi, etiam conjunctum cum suo interitu; nam, si sunt, causas quilibet res procurat bonum universi, quatenus appetit servare seipsum, tanquam partem universi; hoc enim ipsum cedit in maximum bonum universi; nam sic datur actio, & reactio causarum, ex qua oritur varia mixtio in bonum universi. Attamen hunc appetitum, seu inclinationem universalem, adstruit S. Thomas 1. p. q. 60. a. 5. in corp. item q. 6. de Miracul. n. 1. ad 17. unde eum nolim negare.

703. Dices 1. Appetitus, aquæ & Deo inditus, nihil irrationabiliter appetit: sed irrationabiliter appeteret bonum privatum præ publico; ergo. prob. mi. civis appetens bonum privatum præ publico irrationabiliter appetit: ergo & aqua. Resp. dist. mi. irrationabiliter appeteret bonum privatum præ publico, si id appeteret efficaciter. om. mi. si id tantum appetat inefficaciter. neg. mi. & conseq. ad prob. neg. conseq.

Ipse hic appetitus aquæ, & resistentia inefficax, cedit in bonum universi; nam ex hac resistentia ori-

untur variæ mixtiones, ut dictum n. 702. unde bonum universi potius exigit istam resistentiam, & appetitum inefficacem. Quod spectat ad civem, bonum commune patriæ est etiam bonum privatum civis, neque hoc stare potest sine illo: quodsi etiam vitam impendere patriæ sit necesse, haec abunde compensatur, per actum heroicæ virtutis, & correspondens ipsi præmium, etiam prudenter appetibile appetitu elicito, tanquam nobiliore, præ bono physico vitæ.

704. Dices 2. Non datur jus unum morale contra alterum: ergo neque datur jus unum physicum contra alterum: ergo, si ignis habet jus physicum, ad introducendum calorem in aquam, ista non habet jus physicum resistendi. Resp. neg. conseq. Exigentia, seu jus physicum, aut etiam resistentia physica, maximè tantum inefficax, non ita opponitur alteri exigentiaz, aut juri physico, sicut una legitima potestas utendæ re aliqua, & alios ab ejus usu impediendi, opponitur alteri tali facultati, aut potestaci; haec enim simul, sicutem diutiùs, dari non possunt, ut probatur à Jurisperitis, & Theologis: quodsi id non probaretur, minorem vim haberet objectio, ut patet.



**ARTICULUS V.**

*An etiam Deus possit Creaturis inferre Violentiam.*

705. **D**ico. Deus potest cuilibet creaturæ inferre violentiam. ita plures antiqui, & teste Oviedo *Contrav. phys. b. punit. 4. n. 1.* ferè omnes recentiores. Prob. Deus potest in creatura producere motum contrarium illius exigentia, e. g. calorem in aqua: item potest eandem creaturam spoliare bono sibi debito, e. g. aquam frigore: sed hoc est ei inferre violentiam: ergo. Nec dicas, creaturam non habere jus respectu Dei; nam non quidem habet respectu Dei jus morale, quod fundat debitum morale, cui, si contravenitur, fit strictè injuria: attamen habet jus physicum; hoc enim aliud non est, quam, ut dictum n. 672. tendentia, vel inclinatio in bonum, quod vel est finis creaturæ, vel medium ad finem, vel tale, ut sine eo ipsa esset positivè imperfecta: quæ tamen exigentia nullatenus præjudicat dominio Dei; quia Deus non tenetur, se illi exigentia conformare, nec creaturæ facit ullam injuriam, si ei se non conformet; quia Deus nihil debet creaturæ debito moraliter.

Confir. Juxta omnes ignis infert aquæ violentiam, dum in ea producit calorem, quamvis id faciat ex ordinatione Dei, actiones, re-

actionesque causarum, in bonum universi hac ratione sapientissime promoventis: & tunc aqua habet jus physicum, inefficaciter resistendi igni, hanc Dei ordinationem exequenti: ergo non est ratio negandi, quod aqua etiam habeat jus physicum, inefficaciter resistendi Deo, si ipse suam ordinationem exequatur.

706. Ob. 1. Vel Deus potest creaturis inferre violentiam ut auctor naturæ, vel ut absolutus dominus: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. Deus ut auctor naturæ, agit juxta, non contra exigentiam creaturæ: ei ut absoluto Domino nulla creatura potest resistere: ergo. Resp. neg. mi. & dico, utroque modo Deum id posse. ad prob. dist. 1. p. ant. ut auctor naturæ agit juxta exigentiam omnis creaturæ. neg. ant. alicuius creaturæ. conc. ant. dist. etiam 2. p. ant. ut absoluto domino nulla creatura potest resistere efficaciter. conc. ant. inefficaciter. neg. ant. & conseq. Deus ut auctor naturæ agit e. g. juxta inclinationem ignis, non aquæ: ei autem ut absoluto domino non potest resistere creaturæ, ita, ut vincat, e. g. ut aqua frigus retineat: potest tamen ei aliquantum resistere: hoc est, potest reagere, & reagendo sc

se aliquousque defendere: item potest semper frigus exigere.

707. Dices. *Creatura est instrumentum Dei: sed de ratione instrumenti est, non resistere causæ principali eo utenti: ergo.* Resp. dist. mi. est non resistere efficaciter. conc. mi. inefficaciter. neg. mi. & conseq. Certè malleus sua gravitate resistit aliquo modo artifici, eum sustollenti: & quo gravior est, eo magis resistit: sed inefficaciter; quia ejus resistantiam vincit artifex: & malleus obedit, sed non cum inclinatione: idem fit in serra, & aliis. Neque tamen creatura dicenda est simpliciter resistere voluntati divinitatibus; quia semper vult id, quod Deus vult, eam velle, & huic voluntati divinitatibus se conformat: quamvis se non conformet alteri voluntati, qua Deus absolute vult, eam aliquo bono debito carere: cui tamen voluntati, Deus non petit, ut creatura se conformet: adeoque nihil est inordinatum in appetitu, seu exigentia creaturæ.

708. Ob. 2. *Omnis appetitus ordinatus vult, quod Deus vult: sed appetitus innatus cujuslibet creaturæ est ordinatus: ergo vult, quod Deus vult: ergo Deo non resistit.* Resp. dist. ma. vult, quod Deus vult fieri. neg. ma. vult, quod Deus vult ipsum velle. conc. ma. & conc. mi. sub data dist. conc. vel neg. 1. conseq. & absolute nego 2. conseq. sic enim habet S. Thomas a. 2. q. 104. a. 4. ad 3. *Dicendum,*

*quod, eis non semper tenetur homo velle, quod Deus vult: semper tamen tenetur velle, quod Deus vult, eum velle;* nam e. g. licet Deus velit mori alicujus parentes, non tenetur is velle mortem parentum: sed debet tantum eam patienter ferre; hanc enim voluntatem patientem vult eum Deus habere.

709. Dices. S. Thomas i. p. q. 60. a. 5. in corp. afferit, quod omne id, quod naturaliter est alterius principalius, & magis inclinatur in id, cuius est, quam in seipsum . . . sicut manus exponitur ita ut absque deliberatione ad conservationem totius corporis: ergo omnis creatura, quæ naturaliter est Dei, magis inclinatur ad Deum, ejusque voluntatem, quam ad suum bonum, vel propriam exigentiam. Resp. dist. conseq. creatura magis inclinatur ad Deum appetitu universali. conc. conseq. particulari. neg. conseq. Similiter explicandus est Angelicus, quando q. 6. de Miracul. a. 1. ad 17. ait, quod ea, quæ fiunt ex impressione corporum cælestium, non sint violenta corporibus inferioribus, propter naturalem ordinem istorum ad illa: & addit: *Mulio minus est violentum, quod à Deo fit in ipsis inferioribus;* per violentum enim intelligit, quod non est tantum contra naturam passi, seu ejus appetitum particularem, sed etiam contra universalem; nam sit. q. a. 2. ad 3. aperte admittit, Deum posse aliquid facere contra natu-

*naturam*, & adducit exemplum ignis Babylonici, impediti à combustionē trium puerorum, & Jordanis fluvii, contra innatam gravitatem coacti stare.

710. Ob. 3. Juxta nos Deus calefaciens aquam vellet tamen in ea frigus, & simul non vellet: ergo haberet voluntates contrarias, quod implicat. Resp. neg. 1. p. ant. Deus non vellet, aquam habere frigus, sed tantum vellet, istud ab ea exigi, quæ sunt diversa. Neque dicas, appetitum aquæ esse voluntatem Dei; hoc est enim omnino falsum; nam ille appetitus est tantum aliqua ordinatio, seu effectus voluntatis divine.

Neque Deus, producens hunc appetitum, etiam vult id, quod ipse appetit; est enim longè aliud, producere tantum appetitum, quam per eum appetere, aut velle, ut aperte patet in volitione, vel appetitu hominis elicito peccaminoso, quem etiam Deus producit, quin per eum velit. Unde Deus in tali casu non vult, quod vult aqua, sed potius vult contrarium, & agit contra ejus appetitum, licet hic sit effectus Dei, & ordinatio passiva ejusdem, in quo nihil est absurdum: sicut etiam nihil est absurdum in eo, quod Deus velit, aquam exigere frigus, & pro eo etiam certare, quamvis non velit, eam frigus obtinere; nam his modis Deus prudentissime ordinat actiones, & reactiones euarum, ut dictum n. 705.

711. Dices 1. Juxta nos Deus resisteret sibi ipsi: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. Deus concurret cum aqua ad resistendum Deo, volenti eripere ipsi frigus: ergo resisteret sibi ipsi. Resp. neg. ma. ad prob. neg. conseq. Resistere aliqui est agere contra inclinationem ejus: at Deus nunquam agit contra suam inclinationem; nam vult, ut aqua inefficaciter resistat, quamvis non velit, ut resistat efficaciter, seu cum victoria, sed absolute succumbat: quæ duæ voluntates non sunt contraria: sicut non sunt contraria voluntates Magistri artis gladiatoris, quando juvat duos discipulos, in duello fictitiœ exercitiū gratiâ se mutuo impugnantes, etiam si, ut sepe fit, velit usum succumbere.

712. Dices 2. Juxta nostram sententiam appetitus ignis, & appetitus aquæ, essent conformes voluntati divinae: ergo etiam essent conformes inter se. prob. conseq. quæ sunt conformia eidem tertio, sunt etiam conformia inter se: ergo. Resp. neg. conseq. ad prob. diff. ant. quæ sunt conformia eidem tertio adæquate sumpto, sunt etiam conformia inter se. cone. ant. quæ sunt tantum conformia eidem tertio inadæquate sumpto. neg. ant. & conseq. Voluntas Dei adæquata vult aquam appetere frigus, sed simul in eam introduci calorem. Priori, ut ita dicam, parti voluntatis divinae, conformatur aqua, posteriori ignis; unde inter se non sunt conformes.

formes. Sic etiam possunt duo in-  
dæquatè identificari eidem tertio,  
et tamen adæquatè inter se distin-  
gui, ut patet in partibus totius di-  
stributivè acceptis.

713. Ob. 4. Quando Deus vult  
efficaciter aquam privare frigore,  
tunc frigus est absolute impossibile  
aqua: ergo hæc istud non appetit.  
prob. conseq. appetitus innatus crea-  
turæ, ut pote à Deo inditus, non po-  
test esse irrationalis: atqui appeti-  
tus ad rem impossibilem esset irra-  
tionalis: ergo non datur appetitus  
innatus ad rem impossibilem. Resp.  
dist. ant. frigus est absolute impos-  
sibile aquæ, in sensu composito con-  
trarii decreti divini. conc. ant. in  
sensu divisi. neg. ant. & conseq. ad  
prob. conc. totum. At nexo, quod  
appetitus aquæ sit ad aliquid im-  
possibile; quia aqua non vult frigus  
in sensu composito, sive in præsen-  
tia dicti decreti, sed in sensu divi-  
so, sive in absentia ejus decreti;  
imò vult sensum divisum, seu ab-  
sentiam decreti, quæ absentia im-  
possibilis non est. Hanc autem ab-  
sentiam decreti aqua appetit tan-  
tum inefficaciter, quod ipsum est  
conforme voluntati divinae inad-  
æquatæ ex n. 712.

714. Dices 1. Juxta nos aqua ap-  
peteret habere frigus, dum datur  
decreto, de introducendo in eam  
calore; ergo appeteret frigus habe-  
re in sensu composito decreti. Resp.  
In hac replica, yicione mutatur ap-  
pellatio, de qua in Logica n. 55.

termini enim illi, dum datur decre-  
tum, & in sensu composito, quorum  
appellatio in antecedente cadit su-  
per terminum appeteret, in conse-  
quentiæ cadit super terminum habe-  
re; unde in forma conc. ant. neg.  
conseq. Verum est, quod, dum datur  
decreto, etiam detur appetitus: at  
non est verum, quod appetitus ten-  
tat in frigus habendum, dum datur  
decreto; unde datur quidem sensu  
compositus appetitus aquæ, &  
decreti, sed non sensu compositus  
decreti, & frigoris, neque etiam  
sit appetitus: sicut, dum quis ex  
actu carnis ligatus, appetit afflu-  
gere, at non ligatus, sed solutus  
cateris. Ahii, & bene etiam re-  
spondent. dist. conseq. appeteret  
aqua frigus in sensu composito dei-  
creti: conc. conseq. pro sensu com-  
posito. neg. conseq. Sensus hujsus  
responsionis est idem cum sensu no-  
stræ responsionis.

715. Dices 2. Si aqua appetit ab-  
sentiam decreti sibi violenti, etiam  
exigit abesse solem, & quo calefit:  
sed hoc est calidum; quia aqua non  
appetit miraculum, sine quo sol ab-  
esse non potest: ergo. Resp. dist.  
ma. appetit abesse solem valde ca-  
lidum. conc. ma. temperate cali-  
dum. neg. ma. & dist. sic mi. neg.  
conseq. Potest sine omni miraculo  
abesse sol valde calidus: temperate  
autem calidus non videtur esse  
aque simpliciter violentus; com-  
pensatum enim modice iactura fri-  
goris, non adeo aquæ necessarii,  
melio-

meliore bono, scilicet conservacione aquæ; si enim sol non esset, probabilitas perirent sublunaria, atque adeò etiam aqua.

716. Eadem proportionaliter responsio danda est, si alia objiciantur, quæ videntur à natura esse posita in circumstantiis semper violentiis: scilicet dicendum est, non dari aliquid simpliciter contrarium appetitui nobiliori, vel bonum ablatum aliquo modo compensari; cum enim violentum simpliciter dictum non sit perpetuum, ut est axioma philosophicum, videtur natura semper compensare detrimentum modicum unius per adjectionem alterius: vel etiam id, quod apparet violentum, non erit contra appetitum primarum eotius: sic merito negari potest, quod in lapidibus, vel aliis etiam gravibus, ille appetitus sit primarius, qui provenit à gravitate.

717. Dices 3.. Appetitus aquæ ad absentiam caloris, vel præsentiam

frigeris, in circumstantiis decreti, est essentialiter inutilis, ac superflus; ergo non datur, prob. ant. in illis circumstantiis nunquam obtinet suum finem: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. om. ant. neg. conseq. Appetitus ille non est essentialiter superflus, qui tantum in certis quibusdam circumstantiis non obtinet suum finem, modo cum etiam in aliis circumstantiis appetatur, atque in illis obtineat: sic fames (quæ est appetitus innatus, animali à Deo insitus, in ordine ad nutrimentum querendum) non est essentialiter superflua, aut impossibilis, in circumstantiis, in quibus nullus potest haberi cibus; quia, licet in his circumstantiis non possit obtinere suum finem, potest tamen in aliis. Dixi ad prob. ant. om. ant. quia forte potest dici, etiam in illis circumstantiis obtineri aliquem finem, scilicet actionem, & reactiōnem, quæ sunt universo valde utilles.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*De Arte.*

### ARTICULUS I.

*In quo consistat Forma Artificialis.*

718. **A**rtis definitionem, ac divisiones, jam dedimus in Logica m. 211. duo tantum hic addenda: 1. nos hoc

loco loqui de artibus factivis, quarum opus est pertinens, & objectum materiale physicè distinctum à formaliz nam de artibus activis,

ut patet consideranti, paulò ali-  
ter loquendum. 2. artes alias  
non immediatè per se producere sua  
opera, sed tantum applicare activa  
passivis, ut illa dein agant natura-  
liter: sic ars medica tantum miscet,  
& applicat medicinas, quæ dein na-  
turalibus suis viribus caufant san-  
itatem: & agricultura tantum arti-  
ficiosè colit agros, ac spargit semi-  
na, quæ postea sua vi germinant.

719. Quamvis autem fors dici  
posset, istarum artium effectum es-  
se, non illum, qui ultimò produ-  
citur, e. g. non sanitatem, aut se-  
getes, sed tantum applicationem ar-  
tificiosam activorum, & passivo-  
rum, tamen non videtur receden-  
dum à jam usitato modo loquendi.  
Aliæ autem artes opera sua imme-  
diatè producunt, ut statuaria, picto-  
ria &c. Jam questiones omnes de  
artibus, etiam tantum in commu-  
ni sumptis, & multò magis de ar-  
tibus quibuslibet, in particulari ac-  
ceptis, velle tractare, foris nimium  
quantum velle diffundi; unde dun-  
taxat controversias communiter  
agitari solitas afferemus, nempe de  
forma artificiali in genere, ac de  
chrysopœia, atquæ magia, tam li-  
cita, quam illicita, in specie.

720. Dico. Forma artificialis  
consistit in his quatuor. 1. in ubi-  
cationibus, ratione quarum partes  
compositi artificialis servant inter  
se debitum situm, ac ordinem, 2. in  
unione cocontinuativa partium, sive  
naturali, sive artificiali, 3. in du-

*Tess. II.*

rationibus simultaneis, 4. in nega-  
tione partium superfluarum. ita  
communis nostrorum, saltem, si du-  
rationes non adstruantur tanquam  
partes formæ; has enim non ita  
communiter admittunt. Sed ne-  
cessario admittendas esse, ex ratio-  
ne probabimus Prob. conclus. His  
intellectis, & nullo alio intellecto,  
intelligitur tota forma, seu figura  
artificialis: & his non intellectis,  
non intelligitur: ergo vi regulæ  
partis ista sola constituunt formam  
artificialiem, ant. quoad 1. partem  
patet ex solutione objectionum:  
quoad 2. partem vero probatur.

721. Primo enim non intellectis  
ubicationibus partium non intelli-  
gitur debitus partium ordo, ac si-  
tus, item distantia inter se &c. sed  
hic ordo, situs, ac distantia, e. g.  
partium statuæ, vel etiam imaginis  
pictæ, est absque dubio pars formæ  
artificialis: ergo. Nec dicas, ordi-  
nem, ac situm, atque distantiam, in-  
telligi per solam unionem partium  
inter se; eoquod hæc unio sit radix  
exigiva earum ubicationum; nam  
e. g. filum, à sartore varias partes  
vestis conscente, introductum,  
quod est unio artificialis partium;  
exigit, ut ex partes habeant ubica-  
tiones, ad vestem requisitas.

Contra enim est. Ex hoc tantum  
habetur, quod ea unio sit ordo, aut  
situs partium radicalis, non autem  
formalis; nam hic separabilis est ab  
ea unione, ut patet in casu, quo par-  
tes vestis stante carum unione su-

P p

pernaturaliter, ut fieri posset, compenetrarentur: quin etiam naturaliter, manente eadem unione, potest mutari ordo, ac situs partium, atque etiam earum configuratio; nam e. g. filum, vel etiam lamina ex ferro, & multò magis filum, vel tela ex ferico, item imago ex cera, & multò magis picta, possunt, manente partium unione, diversis modis inflecti, in varios ordines, ac situs, & diversas figuræ artificiales.

722. Secundò. Licet hæc unio, sive naturalis, sive artificialis, non sufficiat, tamen requiritur aliqua ad formam artificialem; nam partes non unitæ, sive non connexæ, nosdum habent formam artificialem; etsi enim e. g. fætus artificiose panrum scidisset, & frusta ordinne requisito ad se invicem collocasset, ut pallium aliquod referrent, tamen non diceretur omnino confecisse pallium, antequam ea frusta coadunasset: hoc est, unionem eorum artificialem posuisset: & idem sensus hominum est de statuario; nam etiam hic, etsi partes statuaræ seorsim elaborasset, si tamen eas non conglutinasset, vel aliter sibi adhaerere fecisset, non diceretur statuum perfectissime: ergo ista unio est pars operis artificiosi: non autem materiæ, ut patet: ergo formæ.

723. Tertiò. Cùm hæc unio continuativa, sive naturalis, sive artificialis, sit divisibilis, adeoque possit una ejus pars, cum particulis

materiæ ab ipsa unitate, dari hodie, altera cras, tertia perendie &c. poterit successivè dari divisiæ totæ unio continuativa omnium partium materiæ, atque etiam ubicationes earum: quin tamen detur forma artificialis, e. g. statuæ; neque enim dicitur dari statua, si non dentur simul omnes partes unitæ: ergo forma artificialis ulterius etiam includit durationes simultaneas, sive partium unionis, sive partium materiæ.

Neque obstat, quod hac ratione forma artificialis alia sit hodie, alia cras; eoquod istæ durationes sint inter se diverse, & quidem non tantum numero, sed etiam specie; nam etiam debet admitti, ratione ubicationum, diversitas formæ artificialis, seu ratione diversorum locorum, in quibus e. g. statua ponitur: neque hoc est aliquid absurdum in toto integrali accidentali, quale est ea forma.

724. Aliter loquendum de unione informativa, inter partes essentiales compositi substantialis (de qua re vide dicta n. 595) nam est longè magis contra sententiam communem, quod totum esse entiale substantialie seipsum specie differat à seipso, aut, quod accidentia sint partes essentiales ipsius, quam, quod ita differat totum integrale accidentale, aut accidentia sint partes istius, ut videtur per se clarum. Accedit, quod ratio probans, ubicationes, & durationes debere admitti,

mitti, tanquam partes formæ artificialis, ratione unionis continuativæ ejusdem, non probet, eas pariter admitti debere, tanquam partes totius essentialis substantialis; ratione unionis informativæ istius; nam unio informative inter partes essentiales compositi substantialis non est divisibilis; cùm quilibet indivisibilis pars formæ, unitæ particulae etiam indivisibili materia, jam constitutat totum compostum essentialiter acceptum. At non ita quilibet indivisibilis pars figurae artificialis, unita alteri indivisibili, constituit figuram artificis.

725. Quartò. Etsi dentur partes inter se unitæ, atque etiam, prout requiritur, ubicatæ, ac simultaneæ existentes, si tamen non detur negatio partium superfluarum, non datur forma artificialis: ergo hujus formæ pars est etiam dicta negatio. prob. ant. licet e. g. in trunco ligneo, vel grandi inelaborato marmore, dentur jam simil omnes partes statuæ, etiam inter se unite, & aptè ubicatæ, quia tamen ne cum sunt resciisse partes superflue, non dum datur statua: ergo.

726. Ob. 1. Si ubicationes sunt pars formæ artificialis, tunc pallium complicatum differt specie ab eodem explicato, & statua in alia posita ab eadem in cistam inclusa: haec sunt paradoxæ: ergo. Resp. dist. ma. pallium, & statua differtur specie physica. conc. ma. differunt specie morali. neg. ma. &

dist. sic mi. neg. conseq. Pallium, & statua, dum acquirunt alias ubicationes, specie physica diversas, sunt physicè aliquid aliud: sed non moraliter; dum enim manet eadem materia, & connexio partium, manent etiam ubicationes moraliter similes, quatenus manet pallium, & statua, que ad priorem usum, & effectum, atque etiam ad ubicationes prioribus physicè similes, non possunt revocari, & hinc in morali estimatione non sunt diversa: ferè sicut homo manet moraliter integrè idem, et si per nutritionem, vel evaporationem, sapissime physicè mutetur. Eodem modo, si obiciatur, juxta nos non posse, e. g. statuam totam transferri in aliud locum, respondendum est, id quidem verum esse de statua physice accepta, non vero de moraliter accepta.

727. Ob. 2. Ex nostra fententia sequeretur, omnes homines esse sartores, & fatores, dum portant vestes, vel calceos: pariter eos, qui statuam ex uno loco deferunt in aliud, esse statuarios: quin ipsam statuam, dum ex alto decidit, esse statuariam artificem sui ipsius: sequela sunt absurdæ: ergo. prob. ma. ille est sartor, aut fator, qui facit formam artificialem vestis, aut calcei: & ille est statuarius, qui facit formam statuæ: atqui, si forma artificialis consistit in ubicationibus, supradicti faciunt formam artificialem; quia faciunt ubicationes: ergo.

go. Resp. neg. ma. ad. prob. dist. ma. ille est sartor &c. qui tantum facit quomodo cunque partem formæ artificialis. neg. ma. qui facit totam formam, & quidem artificialiter, juxta directionem regularum artis. conc. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq.

728. Artifex non dicitur, qui tantum quomodo cunque est causa ubicationum operis artificiosi; nam istæ sunt tantum pars formæ, non tota forma: sed ille dicitur artifex, qui elaborat artefactum, rescidendo partes superfluas, & conjungendo, si opus sit, unione artificiali partes necessarias, atque faciendo talem earum connexionem, quæ sit radix ubicationum, ad formam requisitarum, ut, quo cunque artefactum deferatur, retineat semper eandem physicè, vel moraliter partium dispositionem, proportionem &c. hoc non competit hominibus respectu vestium, quæ gerunt, nec transferenti statuam, minus ipsi statuæ.

729. At verò competit statuariis, qui, licet non formaliter faciant ipsas ubicationes, faciunt tamen eas radicaliter, atque insuper ex directione artis rescindunt partes superfluas, & causa sunt, ut statua semper retineat eandem physicè, vel moraliter, dispositionem, ac proportionem membrorum: & hi nemine refragante annumerantur artificibus: quævis etiam non faciant ullam unionem, aut conne-

xionem partium inter se, sed e.g. ex uno integro ligno statuam elaborent.

Neque enim, quod ad unam artem, e.g. sartoriam, requiritur, nempe facere connexionem partium, requiritur etiam ad omnes alias; possunt enim aliæ artes eam connexionem in sua materia jam supponere, vel invenire. Sed neque statuarii, vel similes, expungendi sunt ex numero artificum propterea, quod tantum puram negationem partium superfluarum causent, neque aliquam formam positivam in materiam introducant; nam sufficit ad artem, si materia, seu objectum materiale, immutetur, sive id fiat addendo, sive auferendo.

730. Ob. 3. Si forma artificialis consistit in negatione partium superfluarum, tunc pulcherrima statua differt à rudissimo lapide, per solam rescissionem, seu negationem partium superfluarum, sive per nihil: sed hoc non potest admitti: ergo. prob. mi. sic pecuniz plurimæ expenderentur pro nihilo: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. ma. nam pecuniz expenduntur pro labore ingenioso artificis, qui est aliquid positivum. Dein, licet illa negatio partium superfluarum sit nihil in genere physico, est tamen valde æstimabilis in genere morali; ex illa enim habetur pulchritudo statuæ, & magna delectatio oculorum, quæ prius suo

suo pretio digna est. Quod autem aliquid per purum aihil, seu negationem entium superfluorum, possit reddi moraliter perfectius, evidens est; nam habens strumam,

vel nasum nimis longum, fit utique pulchrior, melior, ac perfectior, si entitates iste superflue, ac deformes, ei detrahantur.

## ARTICULUS II.

731. Dico 4. Chrysopœia, seu ars conficiendi aurum, extra mineras terræ, est saltem moraliter impossibilis, ita communis, etiam eorum, qui artem eam absolute possibilem defendant. Prob. conclus. Illa ars est moraliter impossibilis, quæ à plurimis maximo labore tentata, aut cœpta, nunquam, aut certò rarissimè, speratum habuit effectum, aut ad exitum fuit perducta: talis est chrysopœia: ergo. m. est certa. mi. patet ab experientia; nam plurimi, post insanos labores, & ingentes expensas, in confectionem auri factas, spe sua frustrati sunt, & minimè obtinuerunt speratas divitias, sed in extremam inopiam inciderunt: & hinc malesuada paupertas iis persuasit, ut fraudibus agerent, & viris principibus, sœpe nimium credulis, quandoque etiam nimium avaris, nequiter imponerent: quorum tamen impostorum aliqui mortis supplicio luere debuerunt turpisimos dolos.

732. Prob. conclus. 2. Illa ars est moraliter impossibilis, cuius nec

materia potuit, per tota secula, ulla certitudine determinari, nec modus operandi ullis certis regulis comprehendendi: talis est chrysopœia: ergo. ma. videtur negari non posse; nam, licet multæ seriū inventæ sint artes, cum sua materia, ac regulis, ut horologopœia, typographia &c. tamen non fuere ante suam inventionem per multa secula ingenti labore investigatæ, aut tentatae, ut chrysopœia: cui inveniendæ à pluribus jam seculis plurimi toto conatu se impenderunt, inque lapidem philosophicum, seu materiam, ex qua aurum producerent, item in modum, eam materiam rite disponendi, commiscendi, & per artem chymicam immutandi, diu noctuque inquisiverunt.

733. Minor etiam negari non potest; nam labor immensus Chymicorum in excolenda chrysopœia fuit hucusque saltem ordinariè frustaneus, & plurimi, avariciæ, vel curiositate stimulati, ingenium, vires, ac facultates, inutiliter consumserunt; quia, nec certa materia auro conficiendo idonea, nec certa

tæ regulæ hujus artis, ab ipsis unquam inventæ sunt. Sanè illi ipsi, qui principes in hac arte habentur, in nullo convenient, sed unus alterum, ceu impostorem, & vix non magum, traducit. Paracelsus ridet modum operandi, quo usi sunt Lullus, Geber, & Rupecissa, aurumque, ab illis productum, falsum esse proclamat. Vicissim Paracelsum reprehendit Arnoldus Villanovanus, qui insuper ait, Spagyricos omnes falli circa materiam, confectioni auri adhibendam.

734. Et certè materiam quod spectat, eam quidem communiter lapidem philosophicum nominant: at reipsa lapis non est, sed juxta quosdam pulvis, juxta alios oleum, seu tinctura, albicans, aut rubea. Habet hæc materia apud multos, præsertim antiquiores Chymistas, etiam alia varia enigmatica nomina, quibus quasi quibusdam mystériis Spagyrici leviter credulos falluntur vocant enim eam lac virginis, rubrum leonem, gluten aquilæ, draconem, albam terram foliatam, rosei coloris benedictum sanguinem &c. Ulterius quoad substantiam materie hujus, seu, ut vocant, ingredientia lapidis philosophici, inter se Chymici maximum dissentient: & aliqui adhibent, quod horrorem, alii, quod risum causare possit; quidam enim docent, lapidem philosophicum confidendum esse ex sanguine humano, quidam ex lacte, quidam ex urina.

Alii eum voluerunt eruere ex lapidibus, effectis ex homine calculo laborante: alii ex putrefactis ovis: alii ex stellionibus: alii ex aliis solidibus. vide etiam *Mémoires pour l'histoire des sciences*. Eccl. à Trevoux tom. 4. an. 1723. Octobr. a. 111. à pag. 2032.

735. Quare ex hucusque dictis legitimè infertur, tum methodum operandi, tum materiam chrysopœiz, esse ad minimum valde dubiam, adeoque ipsam non esse veram artem, ad quam, & certa materia, circa quam operetur, & regulæ etiam certæ juxta omnes requiruntur; eoquod omnis ars sit virtus intellectualis, ut dictum in Logica a. 211. Evidenter mihi aliquantio à quodam est responsum, artis hujus peritos ejus, notitiam studiose cœlare, ut in silentio bonis suis frui queant. Sed est incredibile, quod nemo, qui artis hujus peritus fuisset, unquam aut filius, aut amicis, ejus notitiam tam utiliter communicasset, etiam dum morti inevitabili jam proximus fuisset, præsertim, cum id ad perennem post fata memoriam plurimum contulisset. Accedit, quod, cum seestes publici, saltans ut plurimum, sint falli, etiam occulti sint probabilius ficti.

Confir. 1. Joannes XXII. in Extrav. Spenderus, quas nonquam exhibent de criminis falsi. sub gravissimis poenis prohibet usum auri, per Alchymistas producti, in fabricandis

dis monetis, aut in commercio humano: ergo aurum ita productum est falso ut plurimum falso, adeo que chrysopœia nullis certis regulis est stabilita; alias non fuisset ratio tam severæ prohibitionis. Confirm. 2. Si ars conficiendi aurum facilis es- se, utique Alchymistæ facile in im- mensum ditescerent: atqui experientia constantissima monstrat op- positum, ut jam dictum n. 731. ergo.

736. Dico 2. Probabiliter nun- quam per artem de novo produc- dum fuit verum aurum. Pro hac sententia stat S. Thomas in 2. diff. 7. q. 3. a. 1. ad 5. ubi simpliciter negat, aurum per artem produci posse; sic enim habet: *Quadam for- ma substantiales sunt, quas nullo modo ars inducere potest; quia pro- pria activa, & passiva, invenire non potest: sed in his potest aliquid simile facere: sicut Alchymistæ fa- ciunt aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora: sed tamen non faciunt verum aurum; quia forma substantialis auri non est per calorem ignis quo utuntur Alchy- mistæ, sed per calorem solis in loco determinato, ubi viget virtus mi- nerale. item q. 6. de potent. Dei, seu de miraculis a. 1. ad 18. dieens Natura potest ex terra facere au- rum, aliis elementis commixtis, quod ars facere non potest. Insuper stant Tostatus, Egidius, & plures alii, qui etiam asserunt, chryso- pœiam omnino impossibilem esse: item stant illi, qui cura Valeriana*

som. 3. disp. 6. q. 13. punct. 2. Ray- naudo, Fabri, ac aliis, absolute ne- gant, ab experientia posse probari, unquam aurum productum fuisse: plures etiam alii, qui de auro verè producto merito dubitant.

737. Prob. conclus. ratione. In- primis fatentur omnes, artem con- ficiendi aurum esse mille difficulta- tibus implexam, & totidem errori- bus obnoxiam: ad quos tamen er- rores evitando nulla certæ regu- lae dantur. Secundò certum est, plurimos hujus artis professores fuisse deceptores, plurimos decep- tos: & circa auri confectionem innumeræ fraudes esse commissas, ut manifestis exemplis probat Kir- cherus l. 11. de *Mundo Subterrano*. Tertiò nulla afferri potest experien- tia, de auro producto talis, ut non merito dubitetur, an aurum verum de novo verè productum sit, præ- fertim, cùm ipsi primarii in hac ar- te magistri de se invicem aegent; verum ab ipsis aurum de novo fu- se productum: ergo satis probabile est, quod nunquam fuerit verum aurum per artem productum. ant. 1. & 2. pars à nemine negatur: at 3. pars partim patet ex solutione objectionum, partim probata jam est n. 733. & fusus adhuc ostenditur à Kirchero modò citato: item à Domino Geoffroy, de quo vide *Histoire de l'Academie Royale an. 1722. table pour les memoires. Des Supercheries concernans la pierre philosophale pag. 81.*

738. Di-

738. Dico 3. Probabiliter productio auri extra mineram est etiam physicè impossibilis. Hoc, & aliquid amplius, afferunt S. Thomas, & alii citati n. 736. qui absolute dicunt, hanc productionem esse impossibilem: plures adhuc saltem nobiscum probabilem dicunt ejus impossibilitatem. Prob. conclus. Quod à causis naturalibus, etiam liberis, nunquam est productum, quamvis sèpissimè sit omni studio tentatum, probabiliter non potest ab iis fieri: & qui probabiliter nunquam extra mineram terræ productum est aurum verum, quamvis sèpissimè fuerit omni studio tentatum: ergo. mi. probata est n. *præc.* & magis clarebit ex solutione objectionum.

739. Major si negetur, probari amplius non poterit, quod non possint ab homine libero per aliquam artem ita applicari activa passivis, ut duæ formæ principales simul introducantur in eandem materiam: vel quod non possit per aliquam artem ita juvari aliqua causa, ut agat in distans: vel ut producatur sanguis humanus extra venas: vel etiam animal perfectum, aut saltem corpus animalis perfecti extra uteum maternum, & similia, quæ communiter censentur naturaliter impossibilia: certè exploditur ab omnibus Paracelsus, dum vult docere modum, quo homo in furno chymico producatur, & addit, ita productos fuisse satyros, aut mætanatos dæmunculos, ut refert Kir-

cherus l. 11. de *Mundo subterr.* sec. 2. c. 7. præsertim autem ab omnibus pessimè accipitur Arnoldus Villanova, dum se jactat, quod jam produxerit embrionem hominis, organis suis instructum, & vix non hominem perfectum, quodque, cum eum in vitro compexisset, ab opere destiterit, ne Deum cogeret, ad animam rationalem ei infundendam, ut habet Kircherus loco modo citato.

740. Ob. 1. contra 2. conclusiōnem (nam primam vix aliquis impugnat) Sæpius jam per artem productum est aurum: ergo. prob. ant. 1. Raymundus Lullus produxit aurum, & ex eo conflavit rosam auream, eamque Richardo Angliae regio obtulit. 2. Arnoldus Villanovanus produxit Romæ virgas aureas, easque in aula Pontificis examini subjecit. 3. Antonius Tarviusinus Pharmacopola coram Andrea Gritto Venetorum Duce, ac aliis Patriciis Venetis, Mercurium mutavit in aurum. 4. Ipse audivi à viro gravi, & oculato teste, Cardinalem Hassia Romæ aliquando in liquorem quendam, qui vase vitro continebatur, immisisse aliud metallum, quod in aurum versum fuerit. Plura adhuc exempla adducit Martinus Delrio l. 1. *Disquisit. Magic.* c. 5. q 1. sec. 4. ubi addit in reponſione ad 1. se nominare posse libi notos, viros graves, in dignitate positos, & Deum timentes, qui de se profitantur, quod aurum confece-

fecerint, & quibus injurius sit, qui eos mentitos, aut præstigiisulos dicat: ergo. Plura exhibent *Mémoires pour l'histoire des sciences &c. à Trevoux tom. 4. an. 1723. Octobre. n. 111. pag. 2030. &c. seq.*

741. Antequam respondeam, note 1. ex *Kircherio de Mund. subterr.* l. 11. sec. 3. c. 2. Nullum est minerales, aut metallum, cui non modicum insit auri, vel argenti, aut alterius metalli: item etiam aliquid auri inest auripigmento: imo, si hoc ex minera effoditur, signum est non longè remote aureæ venæ; hinc teste *Plinio l. 33. Histor. natural. c. 4.* Causus Cæsar auripigmentum ex coqui jussit, & aurum quidem optimum inde accepit, sed in tam parva quantitate, ut expensas non compensaret. Inest etiam aliquid auri vitriolo, antimonio, & similibus, quæ ab Alchymistis in suis operationibus adhiberi solent.

Unde, licet post aliquam operationem chymicam aliquid auri prodeat, non sequitur, illud esse de novo productum, sed tantum ex aliis corporibus fuisse extractum, aut ab iis separatum; nam utique datur ars separandi metalla: quin imo rarissime ita invenitur aurum depuratum in mineris, ut non opus sit, illud igne, vel Mercurio, vel sale, vel etiam quibusdam menstruis, aut aliis mediis, ab admixtis heterogeneis materiis separare, seu purgare, ut in mineris Peruviaæ fieri dictum est n. 538.

*Tons. II.*

742. Noto 2. Variaz sunt fraudes variorum Alchymistarum, quas refert *Kircherus de Mundo subterr.* l. 11. sec. 2. c. 8. & sec. 3. c. 1. item referunt *Mémoires pour l'histoire des sciences &c. à Trevoux tom. 4. an. 1723. Octobre. n. 111. pag. 2035.* & D. Geoffroy citatus supra n. 737. nam primò aliqui, adhibitis acutissimis menstruis, solvunt verum aurum in liquorem, quem dein infundunt Mercurio, atque igni impennunt, qui & Mercurium avolare facit, & aurum ex liquido solidum reddit: quod dein, tanquam à se recens productum, spectatoribus mirantibus ostentant. Alii aurum in pulverem redigunt, tinctumque colore quodam in ollam injiciunt, dumque ignis, & colorem absunt, & pulverem liquefcere, ac in unam massam confluere facit, iterum auream massam, tanquam de novo productam, venditant. Alii carbones excavant, & aurum latenter immittunt. Alii ollas cum duplice fundo, & quidem superiore ignibus liquebili habent, cui aurum subdunt, quod dein, fundo ignibus liquefacto, vel omnino absunto, tanquam recens confectum appareat.

Alii aurum dextrè in manu, vel inter digitos abscondunt, dumque ollam hinc inde versant, & ad avertendos spectatorum oculos, vel quid sibi ab ipsis afferri, petunt, vel aliud quid simile faciunt, citò aurum in ollam injiciunt. Et hi quidem verum aurum

Q9

rum exhibent, sed non de novo productum.

743. Alii verò novam quandam massam producunt, que tamen non est verum aurum, sed spurium: quod neque pollet vi medicā, vero au-  
ro propria, neque tamdiu resistit igni in furnis chymicis, cui tamen debet resistere verum aurum: quid-  
quid sit, an debeat etiam semper resistere igni solari, per specula cau-  
stica applicato, de quo vide dicta su-  
prā n. 534 præsertim autem tale au-  
rum, per artem productum, non susinet probationem cupellæ, quæ  
est vas confectum ex ossium cinc-  
ribus, qui, cùm salem non habeant,  
non ut alia vas in vitrum fluunt,  
sed intensissimo in igne durant:  
quem tamen intensissimum ignem  
aurum spurium ferre non potest,  
& licet aliquando tale fictitium au-  
rum in aliis vasibus sustinuerit ignem  
quinque, vel sex, vel etiam septem  
viciibus, tamen rursus igni imposi-  
tum, tandem destruetum est, & falsi-  
tatem suam manifestavit, ut jam  
testatus est apud Kircherum *l. 11.*  
*de Mund. Subterr. sec. 4. c. ult.* Al-  
bertus Magnus *l. 3 de Miner. c. 9.*  
ubi sic ait: *Experiri feci aurum al-  
chymicum, quod ad me delatum est:*  
& postquam sexies, aut septies,  
ignes sustinuit, tandem amplius  
ignitum consumitur, & perditur,  
& quasi ad f. cem revertitur. Qua-  
re, licet aliquid flavo splendore ful-  
geat, non propterea statim aurum  
est, sed plura alia requiruntur, ut

verum aurum esse probetur. His  
præmissis

744. Resp. neg. ant. ad prob. di-  
co, experientias adductas probabi-  
liter esse faltas, &c, vel aurum non  
fuisse de novo productum, sed tan-  
tum ex aliis mineralibus extractum,  
aut clam in ollam fuisse immixtum:  
vel, si massa fuit de novo producta,  
eam non fuisse verum aurum, nec  
fuisse sufficienter examinatum. Ut  
autem ad singulas experientias al-  
latas respondeam. Lullianam ro-  
sam negat Paracelsus fuisse vere au-  
ream, nec quidquam de ejus per  
cupellam probatione refertur. Idem  
Paracelsus ait, Arnoldum coram  
Roberto Rege Neapolitano sophi-  
sticum tantum aurum fecisse; unde  
idem probabiliter dicitur de virgis  
aureis, ab eodem Romæ confectis:  
&, licet dicatur, eas fuisse examini-  
subjectas, non tamen scitur, cui  
probationi fuerint subjectæ, & an  
etiam cupellæ incensissimæ, quæ  
fola probatio videtur extra omne  
dubium ponere veritatem auri.

745. Confessio auri per Anto-  
nium Tarvisinum nititur testimo-  
nio Cardani, quod non firmam in  
hac re fidem meretur: sed neque  
refertur, illud aurum ullam proba-  
tionem subiisse. Nec immerito ait  
Scaliger apud Delrio citatum n. 740.  
si verum aurum Antonius ille fecis-  
set, Venetos eum coacturos fuisse,  
ut operam sibi navaret, vel artem  
sibi manifestaret, quod non videtur  
factum; cùm Venetos, aut Anto-

nii opera, aut ejus arte fuisse usos, nusquam memoretur. Quod spe-  
ctat ad Cardinalis Hassia liquorem; is tantum colore aliquo aureo im-  
buerit metallum immissum; cum nulla probationis adhibitæ mentio  
mihi ea occasione facta sit: certè, si tam facile potuisset Cardinalis ille producere aurum, immensas di-  
vitias sibi comparâisset, de quibus nihil refertur.

746. Quod tandem attinet ad vi-  
ros graves, & pios, à Delrio cita-  
tos, credo facile fuisse magis pios,  
quam Paracelsum, aut Arnoldum,  
qui non magnam laudem à pietate  
retulerunt: sed ex pietate tantum  
infertur, illos viros, nee menda-  
ces, nec deceptores fuisse, non au-  
tem, non fuisse deceptos; potue-  
runt enim facile ab impostore quo-  
dam accipere pulverem, non qui-  
dem quoad apparentiam, sed tamén  
quoad rem ipsam aureum, & ne-  
scio quo barbaro nomine appella-  
tum, quo usi utique post suam ope-  
rationem obtinuerunt aurum, sed  
non de novo productum: potue-  
runt etiam facere aliquid auro simi-  
le, sed re ipsa spuriū, attamen, ob  
non adhibitas rigidas probationes,  
bona fide creditum verum aurum.  
Verbo: decepti fuere innumeri alii,  
ad eoque decipi etiam potuerunt hi  
viri pii, præsertim, cum à Delrio  
non scribatur, eos aurum saepius fe-  
cisse, aut productum legitimè ex-  
minasse.

Similis responsio dari potest, ac

debet ad alia similia experimenta,  
nempe, quod vel non fuerit produc-  
tum verum aurum, vel non de no-  
vo. Sic, quando refertur, clavum  
ferreum media sui parte per chry-  
sopœiam conversum in aurum, vel  
numismata pecuniaria fuisse dimi-  
dia sui parte in aurum conversa, re-  
spondendum cum D. Geoffroy,  
quem citavi suprà n. 737. non esse  
conversum ferrum, vel argentum  
in aurum, sed partes, ex diversis  
metallis constantes, fuisse ferrumi-  
natione quadam artificiose conglu-  
tinatas: cujus conglutinationis mo-  
dum citatus auctor ibidem tradit.

747. Ob. 2. Possunt per artem  
ita applicari activa passiva, ut na-  
scatur aliquod vivens: ergo etiam  
poterunt ita applicari, ut genere-  
tur aurum. conseq. non est negan-  
da; cum vivens sit aliquid longè  
perfectius, quam aurum. ant. prob.  
in primis in Ægypto, adhuc nostris  
temporibus, ut ante paucos annos  
scripsit P. Claudio Sicard S. J. piz  
memoriz olim in Ægypto Missiona-  
rius (cujus literas refert P. Josephus  
Stöcklein p. 19. *Welthist.* n. 421.)  
in una domo, continente octo fur-  
nes, producuntur simul triginta,  
aut plura millia pullorum: pariter  
teste Cardano ex pulvere produ-  
cuntur ranæ: quin S. Augustinus  
lib. 3. de Trinit. c. 7. & 8. sentit,  
ab Ægyptiis magis (de quibus  
*Exod.* 7. & 8.) fuisse ope dæmo-  
nis, qui ultra naturam nil potest,  
productas ranas, atque etiam ex

virgis productos veros dracones : ergo.

748. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. In iis casibus non nascitur vivens ope artis, sed tantum jam prius natum juvatur, ut se se perficiat, nutritat, & crescat ; nam, ut alibi probabimus, semina jam vivunt: certe, quando ova furnis Ægyptiis impoununtur, non possunt tunc primum recipere vitam ; nam, ut ex iisdem literis habetur, is, qui curam furnorum habet, aliud non facit, quam, quod ignem accendat in superiore fornice furni (quilibet enim furnus in duos fornices est divisus) ita, ut moderatus calor ad ova in fornicie inferiore jacentia perveniat ; item, quod aliquando ova invertat, & aliter colloget, ut calor ad ea aptius pertingat : quis autem dicat, per solum calorem vitam novam in ovo produci ? Eset hoc ferme idem, ac dicere, quod, qui aviculam pascit, ejus vitam generet : sed hac de re plura à n. 1177. ubi de vita seminum. Eodem modo non ex pulvere, sed ex seminibus pulveri immixtis nascuntur ranæ.

749. Circa dracones, à magis Pharaoni exhibitos, alii Patres (ut ait Bonfrerius in c. 7. *Exod. v. 12.*) ferè omnes à S. Augustino dissentunt ; censent enim, eos fuisse merita oculorum ludibria, & præstigias. Alii auctores apud Cornelium in c. 7. *Exod. v. 12.* cum S. Augustino volunt, exhibitos fuisse veros dracones : sed Cornelius censet, virgas

à dæmonे fuisse insensibiliter subtractas, eisque substitutos dracones a lunde allatos ; cum draco, animal satis perfectum, non videatur virtute dæmonis posse tam citè ex materia virgæ produci. S. Augustinus loc. cit. videtur quidem inclinare in eam opinionem, quæ asserit, veros dracones à magis fuisse productos : sed admittit ibi quandam panspermiam, vultque in ipsis virgis jam latuisse semina draconum : semina autem, ut alibi probaturi sumus, jam vivunt : adeoque, et si omittamus hanc sententiam S. Doctoris, tamen non potest ex ea inferri, quod viventia per artem producantur, sed ad summum juventur, ad consequendam suam perfectionem : ex quibus etiam habetur responsio ad alia similia.

750. Ob. 3. Potest ex ferro fieri chalybs : ex ære, vitri pulvere, & lapidis calaminaris tinctura, aurichalcum : ex mixtione cupri, stanni &c. æs campanum : ergo etiam potest ex aliis metallis fieri aurum. Resp. neg. conseq. Probabilius ferrum, & chalybs, differunt tantum accidentaliter ratione duritiei, quæ non infert differentiam substantialē ; nam saepius unum ferrum altero durius est : aurichalcum verò est mixtum, seu compositum imperfectum, ex illis tribus constitutivis, nec essentialiter differt ab illis : pariter mixtum imperfectum est æs campanum : at non ita etiam mixtum imperfectum est aurum.

aurum. Dein ex eo, quod ars possit efficere aliquid longè inferius, non sequitur, quod etiam possit facere supremum in eodem ordine: sicut ex eo, quod per ignem possit destrui ferrum, chalybs, &c. non sequitur, quod per eundem etiam possit destrui aurum.

751. Dices. Potest etiam dici, quod aurum tantum accidentaliter differat ab aliis metallis, & quod ista tantum sint accidentaliter imperfectiora, seu sint inchoatum, neandum perfectum aurum: sicut vermis, aut eruca, non essentialiter, sed tantum accidentaliter differt à papilione, in quem tandem vertitur: ergo. Resp. neg. ant. quod sine omni ratione contra communissimum sensum afferitur; nam omnes judicant, dari in auro singulari perfectionem, ab aliis metallis specie longè diversam.

De verme, seu eruca, est experientia manifestum, quod formetur in papilionem, ea ferè ratione, qua infans in utero formatur in perfectum hominem; nam eruca durante sua formatione semper vivit, adeoque scipsum perficit, & sibi organa efficit: at nulla similis experientia habetur de metallis, nec unquam aliquod metallum inferius, e. g. ferrum, vel cuprum, intra ulnas mineras, vel à seipso, mutatum est in aurum. Sanè, si potest dici, metallia alia tantum accidentaliter differre ab auro, poterit etiam dici, oves, & boves, & ele-

phantos tantum accidentaliter inter se differre.

752. Ob. 4. Aurum extra mineralam produci non repugnat ex parte materiæ, neque ex parte formæ, neque ex parte causæ efficientis: ergo ex nullo capite prob. ant. materia prima ubique habetur, & est indifferens, sicut ad alias formas, ita etiam ad formam auri: quin etiam materia secunda, quæ à recentioribus Chymicis satis communiter dicitur esse sal, sulphur, & Mercurius, facile extra mineralam reperitur: forma autem auri est conjungibilis cum quavis materia disposita: tandem causa efficiens est ealor, sive solis, sive ignium subterraneorum, qui non differt specie à calore nostri ignis, adeoque per hunc suppleri potest: ergo.

753. Resp. 1. Hoc argumento probaretur, omnia posse naturaliter produci, quæ tanquam ab omnibus judicata naturaliter impossibilia objecimus n. 739. Resp. 2. Quando agitur de potentia causarum secundarum, non debet, à negante talem potentiam, positivè ostendi impossibilitas, vel contradicatio; nam pro sola omnipotentia Dei stat præsumptio virtutis infinitæ: non autem pro causis secundis.

Resp. 3. neg. ant. Ut nihil dicam de defectu materiæ secundæ; quæ non videtur esse sal, & sulphur, cum ista, ut dictum n. 287. & seq. teste Boyle ex auro non possint extrahī: ut etiam nihil dicam de defectu

fectu caloris solis, quem S. Thomas, citatus n. 739. docet insupplebitem esse per calorem ignis (& certè calorem solis plus posse circa aurum, quam calorem nostri ignis, videtur satis probabiliter inferri ex dictis n. 534.) ut de his, inquam, nihil dicam, probabiliter datur defectus dispositionum, aut certæ matricis, seu virtutis quasi seminalis auri, in venis aurifodinarum contigit, quæ saltem reducuntur ad causam efficientem; unde ex parte hujus datur defectus.

754. Dices 1. Illa res, quæ à tot hominibus maximo studio, ac longissimo tempore, fuit tentata, non est naturaliter impossibilis: sed chrysopoeia est talis res: ergo. prob. ma. ad talem rem videatur dari instinctus universalis, seu appetitus naturæ: sed hic non datur ad aliquid naturaliter impossibile: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. iterum ma. non enim est instinctus hic naturalis, seu innatus: sed est appetitus elicitus, ortus ex inani curiositate,

vel saepius ex nimia cupiditate, qui potest dari ad aliquid etiam naturaliter impossibile: certè multi etiam magno studio inquisiverunt pharmacum immortalitatis, quod in statu naturæ lapsæ impossibile est: quin gravissimi auctores docent, posse etiam dari appetitum elicitum non supernaturalem ad visionem beatificam, quæ utique naturaliter possibilis non est.

Dices 2. Saltem posset Angelus aliquis, hominem docere artem conficiendi aurum: ergo est naturaliter possibilis; nam quidquid possunt Angeli ex viribus suis connaturalibus, adhuc est naturale. Resp. neg. ant. quia probabiliter ista ars non est naturaliter possibilis, adeoque nec Angeli ipsam sciunt: sicut juxta adversarios Angeli non possunt docere artem, vel modum, ita disponendi materiam, ut simul naturaliter possit recipere duas formas: vel artem producendi leonem e. g. extra uterum maternum, aut similia.

## ARTICULUS III.

*Quid, & quæ sit Magia Naturalis.*

755. **A**D artes utique spectat etiam *Magia naturalis*; cùm sit ars mira faciendi: dicitur autem *naturalis*, non tantum; quia ejus effectus non sunt supernaturales: sed etiam; quia est naturalis homini, sive quia ejus opera, sine ul-

la dæmonis ope, per media solihomini possibilia efficiuntur; unde magia naturali opposita est *Magia diabolica*. Potest autem illa definiiri ex Delrio L. I. Disquis. Mag. c. 2. restringendo modica mutatione definitionem magia in genere ad magiam

giām naturalem sic: *Magia naturalis est ars, seu facultas, vi humana quedam mira, & insolita efficiens, quorum ratio communem hominum capsum superat.* Hęc magia dicitur etiam *licita*: econtra *diabolica* vocatur *illicita*, utpote includens commercium, vel pātum cum diabolo. Dividitur magia naturalis in *divinatricem*, & *effectricem*. *Divinatrix* est ars cognoscendi, vel divinandi res occultas. *Effectrix* est ars mira faciendi.

756. Ad magiam divinatricem spectat primò *Algebra*, tam vulgaris, quam speciosa, quæ ex occulta combinatione numerorum, vel literarum alphabeti, aut aliorum signorum numeris substitutorum, eruit solutionem quæstionum ignotarum, e. g. quisnam aliquid surripuerit, quam chartam lusoriam aliquis cogitaverit &c. quæ videri possunt apud *Clavium*, & *Schottum*, quibus tamen recentiores multa addiderunt.

Secundò spectat huc *Astrologia*, non quidem illa, quæ res futuras à libertate humana, aut solius Dei occulto arbitrio dependentes, præsumit prædicere; hęc enim falsa, ac deceptoria est: sed illa, quæ ex astrorum, præcipue planetarum, inter se situ, vel etiam cum fixis eonjunctione, prædictit pluvias, ventos, calidam, aut frigidam, vel humidam, aut siccām tempestatem, aut etiam aliquando aēris noxiām

infectionem; hęc enim, & similia magnam habent cum influxu astrorum in terras connexionem.

757. Tertiò huc pertinet *Physiognomia*, quæ est facultas ex membrorum humani corporis constitutione, colore &c. vel etiam ex aliis signis corpori impressis, conjectandi passiones, aut temperamentū hominis: sic capilli albi ordinariè indicant naturam phlegmaticā: rubri verò cholericā. Ad hanc revocatur *Chiromantia* seu ars ex manuum lineis conjectandi, non quidem futura contingentia, à libertate humana pendentia, e. g. nuptias, divitias &c. quæ mentiri solent Zingari, sed robustam, aut debilem corporis habitudinem, vel etiam bonam, aut malam interiorum viscerum constitutionem: quae de re optimè tractat Niquetius. vide etiam p. 1. *Phys. pars 2. n. 1009.*

758. Ad magiam effectricem pertinet in primis *Cryptographia*, quæ est ars occulte scribendi, id quod fit, sive per incognitas literas, sive per numeros, sive per succum loco atramenti adhibitum. Sic Cæsar Augustus loco primæ literæ A ponebat secundam B, loco secundæ tertiam C, & sic deinceps; unde mirabiles voces legebantur, pluribus, & quasi solis consonantibus s̄epe constantes, nec nisi ab eo, ad quem scribebat, intelligibiles. Alii scribunt alumine aquā soluto: qui liquor cùm sit expers coloris, in charta siccata nullæ literæ ipso scriptæ

ptæ videntur : at, si charta rufus aquæ immagratur , literæ iterum apparent, maximè, si charta admoveatur fenestræ, ut fiat transparens: idem contingit, si scribatur succo limonum.

Alii scribunt lacte, & literæ chartæ concolores non apparent: at ad moto igne nigrescunt, & videntur. Alii scribunt calce, quo casu etiam literæ non videntur, donec charta igni injecta denigretur, literis manentibus albis. Sed maximè mirum est atramentum sympatheticum , quod ex spiritu vini , lithargyrio , calce viva , auripigmento , & aqua communi , inter se artificiose , & multa agitatione commixtis, potissimum constat. Isto in aliqua charta scribitur, & literæ comparent in alia, inter quam tamen , & illam, in qua scribitur, interjecti sunt viginti , & plures quaterniores.

759. Huc etiam spectat *Pyrotechnica*, seu ars faciendi ignes artificiales, in aqua, aëre, & terra, valde mirabiles: huc *Pyroboli* in aqua etiam ardentes, potissimum autem in aëre pulcherrima phænomena multipliciter exhibentes , e. g. nomina principum, insignia regum &c. Huc pertinet *Phosphorus*, non naturalis, sed arte paratus, de quo supra n. 214. Huc spectant telæ, ex lapidis *Asbesti* filamentis confectæ, quæ ab igne non consumuntur, dum tamen earum fôrdes igne absumentur, & ita illæ ab istis purgantur: quin ferunt, quorundam antiquorum imperato-

rum cadavera talibus asbestinis linteis fuisse involuta, ac rogo impo- sita: qua ratione cineres corporis non poterant misceri cineribus li- gni.

760. Huc præcipue spectant *Lu- cerna perpetua*, quas in antiquorum Ægyptiorum, atque etiam Romanorum sepulchris , adhuc post mille circiter annos ardentes, à fosforibus repertas fuisse narrant, quæ tamen apertæ cryptæ statim fuerint extinctæ. Evidem ellychnium per- petuum ex asbesto facile haberi po- test, & habuisse se testatur Kirche- rus L. s. *Mundi subterrani*. sec. 3. c. 1. sed difficultas est in inveniendo oleo , vel simili ignis nutrimento inconsuceptibili , aut non evapora- bili : vel cuius particulæ abirent in igniculos , & ex igniculis iterum fierent oleum , aut materia similis : & tale quid hucusque inveniri non potuit. Accedit, quod flamma de- beret ab aëre externo defendi, qui intra longissimum tempus facile ali- quando lucernam extingueret, nisi omnino excluderetur : attamen etiam non potest omnino excludi ; nam experientia teste ignis inclu- sus mox extinguitur.

761. Quare non immeritò Kircherus *loco modo cisato* air, lampades, seu lucernas perpetuas, purè artificiales impossibiles esse: attamen asserit, eas possibiles esse , si adda- tur aliquid naturale: e. g. si quis in- veniat aliquam venam bituminis, petrolei, aut similis liquoris, quem per

per canalem, e. g. plumbeum, in lam-  
padem dirigat, & ellychium as-  
bestinum addat, similiusque ab aëro,  
fakem vehementiore, sedulò defen-  
dat; tunc enim, advecto semper  
novo nutrimento, tamdiu ignis ar-  
debit, quamdiu aliquid alimenti per  
canalem suppeditabitur: & sic fuisse  
costruētas Aegyptiorum lampadēs idem Kircherus loc. cit. probat  
ex Sciangia authore Arabico.

762. De aliis autem signilibus lu-  
cernis, ait Kircherus loc. cit. eas,  
aut à dæmonibus ad fallendos su-  
perstitionis fossores fuisse accensas,  
aut certè tamdiu minime arsisse, sed  
sub ipsam cryptæ apertioñem tan-  
tum aliquid lumen emicuisse, ut  
sepe fieri solet in cryptis, & coeme-  
teriis, ubi halius quidam sulphu-  
rei, vel bituminosi, aut putridi,  
sepe accenduntur. Addit, fumum,  
quem aliquando se vidisse testati  
sunt fossores, potuisse etiam ex ea  
li fatuo igne prodire, vel à face pro-  
pria, qua ipsi in tenebris utcebantur:  
non autem potuisse provenire à lu-  
cerna; cum eam non ellychium, aut  
succo quodam adhuc instruētam,  
sed aridam, & pulveribus plenam  
invenerint. Schottus quidem p. 4.  
*Mag. natural. l. 2. synagm. 2. de*  
*pyrotech. antiqu. c. 6.* purat, tales  
lampades possibles esse, imò natu-  
raliter in antiquorum sepulchrīs ar-  
sisse, attamen modum eas constru-  
endi docere non potest.

763. Magia effectici ad varijs  
admirabiles effectus producendos

*Tom. II.*

atiam plurimura servit lapis magne-  
ticus, de quo plura iam diximus  
n. 530. cùm enim hic ferrum ad se  
trahat, vel ferrum ad eum movea-  
tur, plurima per eum fieri possunt,  
quaꝝ insciis maximam admiratio-  
nem afferunt: e. g. ut statutæ ad se  
accedant, se percutiant, se devo-  
rent &c. si scilicet ferreus clavus in  
unius pugno, & magnes in alterius  
capite figatur, vel in alterius va-  
stum hiante ore. Tali quadam arte  
confectus erat exercitus icuncula-  
rum pugnantium, Carolo V. exhibi-  
bitus, de quo n. 499.

Sic itidem fiunt naviculæ, quaꝝ  
in pelvi aquis plena hinc inde ferun-  
tus, prout iussæ fuerint, si nempe  
clam magnes ad varias partes mó-  
veatur: quin imò, si magnes affiga-  
tur indici horologii, poterit facilè  
fieri, ut navicula, vel in ea sedens  
nauta, horas in pelvis margine si-  
gnatas indiceret. Ubi addendum,  
quidem, esti, tali naviculæ impotaret  
magnum pondus ferrum, tamen à par-  
vo magnate trahendum, sit: & quia  
scilicet tunc gravitas naviculæ, &  
ferri, minor gravitate aquæ subje-  
ctæ, modice resistit motui horis  
zontali, & adhuc minus ipsa aqua  
facillimè divisibilis.

764. Illud autem fabulosum esse,  
jam dudum compertum est, quod  
olim ferebatur de tumba Macho-  
metis in aëre pendula, & à duobus  
magnetibus ita retenta; nam inpri-  
mis nullus magnes ferret, tamquam  
pondus ferri in tanta distânciâ, ut  
obser-

R r

observat Cardinalis Protœmæus in *Phys. parœc. de mixto inanim. difser. 4. de Lapidibus sec. 7. n. 3.* dein est moraliter impossibile, ita disponere duos magnetes, ut inter ipsos medium hæreat ferrum suspensum in ære, ut expertus est Cabeus, qui diu frustra laboravit, ferrum ita suspendere. Si tamen ferrum ponatur in ea vicinitate, & quantitate, ut illud magnes attrahere possit, at tamen filo retineatur, ne omnia sed magnetem possit accedere, hæsabit ferrum in ære pendulum.

765. Serviunt quoque magis corpora habentia sympathiam, vel antipathiam (in quocunque tandem istæ consistant) quas non tandem experimur in animalibus, e. g. in ove, & lupo, fele, & mure, lucinia, & bufone: nec tantum in plantis, de quibus n. 53. & 519. sed etiam in inanimatis: sic Mercurius advolat ad aurum; hinc, qui Mercurium tractant, aurum ori imponunt, ut ab eo spiritus Mercuriales noxii retineantur, nec per os in interiora ferantur: quo verisimiliter remedio usus non est aurifaber ille Romanus (de quo Kircherus 4. 3. de Magnet. p. 5. c. 3.) qui post insolitos capitis dolores tandem mortuus in aperta calvaria integrum Mercurij libram exhibuit. Si tamen postea aurum Mercurio oblitum imponatur igni, Mercurius mox aufugit, symbolum infidelis amici, qui tantum tempore faventis, non verò adversè fortunæ, atq;

eo adhæret. Hac ratione potest coram imperitis facilè ex argento produci aurum.

766. Huc maximè spectrat controversia de *Virga divinatoria*, cuius experimentum primò Lugduni in Gallia factum esse testantur *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom. 2. an. 1713. Avril. n. 60. pag. 704.* & quæ dicitur, se ad aurum, & argentum inclinare, hinc queritur, an ista inclinatio naturaliter fiat, an verò ex superstitione, & pacto saltem implicito cum dænone. Virgula autem sumitur bifurcata de corylo: quamvis aliqui etiam ab aliis arboribus virgas abscondant. Ea virga apprehenditur ita, ut una manu unum, altera alterum cornu ejus teneatur, nec nimis fortiter, nec nimis leniter, tranco virgæ in altum erecto: ita circumimitur per montes, & valles, per domos, & alia, quo spes auri reperiendi vocat, donec virga se versus certum locum inclinet, ubi auri, vel argenti fodinâ, vel aliud aurum, & argentum, latere præsumitur: quæ inclinatio virgæ idiosyncrasico Germanico *Percussio* appellatur. Et hac ratione dicuntur Sueci, ante centum, & amplius annos, Germaniam populati, multum auri, & argenti absconditi, detexisse.

767. Evidem, quod virga abscondi debet certo tempore anni, vel etiam certo diei; e. g. matutino, item sole, aut luna, certos si-

tus,

tus, aut signa in cælis obrinente, eam superstitionem esse non probat, cum virtus naturalis plurium rerum à similibus sepe augatur, aut minuatur, experientia id testante. At vero, si in virgæ foissione, præparatione, usū, certa quædam verba adhibenda præscribantur, magno argumento sunt, superstitionem intervenire. Insuper valde notandum est, quod virga haec non in omnium manibus inclinetur, nec etiam semper in manibus ejusdem; unde tota vis ad inclinationem non est in virga sola; hinc additur, conferre aliquid etiam ipsam diversam diversarum manuum, vel etiam aliquando ejusdem manus, evaporationem, ob diversum tunc temperamentum sanguinis: quæ tamen modice fundamento dici, & minimè probari posse videntur.

768. Accedit, quod aliquando inclinetur virga, quando nullum adest aurum, vel argentum: circa quod memorabilem historiam refert Schottus *Phys. Tharmasurgi seu Magia Univers.* p. 4. l. 4. syntag. 4. c. 1. & de eo casu quidam interrogatus eidem Schiotto respondit, fors thesaurum, dum foditur, aliò à dæmonie transferri: at hos videtur potius esse fictum Poëzæ, quam solidum Philosophi responsum. Addit, forte sympathiam coryli cum auro &c. neecdum esse satatis perspectam: & quæ bene dixisset, esse valde dubiam.

P. Joannes Baptista Halden in

*Plantario Philosoph. probl. 2. ubi* fuisse de hac virga agit, tandem n. 7. sub finem putat, dici posse, à Mercurio, in virgæ poris latente, eam inclinationem causari: & quidem Mercurium ferri sympatheticum ad aurum dictum jam est n. 765; docetque Kircherus *L. 3 de Magnete.* p. 3. c. 4. eundem etiam advolare ad argentum. Idem Kircherus. cit. l. 3. p. 3. c. 3. docet, intra arboreum copiosum quandoque Mercurium reperi; quare videtur P. Baptista Halden, Mercurius in virga latens, dum ad aurum conatur accedere, nec statim per corticem virgæ evolare potest, hanc versus aurum movere, seu ad illud inclinare. Sed, cum Kircherus, non de corylo magis, quam de aliis arboribus dicat, Mercurium in iis reperi, hic quamlibet virgam ita inclinare debet, nec opus esset bifurcata, sed quelibet non nimis rigida sufficeret, ut patet. Mihi res suspecta est: cùmque superstitionis dabant, Forerus, Schottus, Fabri, Hagedius, Cæsius, & plures alii apud Halden cit. problem. n. 1. imò adhuc plures alii apud alios. videatur etiam Kircherus *de Magnete.* l. 3. p. 3. c. 3. ubi videtur, opinionem P. Baptista Halden utquaque admittere, si effectus sequatur, quamvis dicat, cum sapè esse fictum.

769. Dices. Tamen viri pii, & docti, ista virgulæ usi sunt, quos nemo audeat superstitionis damnare. R r 2

re: ergo. Rep. neg. conseq. Eſti non uſi fuerint ſcienter ſuperſtitio-  
ne, potuerunt eā uti ignoranter,  
& bona fide, uti kepe potest con-  
tingere, in rebus ratione pætitan-  
tūm impliciti cum dæmonē ſuper-  
ſtitioſis. Exemplum ſat clarum ſup-  
peditat Tamburinus in Decal. 6. 2.  
c. 6. f. 1. n. 39.

Cardinalis Joannes de Lugo, vir  
doctissimus, putavit bona fide, quod  
annulus, pollice, ac indeo dīgo,  
ē filo ſuſpensuſ, & intra vitruſ, vel  
aliud vas ſonorū aliquantūm de-  
mifus, naturaliter motu ſuo; ſeu  
percūſione vitri; aut vāſiſ, horas  
ſignet, ratus, id vel à puſſu arteria-  
rum, vel occulta vi ſiderum, poſſe  
provenire. At poſteā errorem ſuum  
agnovit; nam, licet in Hispania an-  
nulus horas aſtronomicas (quali-  
bus Hispani, uti & Germani, ac Gal-  
li utuntur) ſonitu ſignaſſet, camen,  
cūm Cardinalis in Italiam profectus  
vix in hanc appulifer, & in locum;  
ubi Italicæ horæ ab horologio in-  
diſcarentur, pervenifer, statim an-  
nulus Italicæ horas inſonauit; cūm  
tamen diſtantia unius loci ab alte-  
ro modica fuerit, adeq'ue nec pul-  
ſus arteriæ, nec ſtella uita mutatio-  
nem tancam inducere potuerit. Si-  
milis annuli cum incluſo jaspide  
meminit Kircherus de Magnet. 3.  
p. 5. c. 4. ſub finem, cūmque dāmna ſt  
superſtitioſis.

770. Inter præcipuas partes ma-  
giz naturalis eſt Mechanica, ſeu ars  
conſtruendi varias machinas, & per-

cas moveandi, ſeu attollendigravia.  
Per haec Archimedes adhibitis  
trochaleis facillimè movit navem,  
& in litus attraxit. Idem dicebat,  
ſe terraqueam globum in altum  
traeturum, modò haberet extra ter-  
ras clavum firmiter inſixum, cui fu-  
nes amneteret. Sed, ut Mathematici  
moſtrant, indigeret mukis  
miltibus longiſſimorum funium, &  
mille forte etiam annis, ut vel ad  
uarius pedis altitudinem terram at-  
tolleret. Interim haec arte campa-  
na maximæ, & graviflma alia, ſa  
facile in altum trahuntur, ac ingens  
lapis funiculo debili, unitis que di-  
giit labore attollitur: & reddidit  
haec ars olim Europeos valde cele-  
bres in Sinis. Huc ſpectant ea ar-  
tefacta mirabilia, de quibus dictum  
n. 499. & ſimilia plura, quibus ars  
non infeliciter naturam imitata eſt,  
& mirabiles motus efficit.

771. Quæſtio autem celebris, &  
huc præſertim referenda, eſt, an  
actu doctur Mōrus artificiosus per-  
petuus, vel an ſaltēm poſſibilis sit.  
Quia in re certum eſt, motum arti-  
ficiolum poſſe per annum, inte-  
grum, & etiam plures durare, e. g.  
poſſe horologium, rotis inter ſe  
conciinnatis, & variis catenis, funi-  
bus, ponderibus &c. ita instrui, ut  
eius motus diutissimè protrahatur.  
Sic ſane ſunt horologia, qaz cur-  
ſum planetarum, & iſpofum caſto-  
rum, in multos annos indicant.

At haec adhuc longè abſunt à mo-  
tu perpetuo: & hanc multi impo-  
ſiblē

obilem judicant ex hac ratione. Ut daretur motus artificiosus perpetuus; deberet duo se invicem in motu, ut postquam primum movevit secundum, hoc vicissim moveat primum, eadem velocitate, & impetu, atque in param altitudinem: hoc non est possibile; ergo. ma. est clara; si enim secundus motus esset tardior, vel remissior, tenuis adhuc magis effet remissus, & pondus non amplius in priorem arietudinem attolleret, adeoque sensim cessaret.

3772. Prob. iam mi. superius posita. Vel utrumquid pondus est in aequilibrio, & ejusdem gravitatis, & neutrum movebit alterum, ut patet experientia in bilance aequiliter librata: vel unum pondus est altius, & movebit quidem alterum, sed experientia teste successu tem-

potis aliquanto remissius, & non in eandem semper altitudinem: adeoque motus brevi cessabit: sicut brevi oratione cessat impulsus ab extrinseco anni impressus, qui non potest aequaliter impulsum producere in altero, propter hujus resistantiam, adeoque & ipse brevi deficit. Accedit, quod, licet speculativè multa sint in medium allata, quæ videbantur causatura motum perpetuum, quando tamen devenire est ad praxin, nihil hucusque effectum est. Kircherus certè in *Musica Subterranea* l. 1. s. 2. refert, sibi prescriptos esse decem modos efficiendi, motus perpetui, nihil tamen unquam effectum. De hoc motu etiam videtur potest de Lanis *Magia Naturalis* tom. 1. sr. 3. l. 8. & Schottus in *Magia Technica* l. 10. per sociam.

## ARTICULUS IV.

### Quid sit, & possit

773. *M*agia diabolica ex Delio L. 1. Disquis. Magie c. 2. potest bene definiri. *Facultas, qua vi patiti, cum demonibus inita, mira quedam efficaciter.* Potest autem hoc patiti esse, vel expressum, & explicitum, vel tacitum, & implicatum. Prius est, si expressa conventio fiat inter magum, & demonem: posterius, si magus utatur actionibus, aut mediis, magicia, per conyencionem,

### Magia Diabolica.

cum dæmonie, non ab ipso, sed ab alio celebratam, determinatis; tunc enim utendo his mediis censetur voluntati dæmonis assentiri, factaque ipso dæmonem invocare, ut recte ait Tamburinus l. 2. in *Decalog.* c. 6. s. 1. n. 8.

Auctor primus hujus magiae fuit fuisse Zoroaster, quem Diodorus Siculus scribit fuisse regem Bætrianorum: Plinius autem, & Diogenes Laertius tradidit fuisse Per-

Rr 3

sam : quin aliqui volunt, cum fuisse Chamum filium Noë, & patre maledictum : quod tamen fors difficulter probaretur. Hic Zoroaster, ut refert S. Augustinus *l. 21. de Civit. Dei c. 14.* & Plinius *l. 7. Hist. natural. c. 16.* contra communem hominum recens natorum consuetudinem, eodem die, quo natus est, risit.

774. Magiae hujus species sunt 1. *Mantice*, seu facultas divinandi, sive per mortuorum cadavera, sive per clementia, sive alia instrumenta superstitionis 2. *Masbæsi*, per quam non intelligitur scientia illa eruditissima, sed *Vana Astrologia*, pluribus Pontificum & Imperatorum decretis, saepe proscripta ; hinc ille versiculos : *Sece doces Morbos, sed divinare Adytes sus* ; Jurisconsultis notus 3. *Prestigia*, seu deceptiones sensuum, per phantasmatata, aut illusorias representationes, rerum in se non existentium. 4. *Sortilegium*, seu divinatio per sortes. 5. *Maleficia*, per quæ hominibus nocimenta inferuntur, sive dein id fiat incantationibus, vel, ut vocant, ligaturis, sive aliis exacerbandis modis.

775. Jam, cum omnia, quæ per magiam diabolica sunt, sicut operæ dæmonis, per eam tantum homines possunt, quantum ipsi dæmones, qui eis assistunt, eosque juvant ; unde, ut sciatur, quid per hanc magiam fieri possit, explicandum est, quid possint ipsi dæmones,

fuis naturalibus viribus, quas, cum peccando non amiserint, tantas habent, quantas Angeli boni : interim tamen misericordissimus Deus, superflue non permisit, eos superpotestate uti, ne nimidam noceant. Est etiam unus dæmon superior, vel fortior altero ; quia est ex superiori choro, vel hierarchia lapsus ; unde aliquando unus magus, habens assistancem dæmonem fortiorum, potest cogere alterum magum, vel ei resistere : quamvis dæmones saepe tantum fingant, se impediri. Aliquando etiam dæmon maiorem afflictionem promisit uni mago, quam alteri, & hinc unus potest plura præstare, quam alter.

776. Quaritur jam 1. quid dæmones possint in intellectum humanum. Resp. Juxta communem non possunt dæmones directè agere in intellectum, producendo species intellectuales : possunt tamen commovere, & variè combinare species phantasticas, sicut typographi typos, & sic plurima docere : sic Dethio *l. 2. Disquis. Mag. q. 24.* & ahil tradunt, Anabaptistas post sumptionem certi potūs, vel cibi, magnam partem Scripture memoriter scivisse : dicuntur etiam iterum fuisse oblii Scripturarum, postquam errorem deposuerunt. Ad dæmones possint novas species phantasticas in sensu interiori hominis producere, etiam quæstio est : ad quam videtur respondendum negative ; alias enim possent ex eo in ejus

eis phantasia representare colorrem, quod tamen non possunt.

777. Queritur 2. quid possint demones in voluntatem humanaam. Resp. Directe nihil in eam possunt; alias enim non facit libertas hominis; habent tamen magnam vim, ad excitandos humores, sanguinem, bilem, ad enoyendaphantasmata, ad objiciendas species rerum &c. quibus vehementer excitantur passiones, & homo ad malum gravissime tentatur. Hunc effectum ex pacto cum demone habent phiala, seu amoris pocula, quae dum bibunt etiam innocentes, à demone vix non ad insaniam sepe adiguntur, & ejus rei exempla plura possent adduci, ea que valde funesta.

778. Queritur 3. quid demones possint in memoriam hominis. Resp. Possunt idem, quod in intellectum; unde & hinc mediatis speciebus phantasticis representantur praeterita: & sic sepe post plures annos in memoriam revocant aliquod objectum visum, & graviter tentant. Huc, seu ad actiones demonium in memoriam, vel potius in intellectum, spectant deinceps predictiones futurorum, quas aliquando magi faciunt, suggestoribus demonibus.

Circa has predictiones tamen notandum, demonibus futurorum contingere opinimur esse praeognites; quare vel tantum predicere possunt effectus futuros, à causis necesse

fari si oriturae & vel utrè contingentes tancum possunt: prædicere conjecturaliter, & fallibiliter; unde in talibus casibus solent prædictiones esse amphibologicas, qualis fuit illa facta Pyrrho Macedoni: *Dico te tyrrhnum Romanos vincere posse:* quæ verum sensum habuit, sive à Pyrrho, sive à Romanis victoria steterit. Quandisque demones aliqua jam alibi facta, & eo loco necdum cognita, prædicunt vanquam futura, & sic homines decipiunt.

779. Queritur 4. quid demones possint in corpus humanum. Resp. Nisi Deus, & Angelus Custos (qui ideo frequenter invocandus est) demones impedit, in corpus hominis plurimum possunt; nam 1. possunt innocere morbos immedicabiles, per venena occulte ingesta. 2. possunt absurdissima queque in stomachum, & alias corporis partes intermittere; nam sepius maledicis affecti per os egesserunt cultros, claves, glomos pilorum, & turpissimarum fardium, ligna etiam, & alia, tam grandia, ut planctum sic galam, dum similia evomuntur, non disrupi. Immitiunt autem demones in stomachum cavia, vel insensibiliter, & latenter aperiendo corpus, & id celerrime iterum resanando: vel ferramenta, aut ligna grandiora in minimas partes dividendo, & max intra stomachum iterum reponiendo.

780. At vero corpora humana

mu-

mutare dæmon non potest in corpora ferina; nam anima humana non posset naturaliter persistere in corpore organizato pro anima leonis, aut lupi: sed neque dæmon potest organa statim mutare, & pro humanis ferina producere; alias negari vix posset, quod etiam animalia perfecta producere posset. Quare, si quis homo ipsem etiam tantum putat, se mutatum esse in feram, dæmon tantum immutat ejus phantasiam, ut imaginetur sibi, se esse bestiam; hoc enim etiam contingit in delirantibus vi morbi. Si autem etiam alii putent, aliquem esse feram, tunc vel dæmon subducto clam homine ipse apparet sub specie talis bestie: vel membris humanis utrata pellit bestiam, ut videatur talis esse: vel ex aere circumdat membris humanis aliud corpus simile tali bestiae; hinc, si talis bestia dein vulneretur, lassio apparet in ipso humano corpore, in quod vulnerus terminatur: si autem dæmon loco hominis apparuit, is dein ex permissione divina hominem vere vulnerat, eo in membro, in quo ipse apparenter vulneratus fuit.

781. Videatur etiam dæmon corpora humana aliquando invisibilis reddere, ut resertur de Gyge, quod inserto digitis certo annulo redditus sit invisibilis: sed strictèlaquendo corpus invisibile reddere dæmon non potest; cum corpus quantum, & coloratum, necessariè visi-

bile sit: potest tamen dæmon, vel interponendo aliud corpus, vel impediendo species objectū, ne ad oculum perveniant, vel species alterius corporis per reflexionem obtrudendo, vel oculi humores, & spiritus turbando, vel etiam situm organi mutando, efficere, ut corpus; vel aliqua ejus pars, non videatur; unde, si homines apparent instar felium, cum membra hominis inter se compenetrari naturaliter non possint, neque etiam in tam patrum spatiū condensari, ita, ut etiam homo vivere possit, debet dæmon alias humani corporis partes, aliquo ex dictis modis invisibilis facere.

782. Solet etiam dæmon ex pacto cum magis eorum corpora ita quasi indurare, vel, ut Germani vocant, conglaciare, ut nullis armis vulnerari possint: & hoc facit, ut avertendo ictum, vel interponendo corpus aliquod durum: qua ratiōne etiam aliquando dæmon facit, ne quis aduratur: sed misera talis orci mancipia sēpissimē deludentur, & quanquam sēpe sanguinem fundant, tamen lividi, & tremoribus pleni moriuntur. Sic quoque dæmon aliquando sagas facit quasi insensibiles, inducto stupore nervorum, per varia medicamina opio mixta, ita, ut in somnis nil fateantur, & ab amissione sensibilitatis destituit, quando ejus opes vel maximè egrent.

783. Potest etiam dæmon corpora

pora humana ab uno loco in alterum transferre; viderur enim hoc negari non posse; nam, ut Cornelius à Lapide *in c. 4. Matth. v. 5.* cum pluribus SS. Patribus docet, diabolus ipsum Christum Dominum (qui id impedire noluit) ex eremo in pinnaculum templi, & inde in montem excelsum transtulit: item multos blasphemos per aëra abripuit, de quibus testantur pluri-mi auctores. Sed dubitatur, an etiam sagas revera aliò transferat, an vero duntaxat earum phantasi-am ita immuteret, ut imaginentur si-bi, se aliò transvehi.

784. Videtur autem dicendum, eas non quidem semper, sed tamen sepe, revera in alium locum transvehi; nam sepe mediis in agris sagæ, aut alii homines, hirco, vel equo fantastico portati, decide-runt, ubi dein ab aliis inventi fue-runt. Exempla plura videre est apud Delrio *Disquis. Magic. l. 2. q. 16.* ubi etiam solvitur objectio in contrarium *ex C. Episcopi. 26. q. 5.* respondendo scilicet cum Turrecre-mata, Alfonso à Castro, ac aliis, ibi citatis, non omnia, sed tantum aliqua, in eo canone relata, non posse credi sine heresi: & ad reji-ciendam propositionem comple-xam sufficere falsitatem etiam unius membra. Addi potest, quod de canonis illius auctoritate viri gra-ves non immerito dubitent.

785. Quando autem dæmon sa-gas noctu transfert in domos clau-  
Tom. II.

sas, non potest facere, ut compen-trentur cum muris, vel januis (hoe enim naturæ vires ex omnium sen-tentia superat) sed inadvertenter aperit januam, aut fenestram, eas-que introducit: vel etiam lapides, aut asperes removet, & mox in pri-orem situm, ut nihil adverti possit, reponit: sed neque etiam sagæ, per parvum, & corporis magnitudini improportionatum foramen, subire intrò possunt; quia nec compen-trari membra, nec condensatio-ne ad improportionatam parvitatem redigi possunt, ut dictum jam est. 786. Aliquando sagæ visæ sunt ef-ficie eodem tempore in duobus locis: cùm autem replicatio naturaliter non sit possibilis, dicendum est, tunc dæmonem in uno loco induisse se corpore aëreo sagæ simillimo, ac eam repræsentasse.

786. Quæritur s. quid possine dæmones in animas defunctorum. Resp. Non possunt defacto eas ve-re resuscitare: neque etiam eas pro libitu præsentes sistere; quippe in animas Sanctorum dæmonibus nul-lum jus est: damnatorum autem ani-mas, ad carcerem inferni æter-num detrusas, non possunt sine nu-tu Dei educere, sine quo nec ipsi possunt egredi. videatur Delrio *Disquis. Mag. l. 2. q. 26. sec. 7.* ubi auctoritate, & ratione probat hanc assertionem. Unde, quando i. Reg. c. 28. legitur pythonissa, in gratiam Saulis excitasse Samuelem ab infernis, dicunt quidam, non fuisse ex-

citatum verum Samuelem: attamen probabilius est, fuisse revera ipsum prophetam suscitatum, ut sumitur ex Ecclesiasticis c. 46. v. 23. ubi dicitur Samuel post mortem regi Sauli notum fecisse finem vita: quod idem refertur 1. Reg. c. 28.

Quare alii dicunt, apparuisse tunc quidem verum Samuelem, sed non fuisse excitatum, ex vi magici carminis, sed ex voluntate Dei, qui per eum voluit reprehendere, & nuncio necis ferire Saulem. Quando autem necremantur quidam spiritus mortuorum suis carminibus, vel etiam combustâ verbenâ, aut aliis ritibus scelestis evocant, dæmones sub specie defunctorum apparent, & eorum loco ad interrogata respondent. Dixi, *defacto* dæmones non posse animas resuscitare; quia Deus defacto dæmones in multis impedit; nam, quod dæmoni via sua naturali, si ea uti permittetur, non posset animam humanam, quæ Angelo est imperfectior, moveare in locum, in quem veller, non dixerim.

787. Quæritur 6. quid possint dæmones in entia inanimata. Resp. Possunt omnia illa, quæ naturaliter per motum localem effici possunt; hinc possunt cogere nubes, ciere tempestates, terræ motus excitare, immittere turbines, emittere fulmina, & similia: possunt facere, ut statuæ se moveant, vel etiam appetenter loquantur: sic habetur *Iob*. 1. dæmones fulmine percussisse gre-

ges Jobi, & in amissione vehementi turbine domum, in qua vellabantur liberi ejus, stravisse, ac liberos occidisse: sic scribitar Junonis statua Vejis culta, à Romano milite interrogata, an vellit Romanum ire, respondisse, se id velle: sic apud Philostratum in vita Apollonii Tyanae l. 3. c. 8. legitur, quod, cum Apollonius cum Jarcha, Brachmannorum principe, & aliis Brachmannis, ac rege Medorum, mensæ accumberet, æreæ statuæ pincernarum officio functæ sint: vinum, & aquam miscuerint: quin etiam tripodes vinum, & aquam affuderint: ferula vero sponte sua accesserint &c.

788. Jam signa intervenientis magiz diabolicæ, vel pacti implicati cum dæmoni, sunt 1. si adhibentur media, quæ juxta virorum peritorum judicium nullam proportionem habent cum effectu. Dico virorum peritorum; nam non statim tanquam magicum rejiciendum est, quod alicui minus perito prima fronte non videtur proportionatum. Tale medium improportionatum adhibuit illo rusticus, qui lignum abscidit ab arbore, dum cùculus in ea clamaret, idque tanquam remedium contra febres secum gestavit. 2. Si adhibentur verba, aut peregrina, aut ex se nullum sensum, vel saltem nullum ad rem facientem habentia, aut verba falsa, vel omnino sacrilega, aut blasphema.

789. Ulterius 3. Si adhibentur

czre-

exceremoniae ridiculae : e. g. si quis plures cruces sinistro pollice super rem faciat : si ad eam retrogradus accedat, illotis manibus, pede uno exalceato &c. 4. Si adhibentur media, certo numero immutabiliter observato, qui tamen non videtur facere ad rem : e. g. si debeat res advehiri tribus equis, si debeat oratio fieri accensis tribus canidelis, nec paucioribus, nec pluribus. 5. Si adhibeantur res à pen-

dentibus in patibulo, vel ex alio. Si milititer inepto loco acceptae. 6. Si observentur, non tantum certa anni tempora, sed certi dies, achorae, e. g. dies S. Thomae Apostoli, vel S. Stephani M. vel sacra nox nativitatis Domini, & ejus hora duodecima &c. Plura alia, & explicatio legere est hac de re apud Theologos morales : Philosopho hæc non tam tractasse, quam indicasse sufficiat.

## DISPUTATIO TERTIA.

### *De Causis.*

790. **C**uius hominum à natura est indita cupido, effectu-  
um, qui quotidie novi in  
orbe comparent, causas cognoscendi : & juxta Hesiodum est *Felix, qui  
posuit rerum cognoscere causas;* quia nempe magis doctus est, & ma-  
gis scientificus ; neque enim in rigore Aristotelico scientia habetur de  
ulla re, cujus causa, siquam habet,

nescitur ; sic enim scribit Philosophus 1. Posterior. text. 31. *Maxime namque proprium ipsius scire est propter quia speculari.* Itaque modò agendum de causis in genere, atque etiam de causis in specie : de quibus cùm plurima sint pertraetanda, disputatio hæc valde prolixia futura est, & hinc in plures quæstiones dividenda.

## QUÆSTIO PRIMA.

### *De Causa in Genere.*

#### ARTICULUS I.

##### *Quid sit Causa in Genere.*

791. **P**hilosophus nullam uspiam definitionem, aut descri-

ptionem causæ in genere tradidit, illumque excusat Maurus Quæst. philosop. S. 2

*Ioseph. L. 3. q. 14. ad 3.* dicendo, eum ideo causam non definitissime, quod judicaverit, id necessarium non esse; sicut enim non debent demonstrari prima principia; quia sunt per se nota: ita, ait Maurus, *visum esse Aristotelii*, non debere definiri causam in genere; quia etiam est primò, & per se nota; nam, quia quilibet, dum novum effectum cernit, ex naturali cupiditate sciendi querit, quæ sit ejus causa, debet iam pro priori nosse, quid sit causa in genere; alias non posset inquirere in causam in specie.

792. At, licet aliquo modo ruderiter sciatur, quid sit causa, sicut etiam scitur, quid sit homo, tamen merito petitur exactior ejus definitio, & hinc communiter Philosophi inquirunt in definitionem causæ in genere, ac varias in medium afferunt. Quidam volunt definitionem causæ in genere eruere ex verbis Aristotelis 2. *Phys. text. 68.* *Tot enim numero ipsum propter quid comprehendit: ex quibus hanc definitionem inferunt: Causa est, quam damus, cum queritur, propter quid res sit.*

Hæc tamen definitio est satis imperfecta, sicut & illa, quam alii adducunt: *Causa est, per quam aliquid contingit;* nam neutra excludit conditiones; sëpe enim, dum queritur, propter quid, seu quare res sit, respondemus assignando aliquam conditionem: e. g. cum queritur, quare domus conflagra-

verit, vel ejus conflagratio contigerit, respondemus; quia à quodam nefario homine ignis fuit injectus; cum tamen injectio ignis, seu ejus applicatio, non sit causa, sed tantum pura conditio.

793. Varias alias definitiones afferunt auctores varii, ex quibus fortè optima est ea, quam Suarez afferit *disp. 12 Metaph. sec. 2. n. 4.* ubi causam sic definit: *Principium per se influens esse in aliud:* quam definitionem *sec. cit.* idem Eximius magis explicat, & bene probat; hinc eam neutiquam rejicio; quia tamen definitio causæ, quam recentiores, præsertim in nostris Lyceis, communius tradunt, videtur mihi paulò clarior, & expeditior, eam omissis aliis amplectior. Itaque

794. Dico. *Causa* in genere bene definitur *Principium ex propria virtute determinans aliquid insufficientem ad existendum.* In hac definitione terminus *Principium*, quem explicavimus supra n. 6. est genus (nam convenit etiam Patri divino, & privationi, quamvis non sint causæ) reliqui autem termini sunt differentia. Prob. bonitas definitionis. Hæc definitio est clarior definito, atque convenit omni, & sibi: ergo est bona. ant. habet tria membra, nempe 1. quod sit clarior, 2. quod conveniat omni, 3. quod conveniat soli.

Prob. 1. membrum. Non semper illud est clarus, quod faciliter percipitur, sed hoc tantum est verum,

rum, si cætera sint paria; aliás enim clarior est, quod rite perceptum magis illustrat intellectum, cùmque reddit magis, ac perfectius scientem: atqui, licet facilius sit, ruditè percipere causam, quām percipere, quid sit ex propria virtute determinare, tamen cætera non sunt paria; quia qualiscunque rūdis conceptus non ita illustrat intellectum, nec eum ita reddit scientem, sicut nostra definitio, si rite percipiatur, seu penetretur: quod facile fieri potest, si expendantur, quæ mox, tam pro probatione reliquorum membrorum antecedentis, quām pro explicatione definitionis afferemus: ergo.

795. Prob. 2. membr. ant. seu quod definitio nostra conveniat omni. Causæ, vel sunt intrinsecæ, vel extrinsecæ: utrisque convenient definitio: ergo. prob. mi. quoad 1. p. causæ intrinsecæ sunt partes ut quod compositi, seu materia, & forma: sed hæ sunt principia, ut probatum à n. 13. itēmque sua virtute, seu intrinseca perfectione, determinant ad existendum aliquid insufficientis, nempe totum, quod deficientibus istis partibus (quæ utique deficere possunt, sicut & earum unio) non potest existere: adeoque ab ipsis, suum esse toti communicantibus, istud accipit sufficientiam ad existendum: ergo.

Prob. mi. quoad 2. p. Causæ extrinsecæ communiter censentur esse principium physice, vel morali-

ter efficiens, subjectum sustentativum effectus, finis in eo producendo intentus, & idea operantis, cui conformatur effectus: atqui ista omnia determinant ex propria virtute effectum ex se insufficientem ad existendum: ergo,

796. Prob. mi. in exemplo. Quando producendus est ignis B, tunc, quia ipse ex se, vel à se, non potest existere, eum tanquam principium efficiens ad existendum determinat ignis A, & quidem ex propria virtute; quia ignis A pro priori existens habet propriam, sive sibi innatam virtutem, seu potentiam, producendi ignem B sibi similem. At, quia eum non potest producere ex nihilo etiam subjecti, debet quoque adesse subjectum, seu materia prima, ex propria virtute effectum, & actionem productivam ejusdem sustentans, & sic passim determinans ad existendum. Cùm autem ignis non frustra, seu absque omni ratione soleat excitari, intenditur etiam aliquis finis, e. g. præparatio ciborum, qui finis per suam virtutem, seu estimabilitatem, moverando determinat ad ignem excitandum, sive ad ejus existentiam.

797. Accedit præter finem sive aliud motivum, e. g. mandatum domini, jubentis ignem accendi, quod etiam sua virtute motiva, seu merito, determinat ad excitandum ignem, eumque in moralí estimatione excitat. Potest etiam accedere

dere certa idea, ad cuius normam artificiose excitetur ignis, dum e.g. certis concomerationibus includitur, aut per certa foramina exitum querere cogitur: quæ idea iterum ex propria virtute, seu perfectione, aut estimabilitate, dirigit operantem ad artificiose excitandum ignem, & consequenter istum determinat ad existendum: quæ virtus forte aperiens appetit in idea alicujus palatii, à qua dirigitur artifex ad ædificium illi conformandum: ergo omnibus, quæ communiter numerantur inter causas extrinsecas, coavenit ex propria virtute determinare aliquid insufficiens ad existendum.

798. Prob. jam 3. membr. ant. suprà positi, sive, quodd definitio conveniat soli. In primis à ratione cause excludi debet in divinis Pater respectu Filii; quia causa dicit relationem ad effectum: Filius autem divinus non est effectus; nam ex Symbolo Nicæno habetur, eum esse genitum, non factum. Dein, ut docet S. Thomas 1. p. q. 33. 4. 1. ad 1. causa indicat diversitatem substantiarum, & dependentiam in effectu respectu cause, quæ non dantur in Filio divino. Quare Latini nunquam Patrem vocant causam Filii: quamvis autem Græci suo in idiomate applicent Patri respectu Filii vocem, quæ etiam significat causam, eam tamen tantum applicant in sensum latiore acceptam, in qua significat principium: & sane Gra-

ca vox *causa* indiscriminatim significat causam, & principium.

799. Secundò debet excludi à ratione cause intrinsecæ Verbum divinum respectu Christi; causa enim intrinsecæ juxta communem debet esse pars, adeoque perfectibilis à compartibus, & cum his constitutere totum, quod sit nobilius causa intrinsecæ seorsim sumptu: quæ non possunt convenire Verbo divino; unde, quamvis istud sit respectu Christi terminus intrinsecus, non tamen est ejus pars, vel causa intrinsecæ. Tertiò communiter excluduntur à ratione cause pure conditions, aut pure dispositio-nes; nam omnes distinguunt inter istas, ac causas. Quartò ex communi etiam excluditur à ratione cause intrinsecæ unio, & à ratione cause extrinsecæ actio. Hæc autem omnia excluduntur à nostra definitione: ergo hæc convenit soli.

800. Prob. subsumpt. Primò. Pater divinus non generat, seu determinat ad existendum aliquid insufficiens; nam Filius divinus est essentialiter aeternus, & essentialiter à se existens. Secundò. Verbum divinum constitutus Christum non constituit aliquid totaliter insufficiens ad existendum; licet enim natura humana in Christo defectibilis sit, & ex se insufficiens ad existendum, tamen natura, aut personalitas divina, est neutiquam insufficiens, sed à se determinatissi-  
ma

ma ad existendum. Tertio. Puræ conditions sunt illæ, quæ non habent virtutem determinandi ad existendum, sed tantum applicant, aut reddunt expediam virtutem determinativam: adeoque non verificatur de ipsis, quod ex propria virtute determinant.

801. Similiter puræ dispositiones non determinant ex propria virtute aliquid ad existendum: sed tantum præparant subjectum, ut possit recipere actionem, & effectum principii ex propria virtute determinantis. Dixi *pure dispositiones*; nam dubitari potest, an non dispositiones in genere physico sint causæ in genere morali, de quo paulo post n. 807. Addendum, sèpissimè dispositiones producere physicè aliquos effectus in passo, & respectu istorum esse veras causas: at non esse causas respectu illorum effectuum, ad quos sunt puræ dispositiones: sic calor est verè causa alterius caloris producti in ligno, quod disponit ad concipiendum ignem: at iuxta multos non est causa ipsius substantie ignis. Quartò. *Actione*, & *unio*, non sunt determinativæ ex propria virtute: sed tantum sunt ipse determinationes, per quas principia determinant aliquid ex se insufficiens ad existendum. Ex his autem habetur, quod ista omnia excludantur à nostra definitione, seu quod hæc ipsis non conveniat, quod erat probandum.

802. Ob. 1. Nostra definitio non

convenit causæ, vel potentiae obedientiali, supernaturaliter elevatae ad producendum effectum, quem naturaliter non potest producere: e. g. non convenit animæ rationali, ut producenti actus supernaturalem virtutem: sed causa, seu potentia obedientialis, est verè causa: ergo nostra definitio non convenit omni. prob. ma. causa, vel potentia obedientialis, non influit ex propria virtute: ergo ex ea non determinat. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. non influit ex propria virtute, viribus suis relicta. conc. ant. non influit ex propria virtute, supernaturaliter elevata. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq.

803. In anima rationali e. g. est verè virtus, seu potentia vitalis, quæ, si per conprincipium supernaturale elevetur, reverè potest physicè influere in actus virtutum supernaturalium: & idem dicendum est de aliis potentiis obedientiabilibus, si quæ dentur in ordine ad effectus ipsis superiores, e. g. de potentia obedientiali aquæ baptismalis, in ordine ad producendam physicè gratiam. Aliqui hæc etiam opponunt, nostram definitionem non convenire causis per accidens: sed hoc est falsum; nam, licet hæc causæ non necessariò requirantur, aut etiam effectum non exigant, nee intendant, si tamen re ipsa in eum influant (alias non essent causæ) etiam ex propria virtute ad ejus existentiam determinant.

804. Ob.

804. Ob. 2. Causa destruktiva est verè causa, & tamen nihil determinat ad existendum: ergo nostra definitio non convenit omni. Resp. neg. 1. p. ant. Causa formaliter destruktiva non est univocè, sed tantum analogicè causa, quatenus habet aliquam convenientiam cum causis productivis: & sanè nullus hucusque auctor statuit aliquam definitionem causæ, quæ univocè conveniat etiam causæ purè destruktivæ: certè destrutio formalis nihil est, adeoque non est effectus, & consequenter non procedit ab aliqua causa. Aliter loquendum de causa radicaliter tantum destruktiva; hæc enim potest esse vera causa, determinans ad existendum ipsam radicalem destructionem, quando ista consistit in positivo, e. g. in nimio calore, ob quem moritur, seu destruitur homo.

805. Ob. 3. Conditiones, & dispositiones, etiam determinant ex propria virtute effectum ad existendum, & tamen non sunt causæ: ergo definitio non convenit soli. prob. ant. sínè ipsis non potest produci effectus: ergo determinant ad ejus existentiam. Resp. neg. 1. p. ant. ad prob. dist. ant. sínè ipsis determinatè sumptis non potest produci effectus. neg. ant. sínè ipsis indeterminatè sumptis. conc. ant. & neg. conseq.

Dices. Etiam sínè causa finali, morali, & ideali, determinatè sumptis, potest produci effectus: ergo

neque istæ ex propria virtute determinant ad existentiam effectus: quod tamen non admittimus. Resp. neg. conseq. istæ enim causæ ex alio capite determinant ex propria virtute. Quid significet, determinare ex propria virtute, desumendum est ex istorum terminorum acceptione, communiter recepta ab iis, qui eos in definitione causæ adhibent: hi autem ad determinativum ex propria virtute requirunt, ut vel tanquam pars communicet suum esse alteri tanquam toti: vel tanquam aliquid prærequisitum ab actione productiva essentialiter respiciatur: vel, si non ita respiciatur ab actione, ut saltem ex propria vi, merito, bonitate, vel estimabilitate, intentionaliter moveat ad ponendum effectum: hoc ultimum convenit causis finali, morali, & ideali: at nihil horum convenit puris conditionibus, aut puris dispositionibus.

806. Nam puræ conditiones, & puræ dispositiones, non communicaunt seipſas toti, neque istud constituunt: neque etiam respiciuntur essentialiter, aut determinatè ab actione, ut communiter tenent autores, & oppositum gratis asseretur: neque tandem intentionaliter ex merito suo, vel estimabilitate, moveat causam secundam, aut etiam primam, ad ponendum effectum; nam e. g. applicatio ignis non moveat Deum ad concurrendum cum igne, sed se habet sicut sopus horo-

horologii, qui imitatur horam, e. g. Horologium, quia habet utrūklo aca-  
demica, quod causa suoh moveat foli-  
nus horologii ad adeundam Aca-  
demiam, sed tantum applicat mora-  
tivum, nempe lectionem, quæ suo  
merito moveat, & est causa accessus  
ad auditorium.

807. Hæc intelligenda sunt de  
puris conditionibus, & puris di-  
spositionibus, si quando aliquæ dan-  
tur; nam, licet dispositiones non  
sunt cause in genere physico (quia,  
ut modò dictum, non essentialiter  
respiiciuntur ab actione productiva)  
tamen videri possunt esse cause in  
genere morali, à quibus suo modo  
moveatur Deus, ut novam formam  
producat: item dispositiones sepe  
præ sequenti signo fiunt proprietati-  
tes formæ, & propter ipsas Deus  
istam conservat.

Sane autores communiter di-  
cunt, Deum moveri à proprietati-  
bus ad conservandam formam, vel  
etiam ab introducitis dispositioni-  
bus in subjectum, e. g. septem gra-  
dibus caloris in lignum, moveri  
ad conserendum cum igne A ad  
producendum ignem B. Sæcile-

Deus se accommodat exigentia na-  
turali entium creatorum, adeoque  
etiam exigentia dispositionum; &  
hinc iste videntur posse dici suo  
modo cause morales respectu Dei.  
Si enim aliquando aliqua conditio  
verè moveat ad ponendum effec-  
tum, ista non erit pura conditio,  
sed simili erit causa moralis, quæ in-  
ter se non opponuntur.

808. Dices. Ex dictis sequitur,  
quod termini *ex propria virtute determinare* sumantur æquivoco  
in definitione cause, nempe pro  
causalitate physica, seu respectu es-  
sentiali actionis physicae, & pro cau-  
salitate morali, seu motione inten-  
tionali ad actionem physicam: sed  
hoc est absurdum: ergo. Resp. om-  
nia neg. mi. nam tantum sequitur,  
quod hæc definitio non observet  
omnes minutias regularum Logi-  
cœ: quod vitium, si quod est, co-  
literatur in plurimis definitionibus:  
sicut definitio vita in actu secundo,  
inter recentiores communiter re-  
cepta, est eodem modo æquivoca  
ac disjunctiva: item talis etiam est  
definitio propositionis, ab ipso Ari-  
stotele *i. Prior. 1. tradita.*

## ARTICULUS II.

*Quotuplex sit Causa.*

809. Multiplex est divisio cau-  
sa, e. M. s. nam r. d. est Cau-  
sa in se, & ex parte Extrinseca. Prior,  
seu Intrinseca est, s. quæ tamquam  
motum. II.

partes constituit aliquod totum, e. g.  
anima rationalis hominem. Poste-  
rior, seu Extrinseca est, quæ pro-  
ducit effectum, à se adæquate distin-  
ctum,

T c

Quum, e. g. ignis A ignem B. quod si causa producat effectum, non tantum à se distinctum, sed etiam sibi non uniuersum, tunc dicitur *Causa ad extra*: quod si producat effectum sibi unitum, dicitur *Causa ad intra*.

Utraque causa, tam extrinseca, quam intrinseca, subdividitur, in causam in actu primo, & causam in actu secundo. *Causa in actu secundo* est, quæ actu constituit totum, vel actu producit effectum: *Causa in actu primo* est, quæ potest constituere totum, vel producere effectum: & hæc, si præsentim sit causa extrinseca efficiens, alia est *in actu primo proximo*, quæ nempe habet omnia requisita, estque proximè expedita ad agendum: alia *in actu primo remoto*, quæ nondum habet omnia requisita &c.

810. Rursus causa extrinseca alia est *Causa adequata*, alia *Causa in adequata*. Illa est *Causa totalis*, seu complexum omnium causarum partialium, vel una causa se sola producens effectum: ista est *Causa partialis*, seu se sola non sufficiens ad producendum effectum, vel certe se sola hic, & nunc non agens, seu producens effectum, e. g. qui libet equus ex duobus similibus trahentibus currum. Iterum alia est *Causa immediata*, quæ ne pro immedietate producit effectum: alia *Causa media*, que inmediate non producit effectum, sed tantum causam effectus: & sic se habet a viis ad nepotem. Item alia est *Causa*

*per se*, alia *Causa per accidens*. Illa est, quæ producit effectum, ad quem à natura ordinatur, vel qui ipsi imputatur, aut ab ipsa intendiatur. Ita est, quæ producit effectum, ad quem à natura non ordinatur, vel qui ipsi non imputatur, aut ab ea non intenditur: sic e. g. dum summa ex nimio amore cœtulos ad pectus stringendo suffocat, suffocatio ab ea non intenditur.

811. Ulterius causa extrinseca dividitur in causam primariam, & secundariam. *Causa primaria* est, quæ potiorem præstat influxum in effectum, & cui præ aliis iste debet suum existere. *Causa secundaria* est, quæ minorem præstat influxum, & cui minus debet effectus suam existentiam. Iterum dividitur causa extrinseca in physicam, & intentionalem. *Causa physica* est, quæ ab actione physice productiva efficit, essentialiter, & determinatè respicitur: sic leo generans essentialiter, & determinatè respicitur ab actione productiva leonis generati. *Causa intentionalis* est, quæ ut cognita, vel movere, vel dirigere operantem ad ponendum, effectum.

*Causa physica* subdividitur in causam principalem, & instrumentalem. *Principali*s est, quæ agit nomine suo: *Instrumentalis*, quæ agit nomine alterius, qui ut instrumentum est subordinata. Rursus alia causa physica est *Efficiens*, alia *Meritoria*: illa est, quæ producit effectum:

**Causa:** hæc est, quæ eum sustentat, de qua sustentatione infra pluribus agemus. **Volunt** quidam, materialm primam propriè quidem dici causam materialem formæ, quæ est effectus ab ea distinctus; non autem ita propriè dici causam materialm compositi, cuius est pars; unde volunt, causam materialem strictè dictam esse causam extrinsecam: negari tamen non potest, eandem materiam primam aliquando, quamvis forte minus propriè, vocari etiam causam materialem compositi: imò Aristoteles videtur aperte sic loqui.

812. **Causa efficiens** alia est *Universalis*, alia *Particularis*. Equidem etiam materia prima posset aliquo modo dici causa materialis universalis; quia præstat suum influxum in omnes formas materiales: sed quia non datur aliqua materia particularis, quæ tantum in alias formas haberet influxum, hinc ista divisio attribuitur tantam causæ efficienti. Itaque causa Universalis est, quæ in omnes, vel certè in plurimos effectus influit, e. g. Deus, & sol: *Particularis* verò est, quæ in paucos particulares effectus influit, e. g. leo, & equus, qui tantum producunt effectus sive speciei. Iterum alia causa efficiens est *Universa*, alia *Aequivoca*. Prior producit effectum ejusdem speciei, e. g. leo leonem. Posterior est, quæ producit effectum diversæ speciei, e. g. asinus est causa æquivoca respectu

muli, vel substantia respectu accidentis. Tandem dividitur causa efficientis etiam in liberam, & necessariam. *Necessaria* est, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis non potest non agere. *Liber* est, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, vel non agere pro suo libitu, de quo plura alibi.

813. Jam *Causa intentionalis* subdividitur in exemplarem, finalem, & moralem. *Causa exemplaris*, seu *Idealis* est, quæ dirigit artificem, seu causam efficientem ad assimilandum sibi effectum: sic idea, quam architectus in mente concepit de fabricanda domo, est causa exemplaris, sive idealis domus: item Petrus, qui curat se depingi, est causa idealis imaginis, à pictore ad similitudinem Petri factæ. Adde, si talis idea est conceptus in mente artificis existens, dicitur *Idea intrinseca*: si vero est aliud prototypon externum, e. g. Petrus depingendus, dicitur *Idea exstripecta*.

814. *Causa finalis* est, quæ movet causam efficientem, ut sit: e. g. sanitas est causa finalis deambulationis; quia movet ad deambulationem, ut per illum motum corpus fiat sanum, adeoque, ut sit sanitas. Dividitur autem in finem quæ, & quo, & cui. *Finis qui* est, cuius intenditur productio, si nondum existit, vel possessio, si jam existit: sic statuarii finis qui immediatus,

diatus, est statua, cuius productionem intendit: & est etiam finis qui, idem mediatus, pecunia, cuius eamen non intendit productionem, sed possessionem. *Finis quo* est possessionis finis qui: talis est visio beatifica in caelo, per quam possidimus Deum. *Finis cui* est, in cuius gratiam aliquod bonum intenditur; e. g. homo est finis cui tutoria, & sartoria; nam in hominis bonum intenduntur, & fiunt calcei, ac aliae vestes. Plures divisiones hujus causa vide *n. 1244.*

*815.* *Causa moralis* est, quæ movet causam efficientem, *quia est*: sic imperium domini movet servum, ut labore, nos, ut derur imperium (non enim laborat, ut impetratur labor) sed quia datur, aut est imperium. Alia autem est causa moralis *Alliciens*, alia *Retrahens*, alia *Neglecta*. Prima movet ad agendum: secunda verò absterret ab agendo: tertia, licet in mentem veniat, & posset moveare, vel absterre, tamen negligitur. Sic studiōſo causa, vel motivum alliciens ad diligenter studeādum, est voluntas Dei, & parentum: causa, vel motivum retrahens, est difficultas studendi, vel socii ad ludendum, invitantes.

Jam, si diligens est, & difficultatem vincit, motivum retrahens fit neglectum: si verò non sit diligens, & sinat se vinci à difficultate, tunc motivum alliciens fit neglectum. Aliqui volunt, motivum neglectum

non mereri nomen motivi; coquid revera non moveat: verum ad motivum non sequitur, ut moveat in actu secundo, sed sufficit, si moveat in actu primo, seu possit moveare; unde, cum, in Theologia maxime, saepius distinguitur inter motivum neglectum, & non neglectum, videtur etiam motivo neglecto, seu causa morali neglectæ, locus inter causas concedendus.

*816.* Tandem celeberrima est divisione illa causa in genere, quam tradidit Aristoteles 2. *Phys.* *1061. 28. c. 29*, quæque omnes causas, tam extrinsecas, quam intrinsecas, tam physicas, quam intentionales, complectitur, scilicet divisio, in causam materialē, formalem, efficientem, & finalē: & quidem causam materialē, efficientem, & finalē, jam superius explicavimus; addendum tantum aliquid de causa formalē.

Itaque *Causa formalis* est duplex, nempe una *Extrinsica*, quæ ab Aristotle etiam vocatur *Exemplum*, & est eadem cum causa ideali, vel exemplari, quam *n. 813.* explicavimus: altera *Intrinsica*, seu forma compositi, vel *physica*, quæ compositum constituit, tanquam pars determinativa ad certam speciem, ut anima rationalis: vel metaphysica, quæ est realiter totum compositum, sed formaliter conceptum per modum termini abstracti, ut *humanitas*: & in hoc posteriore sensu, videtur causam formalem *text. modo*

modo cit. accipere Aristoteles. Contra hanc ultimam divisionem cause in genere in quatuor causas n. 816. adductas objiciuntur aliqua levia, quæ paucis sunt solvenda.

817. Ob. 1. Membra hujus divisionis inter se non opponuntur: ergo nota est bona. prob. ant. idem intellectus est causa efficiens, & materialis suarum cognitionum, in modo etiam finis cui: ergo. Confir. Hæc divisio non complectitur omnes causas: ergo non est adaequata. prob. ant. non complectitur causam moralem, & idealēm: ergo. Resp. dist. ant. membra hujus divisionis non opponuntur exclusivè. sene. ant. non opponuntur præcisivè. neg. ant. & conseq. Sufficit absolute, si unum membrum formaliter præscindat ab altero, licet aliquid realiter identificantur: sic bona est divisio virtutis intellektualis in scientiam, & artem, licet iuxta satis communem identificantur in Lögica.

Ad confir. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. Licet hæc divisio has causas non complectatur explicitè, eocomplectitur tamen eas implicitè, aut reductivè; nam causa idealis est ipsa causa formalis extrinseca, ut dictum n. 816. moralis autem reducitur ad efficientem; quia in estimatione morali dicitur ille aliquid efficere, qui jussit, vel consilio, est causa, ut illa res fiat:

& ipse Aristoteles cit. sext. 39. consultorem non minus, quam patrem, refert ad causam efficientem.

818. Ob. 2. Divisio hæc non est facta in membra immediate dividencia: ergo non est bona. prob. ant. membra immediate dividencia cause in genere sunt, causa extrinseca, & intrinseca, aut causa physica, & intentionalis: ergo. Resp. retorq. arg. Orbis terraqueus etiam immediatus potuisse dividiri in hemisphaerium Australē, & Boreale: ergo eius divisio in quatuor partes non est bona. informacio. conseq. similares causas minutiae non debent prævalere communī auctoritati, quæ cum Philosopho constanter recipit istam divisionem.

Acedit, quod in divisione maxime habenda sit ratio finis, quem sibi præfixit auctor divisionis; nam pro varietate finis etiam variaciones divisiones, & subdivisiones. Jam vero ad finem Aristotelis aptissima erat ista divisio; siquidem ipse voluit tot causarum species assignare, quot principaliter questiones solent fieri de corpore naturali: hæc autem sunt quatuor, nempe unde ex quo; per quid; proper quid sicut: ex quibus questionibus primæ correspondet causa efficiens, secundæ causa materialis, tertiaz causa formalis, quartæ tandem causa finalis.

## ARTICULUS III.

*Quid sit Prioritas Naturae.*

819. **U**T dictum jam n. 7. *Prius multipliciter dicitur: hic autem queritur, quid dicendum sit Prius naturae: quod non est adeo facilè explicare; eoquod inter autores universim non conveniat, quemam censenda sint priora naturae ad aliquem effectum: adeoque non videatur posse dari conceptus, qui nulli sententiae probabili praedjudicet; cum enim conceptus debat convenire omni, & soli, quisquis assignabitur, vel excludet aliqua, quæ alii probabiliter volunt includi: vel vicissim includet aliqua, quæ alii probabiliter volunt excludi, &c patet consideranti. Quare, relictis in sua probabilitate aliorum opinionibus, visum est mihi, assignandum esse conceptum, qui conveniat omnibus, & solis illis, quæ communiter in nostris Universitatibus censentur esse natura priora.*

820. Censentur autem esse priora natura 1. causa efficiens, tam creata, quam increata. 2. causa materialis extrinseca. 3. causa idealis, vel exemplaris. 4. causa moralis alliciens: imò juxta quosdam etiam retrahens. 5. dispositiones physicae, quibus passum preparatur ad recipiendum effectum. 6. applicatio causæ, & reliquæ conditiones,

ad agendum prærequisitæ. 7. negatio impedimentorum, quæ non possunt auferri per ipsam actionem productivam effectus. 8. cognitio dirigens agentem: quæ, si non sit simul cognitio finis, etiam alia cognitio, quæ finem cognoscit, erit prior natura. 9. volitio imperans, vel permittens effectum, quæ potest simul esse intentio finis; aliud iterum alia distincta intentio finis erit prior natura. 10. juxta quosdam ad omnes effectus est prius natura decretum aliquod Dei, & quidem immediatè, tanquam constitutivum actus primi proximi: quod tamen alii negant.

Econtrà censentur non esse priora natura 1. causa finalis. 2. causa intrinseca. 3. ipse effectus. 4. effectus simultanei. 5. actio productiva effectus, aut effectum simultaneorum. 6. negatio impedimentorum auferibilium per ipsam actionem productivam effectus. 7. Pater divinus respectu Filii: & Pater, ac Filius respectu Spiritus S. His presuppositis

821. Dico cum recentioribus plurimis. *Prius natura est, quod ne aliunde existens constituit actum primum proximum complesum, ex quo resultat aliquid ex se insufficientes ad existendum.* Prob. conclus. Hac

Hæc definitio edavenit omnibus, & solis, quæ supra diximus, censeri esse priora naturæ: ergo est bona. prob. 1. p. ant. seu, quod definitio hæc conveniat omnibus. Ut patet consideranti, omnia illa, quæ diximus, censeri priora naturæ, prærequirantur. & presupponuntur ad effectum (qui est aliquid ex se insufficiens ad existendum) adeoque necessariò habent aliunde, seu independenter ab effectu, suam existentiam: simul etiam constituunt actum primum proximum completum, sive potentiam completam, seu omnino expeditam ad agendum: ergo ipsis omnibus convenit definitio. Quodsi decretum Dei non constituat actum primum proximum, prout aliqui Theologi, ut diximus, dôcent, etiam non erit immediatè prius naturæ ad effectum, sed mediatè instar aliarum causalium mediatarum. vide n. 835.

822. Prob. etiam 2. p. ant. sive, quod definitio ipsis solis conveniat. Definitio hæc nulli convenit ex iis, quæ n. 820. diximus excludi è numero naturæ priorum: ergo. prob. ant. in primis causa finalis, seu finis, non est aliunde existens, sive non existit independenter ab effectu, aut ejus causalitate; vel enim finis immediatè movet ad seipsum ponendum, adeoque ipse effectus est finis: & clarum est, quod non existat independenter ab effectu, vel actione productiva ejusdem: vel finis movet ad ponendum aliquod

medium, per quod ipse finis obtineatur, & tunc effectus est ipsum medium, à quo utique dependet. nam, utpote per ipsum obtainendas: adeoque finis, seu causa finalis, non est aliunde existens.

823. Secundò. Causæ intrinsecæ etiam non existunt independenter ab effectu, seu composito; nam hoc aliud non est, quam ipsæ partes, adeoque, sicut istæ non existunt independenter à seipisis, ita nec existunt independenter à composito. Tertiò. Multo minus effectus existit independenter à seipso, ut patet. Quartò. Effectus simultanei non constituunt actum primum proximum ad se invicem, nec unus determinat alterum ad existendum, sed omnes simul determinantur ab eadem causa: e. g. ab eodem equo simul determinantur motus quatuor rotarum in curru.

Quintò. Actio productiva effectus non constituit actum primum proximum, sed pertinet juxta omnes ad actum secundum; unde tantum est aliquid prius origine, quale dicitur omne illud, à quo alterum quomodounque procedit. Sextò. Negatio impedimentorum, auferibilium per ipsam actionem, est suo modo effectus simultaneus, per eandem actionem suo modo productus, nec se tenet ex parte: actus primi. Octavò. Pater divinus, producendo Filium, non producit aliquid insufficiens ad existendum, ut dictum n. 820. & eadem est

est ratio de Patre, & Filio, respectu Spiritus Sancti : ergo nulli ex istis coavenit nostra definitio.

824. Notandum autem hic est, prioritatem naturæ sèpius explicari per signa, & de iis, quæ eodem instanti simul existunt, sèpe dici, quod unum in priori, alterum in posteriori signo naturæ existat : quod non ita intelligendum est, aësi instantans in plures partes, quæ signa videntur, dividatur ; instantans enim est indivisibile : sed significatur tantummodo loquendi, quod ex pluribus, eodem instanti existentibus, id, quod dicitur esse in priori signo naturæ, sit causa alterius, vel saltem constitutæ actum primum ad istud.

Sic e. g. in eodem instanti, in quo Deus producit solem, sol producit ignem in terra, ignis producit calorem, calor producit sensationem, sensatio producit speciem phantasticam, ista intellectualem, hanc cognitionem, cognitio volitionem, e. g. actum patientia, in hoc casu, licet ista omnia existant in eodem instanti, tamen Deus est in primo signo naturæ, sol in secundo, ignis in tertio, calor in quarto, sensatio in quinto, species phantastica in sexto, species intellectuialis in septimo, cognitione in octavo, volitio in nono ; quia scilicet semper unum est causa alterius. Si autem plura existunt in eodem instanti, ita, ut nolum sit causa alterius, nec ad se invicem aliunde referantur,

tur, dicuntur esse in signis disparatis : si tamen aliquo modo ad se invicem referantur, dicuntur esse in eodem signo naturæ : sic effectus simultanei, e. g. motus quatuor rotarum in curru, quorum nullus influit in alterum, dicuntur esse in eodem signo naturæ, imò sèpe dicuntur esse in eodem signo naturæ etiam ea, quæ ad se invicem non referuntur, e. g. Petrus, & Paulus, independenter à se mutuò existentes : & hic modus loquendi, et si forte non sit ita strictus, tamen est satis usitatus.

825. Poteft etiam contingere, ut aliquid sit in eodem signo (accipiendo idem signum in sensu latiore, atamen usitato, de quo modò dictum) cum duobus, aut pluribus, quorum tamen unum est in priore signo ad alterum : sic e. g. aqua fitiminis est in eodem signo cum igne, & ejus calore (licet ignis sit in priore signo ad calorem, tamen aqua hujus causa) quia scilicet aqua neque est causa ignis, neque caloris : & viceversa, nec ignis, nec calor est causa aquæ. Quare (quod bene notandum) instantis, & signum naturæ, non sunt idem ; nam signum non tantum significat existentiam in tempore, sed, si sit signum naturæ prius, significat esse constitutivum actus primi ad alterum : si vero sit signum posterius, significat, esse aliiquo modo dependens ab illo actu primo.

826. Videntur aliqui voluntate,

quod

quod ad quolibet effectum debet  
at unum ex duobus contradictionibus  
esse in priori signo, natura, & de-  
bet unum ex duobus contradictionibus  
in quolibet instanti temporis  
dari: sed hoc opinatio est falsa,  
sec: per se ratio istud. Iuhu[m]  
ex contradictionis objectivis debet  
pro quolibet instanti existere: alias  
similiter verificantur propositiones  
contradictoriarum: quod nemo admittit;  
nam ex g. verificaretur, in aliis  
quo instanti, neque dari Petrus, ne-  
que dari negationem ejus, sive  
quod idem est, neque non dari Pe-  
trum. At, licet neutrum ex contra-  
dictoriis objectivis sit in priori signo  
naturæ, non propterea verificantur  
propositiones contradictoriarum: non  
enim sunt contradictoriorum: Petrus  
non est prior naturæ: Negatio Pe-  
tri non est prior naturæ; dum utra-  
que sit negativa: adeoque possint  
similiter esse verae.

827. Neq[ue] dicas, siquidam pro-  
positio[n]em esse affirmativam; neq[ue]  
quod bis includat particulam non  
semel explicitè, & semel implicite  
in voce negatio; nam hæc impli-  
cite posita particula non significat eam  
pulam, sed tantum subjectum, adeo  
quæ non redgit propositionem af-  
firmativam, sed tantum terminum  
infinitantem: yerbō: proposicio se-  
cunda æquivaleat huic: Non Petrus  
non est prior naturæ: quæ proposi-  
tio est negativa, habetque aliud  
subjectum, quam altera (utique e-  
anim aliud subjectum est non Petrus,

Tom. II.

quam Petrus) adesque non potest  
esse illius contradictoria. Addit  
esse per seclarum, quod nec Anti-  
christus, nec ejus negatio, sit prior  
naturæ ad omnes homines, aut alia  
entia; & eadem est ratio de aliis  
quibuscumque contradictionibus.

828. Ob. 1. Negationes impe-  
dimentorum, etiam per actionem  
inuferibilium, non existunt: ergo  
neque existunt aliunde: atque ta-  
men juxta communem sunt priores  
naturæ: ergo nostra definitio non  
convenerit omni. Resp. dist. ant.  
negationes non existunt, si verbū  
existere sumatur strictè. conc. ant.  
si sumatur latius. neg. ant. & sub  
ead. dist. conc. vel neg. conseq. de-  
in conc. subsumpt. neg. conseq. Est  
communissimus modus loquendi,  
quod negationes dentur, & suo  
modo existant: sicut ergo dieuntur  
existere, ita etiam possunt dici  
existere aliunde: quod pressè lo-  
quendo non significat aliud, quam  
quod ista impedimenta debent  
tollī, non ab actione, vel effectu,  
sed ab aliis.

829. Ob. 2. Cognitio, & inten-  
tio finis, sunt priores naturæ, & ta-  
men non existunt aliunde: ergo  
definitio nostræ non subsistit. prob.  
z. p. ant. effectus, seu finis, est ea-  
cum objectum: ergo non existunt  
aliunde, seu independenter ab esse  
et. Confir. Finis, seu bonitas e-  
jus, moveat ad intentionem finis:  
ergo saltem ista non existit aliunde.  
Resp. retorq. arg. Etiam co-  
gni-

U u

cognitiones divinæ habent pro objec-  
to res creatas, quas juxta commu-  
nem nostrorum Deus cognoscit in  
seipsis : & tamen cognitiones divi-  
næ existunt aliunde, nec accipiunt  
suam existentiam à creaturis.

In forma neg. 2. p. ant. *Per ali-  
unde existere* hinc intelligitur, rem  
icà existere, ut effectus nec illam  
physicè causet, nec ad eam move-  
at: *quia est*: hac enim ratione jam  
res non accipit existentiam ab effec-  
tu, tanquam ab aliquo priore: sed  
huic tanquam aticu posteriori con-  
fert suo modo existentiam: quod  
autem effectus ad aliquam rem  
moveat, ut ipse sit, non impedit,  
quo minus ea res existat aliunde;  
nam, si hoc impediret existentiam  
aliunde, tunc contra communem;  
neque cause physicæ, neque condi-  
tiones, aut dispositiones &c. aliunde  
existerent; quia saltē sēpē ad  
has procurandas finis movet, ut  
sit. *Ad confir. dist. ant. finis mo-  
vet, ut sit. conc. ant. finis movet,*  
*quia est. neg. ant. & conseq.* Ratio responsionis patet ex modo  
dictis.

830. Ob. 3. Potest conditio al-  
iqua esse prior natura, quin ut ali-  
unde existens constitutæ actum pri-  
mum proximum, vel determinet ad  
effectum: ergo definitio nostra non  
est bona. prob. ant. dicat dominus  
servo, ut, quoties audierit peti ele-  
mosynam, eam det: In hoc casu  
petitio est prior natura ad dationem  
eleemosynæ, & tamen ad eam non

determinat ut aliunde existens: er-  
go. prob. 2. p. ant. petitio illa non  
determinat, nisi ut habens vim ex  
voluntate domini: ergo non de-  
terminat ad dationem eleemosynæ  
ut aliunde existens, sed ut effectus  
simultaneus ejusdem causæ, nempe  
voluntatis domini.

Resp. neg. ant. ad prob. cosec.  
casu neg. 2. p. ant. ad ejus prob.  
neg. conseq. Voluntas ista domi-  
ni non vult petitionem, & dationem  
eleemosynæ eodem modo, sed  
vult dationem propter petitionem,  
& huic vult conferre virtutem de-  
terminandi ad dationem: quod  
non est velle petitionem, & dationem,  
tanquam duos effectus simultaneos:  
sed est velle priorem ut  
causam, alteram ut effectum.

831. Scilicet potest voluntas  
duo velle, ita, ut unum sit propter  
alterum, seu, quia est alterum, & ut  
dependeat ab altero, adeoque unum  
sit prius natura ad alterum. Sic &  
gratus eadem volitione potest vel-  
le medicinam, & sanitatem, icà ta-  
men, ut sanitas dependeat à medi-  
cina, tanquam à priore. Quare vir-  
tus determinandi ad dationem ele-  
emosynæ, quam in eo casu habet  
petitio, existit aliunde; quia non  
existit per eandem causalitatem,  
per quam existit datio; nam cau-  
salitas, per quam existit datio,  
præsupponit petitiohem: hanc au-  
tem non præsupponit causalitas,  
per quam existit petitio.

832. Quin imo, si etiam domi-

aus moneret mendicum, ut petere  
ret eleemosynam, tamen petitio ad-  
huc esset aliunde existens; nam, li-  
cet, tam petitio, quam datio, pro-  
cederet ab eadem voluntate domini-  
ni, tamen non procederet eodem  
modo; voluntas enim domini ta-  
men vellet unam, nempe dationem,  
propter alteram, nempe propter  
petitionem, & ideo; quia est peti-  
tio: adeoque ea voluntas petitio-  
nem denominaret causam mora-  
lem, dationem vero effectum: &,  
licet utraque esset effectus volun-  
tatis domini, tamen prior esset cau-  
sa secundæ: sicut, licet tam sol, quam  
lux sit effectus Dei, tamen sol est  
causa lucis. Sic etiam eadem vo-  
luntate Deus hortatur nos, & vult,  
ut bona opera faciamus, & per ea  
tanquam merita, seu causas mora-  
les, quales respectu Dei dari possint,  
caelestem gloriam acquiramus.

833. Ob. 4. Causa mediatæ non  
constituant actum primum prox-  
imum, sed tantum actum primum

remotum, & tamen sunt priores na-  
turā: ergo definitio non convenit  
omni. Confir. Causa moralis retrahens  
non constituit actum primum  
proximum ad effectum, à quo re-  
grahit: ergo non convenit ei no-  
stra definitio. Resp. dist. ant. Cau-  
se mediatae non constituunt actum  
primum proximum ad id, ad quod  
sunt immediatè priores naturā. neg.  
ant. ad quod sunt tantùm mediatae  
priores naturā. conc. ant. & neg.  
conseq.

Sicut enim sunt tantum cause mediatae effectus ultimi, ita ad eum sunt tantum mediatae priores natura, adeoque sufficit, ut constituant actum primum remotum, seu mediatum. Ad confirm. Supposito, quod causa moralis retrahens sit prior natura, dist. ant. non constituit actum primum proximum ad effectum quomodo cunque acceptum. om. ant. ad effectum ut victoriosum. neg. ant. & conseq.

## **ARTICULUS IV.**

834: **C**ausas physicas latiore in sensu hic sumimus, pro omnibus iis, quæ physicè constituunt actum primum proximum, seu quorum existentia physica, & actialis, requiritur ad actum primum proximum completum, ut sunt etiam conditiones, dispositiones &c.

Et de his causis ita latè sumptis quæritur, an una possit esse prior naturâ, & prærequiri ad alteram, ita, ut etiam hæc vicissim sit prior naturâ, & prærequiratur ad illam: adeò que se mutuò causent.

**Quaritur autem, an hoc possit fieri in eodem instanti; quod enim**

duo possint se mutuò physicè causare pro diversis instantibus, nemo negat; nam & filius, qui priùs accepit vitam à patre, potest postea, seu alio tempore, vitam patri conservare, e. g. defendendo ipsum à latronibus: & calor, qui prius tanquam dispositio juvit ad productionem ignis, potest pro sequenti instanti conservari ab eodem igne tanquam proprietas; immo est sententia communis, quodd acciden-tia, quæ pro primo instanti sunt dispositiones, natura priores ad productionem formæ, dein pro sequenti instanti sunt posteriores natura ad eandem formam, tanquam proprietates, quæ à forma conser-vantur.

835. Addendum, quodd hæc quæstio procedat de primo esse rei, seu priùs de actione primò productiva, pro illo instanti, in quo res tunc exiit: sive deia sit omnium primò productiva, sive sit conservativa rei ejusdem: quæ nomine actio nullam aliam actionem presupponat, à qua res jam sit producta, vel conservata pro eo instanti; si enim natura-liter, vel supernaturaliter possibi-les sint duæ actiones totales respe-ctu ejusdēm effectū, & quidem una subordinata alteri, non negaverim, posse supernaturaliter fieri, ut e. g. ignis B, productus per primam actionem totalem ab igne A, pro-ducat ignem C per primam actio-ne n respectu ignis C; vicissim au-tem ignis C per secundam, & sub-

ordinatam actionem totalem, pre-ducat ignem B.

Hac ratione autem ignis B, & C se mutuò producent, eruntque ad se invicem natura priores: sed ignis C non erit prior ad ignem B quoad primum esse, seu quoad pri-mam ejus productionem. Quæ autem hfc dicemus, præcipue con-gruunt causis efficientibus, quam-vis etiam facile aptari possint cau-sis materialibus; nam etiam istæ prærequiruntur, ut physicè existen-tes ad exercendam suam causalita-tem, sicut cause efficientes: sed de causa materiali redibit sermo in so-lutione objectionum.

836. Dico. Impossibilis est mu-tua natura prioritas inter causas physicas pro eodem instanti, & quoad primum esse. Hæc conclu-sio, si restringatur ad causas in eo-dem genere, à nullo negatur, ut ad-vertit Arriaga *disp. 7. Physic. sec. 8.* n. 96. si autem sermo sit de causis in di-verso genere, Thomistæ quidem non consentiunt: attamen, ut re-gre iterum fuit Arriaga *cis. sec. n. 102.* est eadem ratio, id quod ma-gis patet, ipsas rationes con-sideranti. Nec huic conclusioni op-ponitur Aristoteles; nam *2. Physic. text. 30.* tantum admittit, quod causa finalis, & causa efficiens, sint sibi ad invicem, seu mutuò cause; at causa finalis, ut dictum *n. 102.* non est prior natura.

Prob. conclus. Nihil potest esse causa physica sui ipsius, nec media-ta,

*An sit possibilis Materia Natura Prioritas inter Causas Physicas.* 341  
ta, nec immediata quoad primum esse: atque, si daretur dicta mutua naturæ prioritas, tunc posset aliquid esse causa physica mediata sui ipsius quoad primum esse: ergo. mi. est clara; nam in ea hypothesi ignis A produceret mediatè, vel immediatè ignem B, & huc vicissim mediatè, vel immediatè producere ignem A: ergo ignis A produceret mediatè seipsum, quatenus produceret suam causam; nam, quod in genere physico est causa causa, est etiam causa causati in eodem genere.

837. Prob. jam ma. Est communissima persuasio hominum, quod nihil possit esse causa physica sui ipsius, vel physicè producere seipsum, videturque istud per se clarum; nam omnibus est evidens, quod duo, quæ nihil sunt, non possint se mutuò producere; alias cur antiqui Philosophi cum Aristotele dixissent, quod mundus sit ab æterno, & non potius, quod partes mundi se mutuò produixerint? aut cur non duo mundi perfectiores isto, qui actu existit, se mutuò produxerunt; cùm entia, quo sunt perfectiora, ed magis videantur sibi invicem posse dare existentiam? aut cur nemo unquam timuit, ne subito duo sibi adversarii se mutuò producant, & in se irruant? ergo.

838. Confirm. 1. Est omnibus certissimum, quod nihil possit physicè agere, nisi habeat existentiam omnino independenter ab ea actione-

ne, quam ponit, & si hoc negetur esse certissimum, nunquam amplius poterit demonstrari Deus, aut ens necessarium ex contingentibus; nam non erit evidens, quod ista non possiat se mutuò producere, adeoque non erit evidens, quod debeat admitti ens necessarium: quod tantum ideo est evidens; quia contingentia non possunt sibi mutuò sufficere ad dandam existentiam: ergo.

Confirm. 2. Impossibile est, ut aliquod ens acquirat vim, & potentiam agendi per ipsam actionem; nam potentia jam presupponitur ad actionem, & debet haberi independenter ab ista: certè avis non potest acquirere alas, quibus volat, per ipsum volatum, nec homo pedes, quibus ambulat, per ipsam ambulationem: sed, si esset possibilis mutua prioritas supradicta inter causas physicas, posset aliquod ens acquirere vim, & potentiam agendi, per suam actionem: ergo. prob. mi. posset acquirere seipsum, cui identificata est vis, & potentia agendi: ergo.

839. Quare, quidquid sit de eo, quod aliqui volunt in controvèrsiam trahere, an scilicet ex mutua prioritate inter causas physicas, sequantur contradictionia strictè dicta, tamen evidens est ejus impossibilitas; quia hac est tam lumine naturæ nota, quam necessitas Dei. Sic etiam communissime impossibilis dicitur similes assensus, & dif-

sensus circa eandem rem in eodem intellectu : item similitas voluntatis, & nolitionis efficacis circa eandem rem in eadem voluntate, licet non sint contradictoriæ opposita. Pariter, si quis ineptè negaret existentiam solis, non posset ex contradictoriis probari falsitas talis negationis, & tamen utique esset evidens.

840. Ob. 1. *Habitus est prior natura ad actum, & actus est prior natura ad habitum: atqui uterque est in genere physico cause efficientis: ergo datur mutua naturæ prioritas in genere physico.* prob. 1. p. ma. *habitus juxta omnes influit cum potentia, quam facilitat, in actum, tanquam causa physicæ eum efficiens: ergo est prior natura ad actum.* prob. etiam 2. p. ma. *actus, ut est communis, generat habitum; nam ex frequentatis actibus nascitur habitus: ergo etiam actus est prior ad habitum.*

*Pro solutione hujus argumenti notandum, primos actus, e. g. Logicæ, produci à sola potentia, seu intellectu. Ab his actibus relinquuntur species, quæ vel constituant intrinsecè habitum, vel eum extrinsecè causant, de quo alibi dicitur. Habitus ita causatus influit dein cum potentia, seu intellectu, in alios sequentes actus, & ad hos facilitat. Isti novi actus iterum relinquunt novas species, à quibus augetur habitus: vel, quia hunc constituendo tanquam novæ partes*

*majorem reddunt: vel, quia aliquod ejus augmentum producunt. His prænotatis.*

841. Resp. om. 1. p. ma. *quia habitus acquisitus (de quo hic loquimur) non est prior natura ad primos actus, ad quos necdum datur facilitas. & dist. 2. p. ma. actus est prior natura ad habitum, à quo producitur. neg. ma. est prior ad augmentum habitus, à quo hic actus non producitur, sed quod ipse causat. conc. ma. & conc. mi. neg. conseq. ad probationem utriusque respondeo, utendo eadem distinctione. Ex quo patet, nunquam idem esse prius, & posterius, respectu ejusdem: sed primam partem habitus esse priorem natura ad actum: at actum esse priorem natura ad secundam partem habitus, siue ad ejus augmentum.*

842. Dices 1. *Si actus diutiùs non eliciuntur, perditur habitus: ergo actus conservant, seu, quod idem est, causant habitum.* Resp. dist. conseq. *actus causant habitum secundum augmentum, ut supra dictum. conc. conseq. secundum illam partem, à qua producuntur, subdist. causant pro eo instanti, pro quo producuntur ab habitu. neg. conseq. pro sequenti instanti. om. conseq. Certè plus non probatur, quā actus facere, ut habitus pro sequenti instanti duret, seu conservetur: nihil autem conferunt actus ad conservationem habitus pro illo instanti, pro quo ipsi ab habitu*

bitu producatur; nam pro eo jam supponunt habitum existentem, adeoque jam ab alia causa sufficien- ter conservatum.

843. Dices 2. Ponamus, quod Deus præcipiat sub gravi actum charitatis, & iste actus elicitur ab habitu charitatis: in tali casu pro eodem instanti habitus est physicè prior ad actum, & actus est physicè prior ad habitum: ergo. prob. ant. habitus est prior ad actum; quia elicit actum: & actus est prior ad habitum; quia pro eodem instanti habitus conservatur ab actu; nam, si actus non daretur pro hoc instanti, habitus charitatis, utpote incompossibilis cum peccato gravi, destrueretur: ergo. Resp. omisso, quod in tali casu habitus possit influere in actum liberum charitatis, de quo Theologi disputant, & plures negant, eum posse influere, saltem tanquam principium per se requisitum: hoc, inquam, omisso. neg. ant. quatenus afferit mutuam prioritatem. ad prob. iterum om. i. p. ant. seu, quod habitus sit prior dist. 2. p. ant. habitus conservatur ab actu, physicè, & actualiter ex- stente in eodem instanti. neg. ant. ad actu futuro, seu per ampliationem existente in instanti priori. conc. ant. & neg. conseq.

844. In tali casu determinatur Deus ad conservandum habitum pro instanti B, quo physicè elicitur actus, non ab actu existente physi- ecè in instanti B, sed ab actu per am-

pliationem existente in instanti A, sive ab actu futuro; Deus enim quia prævidet per scientiam medium, quod actus futurus sit, si habitus conservetur, determinatur ad conservandum habitum, ut actus eliciatur: sicut supposita scientia media de consensu futuro sub aliquo auxilio, determinatur ad dar- dum illud auxilium, ut sit consensus; unde actus non habet prioritatē physicam ad habitum; ad hanc enim requiritur, ut existentia rei actu posita sit prior, ita, ut vel physicè influat, vel moveat ut actu existens ad alterum ponendum: in hoc autem casu tantum existentia futura actus moveret, quæ physicè influere non posset; quare talis actus ad summum haberet aliquam qualemque prioritatem intentionalem ad habitum, tanquam cau- sa finalis, seu movens, ut sit; nam non esset causa moralis, aut meritoria; quia non moveret ut aliunde existens, sed ut extiturus depen- denter ab habitu, adeoque tanquam causa finalis: quæ tamen prioritas non est prioritas naturæ ex dictis n. 920.

845. Ob. 2. Quando producitur ignis ex ligno, tunc calor tanquam dispositio est prior naturâ ad ignem productum, & ignis est prior natu- râ ad calorem: ergo datur mutua naturæ prioritas. ant. quoad i. p. patet; dispositiones enim, ut nemo negat, constituant actum primum proximum, prærequisitum ad effec- tum.

Etum. prob. 2. p. ant. calor est proprietas ignis: sed substantia est prior naturā ad suas proprietates: ergo ignis est prior ad calorem. Resp. neg. 2. p. ant. si intelligatur, ut debet, de primo instanti, in quo calor est dispositio. ad prob. dist. ma. calor est proprietas ignis pro eo instanti, in quo est dispositio ad ignem. neg. ma. pro sequenti instanti, in quo conservatur ab igne. conc. ma. & conc. mi. sub priori distinctione conc. vel neg. conseq.

846. Scilicet in primo instanti A. calor producitur in ligno à causa extrinseca, & tunc tanquam dispositio est prior ad ignem: at in eo instanti ignis nullam adhuc habet causalitatem, vel prioritatem respectu caloris: postea autem in instanti B ignis, jam prius in instanti A productus, conservat calorem tanquam suam proprietatem, estque prior ad illum: sed in hoc instanti B calor non est prior naturā ad ignem pro instanti B (nam pro hoc instanti B calor jam fuit prior ad ignem ut existens in instanti A) adoque non datur mutua prioritas pro eodem instanti. Verum est, quod calor existens in instanti B sit prior naturā ad ignem pro instanti C, sed non vicissim ignis existens in instanti B est prior ad calorem ut existentem in instanti C: sed tantum ad eum ut existentem in instanti B: & sic ulterius, ut adeo nunquam detur mutua prioritas pro eodem instanti, sed tantum pro

diversis, quam prioritatem jam admisiimus n. 834.

847. Dices 1. Ignis, sive ejus forma, est subiectum caloris, & aliarum dispositionum: ergo est prior naturā. Confir. Forma exigit dispositiones: ergo est prior naturā ad illas. Resp. dist. ant. forma est subiectum informationis. conc. ant. est subiectum sustentacionis. neg. ant. & conseq. Quilibet effectus est subiectum informationis respectu actionis, per quam producitur, quin sit prior naturā ad illam. Ad confirm. dist. ant. forma exigit dispositiones tanquam finis sua media. conc. ant. tanquam causa physica, vel moralis suos effectus. neg. ant. & conseq. Neque dicas, formam exigere suas proprietates; has enim, saltem tanquam radix prodicia earum, non exigit pro primo, sed tantum pro sequenti instanti.

Dices 2. Si ignis, seu ejus forma, pro primo instanti non est prior naturā ad calorem, sive ipsam non producit, tunc pro eo instanti calor non est proprietas ignis: ergo ignis, seu ejus forma, existit in aliquo instanti sine proprietatibus, quod est impossibile. Resp. om. ant. dist. conseq. existit sine proprietatibus formaliter talibus, aut strictissime dictis, om. conseq. sine proprietatibus æquivalenter talibus, aut latius dictis. neg. conseq. In primis in eo instanti ignis juxta communem producit octavum gradum

dum caloris , & hic est tunc proprietas ignis strictissimè dicta : dein habet alios gradus caloris , productos à causa extrinseca , qui , licet non sint pro primo instanti proprietates ignis strictissimè dictæ , tamen possunt dici æquivalenter tales ; eo quod illi gradus jam primo instanti subjectum non minus reddant aptum ad formam , nec minus resistunt accidentibus contrariis in bonum formæ , quam si fuissent ab hac producti , & essent proprietates strictissimè tales .

848. Ob. 3. Si globus ex tormento evibratur , tunc impulsus à pulvere pyrio impressus globo , est causa motus globi : & motus est causa impulsus : ergo datur mutua causalitas , sive prioritas naturæ . ant. quoad 1. p. est clarum. prob. quoad 2. p. si cesset motus e. g. si globus impingit in tenax lutum , cessat etiam impulsus : ergo motus est causa impulsus . Confir. Impulsus est major in medio , quam initio : ergo motus eum auger. Resp. dist. 2. p. ant. motus est causa impulsus primi , qui causat ipsum motum. neg. ant. est causa augmenti impulsus . om. ant. & neg. conseq. vide n. 841. dicta de habitu ; nam est similis casus. ad prob. neg. conseq. nam ex antecedente tantum potest inferri , quod impulsus dependeat à posteriori à motu , ita , ut dari non possit sine hoc effectu , sicut non potest dari animal sine omni actione vitali : potest etiam

consequens distingui ut suprà , dicendo , motum quidem esse causam augmenti impulsus , non verò impulsus primi , qui est causa motus . Ad confir. dist. iterum eodem modo consequens .

849. Ob. 4. Duo carbones igniti simul conjuncti diutiùs conservantur : ergo conservant se mutuò , adeoque sunt ad se mutuò priores naturā . Confir. Calor carbonum producit calorem in aëre vicino : & hic calor aëris conservat calorem carbonum : ergo . Resp. neg. conseq. nam , quod tales carbones diutiùs conserventur , non est ratio , quod se mutuò conservent , sed , quod conjuncti fortius resistant agenti contrario , ne illud possit destruere proprietates carbonum , quibus conservatis naturaliter conservantur etiam carbones .

Possunt enim duo carbones conjuncti plus agere , quam quilibet seorsim : e. g. si unus ob resistantiam aëris potuissest in isto tantum producere unum gradum caloris , duo possunt in eo producere duos gradus ; quia frigus aëris non potest ita resistere duobus carbonibus : possunt etiam duo carbones plus agere extensivè , sive in majorem sphæram activitatis , seu plures partes aëris calefacere . Ad confir. dist. 2. p. ant. calor aëris conservat calorem carbonum pro primo instanti , pro quo ipse producitur . neg. ant. pro sequenti instanti . conc. ant. & neg. conseq. vide dicta n. 846 de-

prioritate ignis ad calorem, qui est dispositio ad ignem.

850. Dices 1. Productio caloris in aere est prior natura ad expulsionem frigoris ex eodem aere: sed haec expulso est prior natura ad conservationem caloris in carbonibus: ergo adhuc datur mutua prioritas. Resp. om. ant. (nam, si vinceretur frigus a calore, non esset causa destructiva illius) neg. conseq. ad prob. iterum neg. conseq.

851. Dices 2. Praesentia majoris frigoris esset causa destructiva caloris in carbonibus: ergo absentia frigoris est causa conservativa caloris. prob. conseq. Aristoteles 2. *Phys. text. 30.* sic loquitur: *Quod enim prasens causa hujus est, hoc & absens facimus aliquando causam contrariae, ut absentiam gubernatoris navis subversionis, enigus erat praesentia causa salutis:* hoc est, si praesentia unius est causa aliquid rei,

tunc absentia illius est causa contrariae; sicut, si praesentia gubernatoris est causa, ut navis salvetur, ejus absentia erit causa, ut pereat: ergo, si praesentia frigoris est causa destructionis caloris, erit illius absentia causa conservativa caloris. Resp. om. ant. (nam, si vinceretur frigus a calore, non esset causa destructiva illius) neg. conseq. ad prob. iterum neg. conseq.

Philosophus non ait *semper*, sed *aliquando*; unde saltem tunc absentia non est causa, quando ipsa met causatur ab illo ipso, cuius causa esse deberet, id quod contingit in nostro casu: non autem in eo, quem ponit Aristoteles, qui supponit, gubernatorem ex alia causa absesse; nam, si absentia gubernatoris causata fuisset per ipsum naufragium, certe non potuisset esse causa naufragii: verbo: praesentia, & absentia, affirmatio, & negatio rei, ut sint causae naturae priores, debent aliunde existere, ut n. 821. est dictum.

852. Ob. 5. Destructio prioris formae, e. g. ligni, est prior natura ad introductionem formae novae, e. g. ignis: & introductio novae formae est prior natura ad destructionem prioris: ergo datur mutua prioritas naturae. prob. ant. quoad i. p. negatio impedimenti est prior natura ad effectum: sed destruacio prioris formae est negatio impedimenti: ergo. Rursus agentia naturalia non possunt introducere novam

vam formam , nisi expellatur antiqua: ergo adjuvantur ab expulsione forma antiqua : ergo ista est prior natura ad novam formam. Prob. jam. ant. quoad 2. p. Introduc-  
tio formæ novæ est causa exigita-  
va , & determinativa ad destruc-  
tionem prioris: ergo est prior natura.

853. Resp. neg. 1. p. ant. ad prob.  
dist. ma. negatio impedimenti in-  
auferibilis per ipsum effectum , vel  
hujus positionem , est prior natura  
ad effectum. conc. ma. negatio im-  
pedimenti auferibilis. neg. ma. &  
dist. sic mi. neg. conseq. Si impe-  
dimentum auferitur per ipsum effec-  
tum , vel ejus positionem , tunc  
negatio impedimenti non potest  
esse prior natura ad effectum ; quia  
non potest constituere actum pri-  
mum proximum ad ipsum , ut est  
clarum.

Jam vero ipsa forma nova intro-  
ducenda in materiam , tanquam ef-  
fectus exigit, ut destruatur antiqua,  
& tollatur hoc impedimentum ,  
adeoque tanquam causa exigitiva  
determinat ad destructionem for-  
mae antiquæ , & negationem hujus  
impedimenti ; consequenter , ut  
benè dictum in probatione 2. p.  
antecedentis forma nova est prior  
natura ad destructionem antiquæ :  
**non autem vicissim** hæc destruc-  
tion est prior ad productionem , vel in-  
roductionem novæ. Ubi noto, in  
codem instanti destrui antiquam  
formam , atque produci novam: &  
quidem productionem novæ for-

mæ esse in signo priori , destruc-  
tionem verò antiquæ esse in signo  
posteriori naturæ. Ad 2. prob. 1. p.  
ant. neg. utramque conseq. Ex an-  
tecedente plus non infertur, quām  
aliqua connexio , inter introduc-  
tionem novæ formæ , & destruc-  
tionem antiquæ , quæ non est ne-  
cessariò à priori , sed potest esse , vel  
à concomitanti , vel à posteriori :  
sic etiam sol non potest dari sine  
luce , quin tamen lux sit prior na-  
turæ ad solem. vide n. 862. Ad prob.  
2. p. ant. conseq. totum.

854. Ob. 6. Bonum tempera-  
mentum est causa vitæ , & vita est  
causa boni temperamenti : ergo da-  
tur mutua naturæ prioritas. Con-  
fir. Sæpe ægrotanti ambulatio est  
causa vitæ , & vita est causa ambu-  
lationis: ergo. Resp. om. ant. dist.  
conseq. datur mutua prioritas pro  
codem instanti. neg. conseq. pro  
diversis instantibus. conc. conseq.  
Vita causat bonum temperamen-  
tum pro instanti A , & hoc causat vi-  
tam tanum pro instanti B. vide dicta  
in simili n. 840. Ad confirm. dist.  
codem modo conseqvens.

Dices 1. Potest unus calor cau-  
sare alterum , & vicissim ab isto cau-  
sari , pro codem instanti: ergo etiam  
potest ambulatio causare vitam , &  
vicissim ab ea causari , pro codem in-  
stanti. prob. ant. duæ manus con-  
fricatae mutuò calefiunt pro codem  
instanti : ergo calor unius manus  
produceit calorem alterius , & vi-  
cissim.

855. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Hæc experientia tantum probat, quod fricatione mutua, seu motu, excitentur spiritus vitales, qui dein producunt calorem, aut certè efficiunt, ut vel ipsa anima, vel formæ partiales, aut elementares, eum producere possint. Quando autem manus calefiunt; quia tæ sunt chirothecis, chirothecæ non producunt calorem, sed tantum removent aërem frigidum, quo remoto iterum, vel spiritus animales, vel formæ partiales, aut elementares, vel ipsa anima, producere potest calorem in manu, atque etiam in ipsis chirothecis.

Similiter, quando post piper co mestum calor oritur in lingua, & à lingua calefit piper, calor linguæ non producitur à pipere, vel à calore piperis, qui formaliter talis exiguus ei inest: sed piper sua acredine linguam aliquo modo lædit; hinc ab anima illuc impelluntur plures spiritus vitales, qui, utpote formaliter calidi, & linguam, & piper, calefaciunt. Ex eadem ratione, si contusione lædatur aliud membrum, e. g. brachium, statim incalescit, nempe ob immisso spiritus vitales, & sanguinem copiosius affluentem.

856. Diçes 2. Calor cibi producit calorem in stomacho: & calor stomachi producit calorem in cibo, pro codem instanti: ergo unus calor est prior ad alterum, & vicissim. Resp. neg. ant. nam, vel cibus est

calidior stomacho, & hic solus producet calorem: vel stomachus est calidior cibo, & tunc iste solus producet calorem: vel sunt æqualiter calidi, & neuter producet in altero calorem; quia simile non agit in simile: attamen in tali casu simul constituent aliquid magis extensivè calidum, adeoque potens magis resistere contrariis.

857. Ob. 7. Casu quo fenestra flante vento aperiatur, & per eam aër ingrediatur, ingressus aëris est prior naturæ ad apertio fene stræ, & vicissim apertio fene stræ ad ingressum aëris: ergo eodem modo potest unus calor esse prior ad alterum, & vicissim. prob. ant. aër ingrediens est causa aperiens fene stram, adeoque est prior: vicissim apertio fene stræ est conditio pro priori requisita ad ingressum aëris, adeoque etiam est prior: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 1. vel 2. p. ant. Prima potest negari; quia potest dici, quod non aër ingrediens, sed primò impellens fene stram, vel potius primus impulsus, seu motus aëris, per quem alliditur aër ad fene stram, sit causa apertio fene stræ: non verò motus secundus, per quem aër ingreditur in cubiculum per fene stram: ad quem motum secundum potest dici, quod sit prior apertio fene stræ.

Secunda pars ant. potest negari; quia potest dici, quod apertio fene stræ, & ingressus aëris, sint effectus simultanei ejusdem impulsus, quo

quo propellitur aer ad fenestram, & intra cubiculum: & juxta hanc responsum apertio fenestræ non est conditio pro priori requisita ad ingressum aeris: sed est negatio impedimenti auferibilis per ipsum effectum, vel ejus productionem, quæ ex dictis n. 853. non est prior naturæ.

858.. Plura similia experimenta solent afferri, ad quæ brevitatis causa extra formam respondere. Si duo baculi ad se invicem inclinati sustententur, ut non cadant, non una ubicatio conservat alteram, sed amborum ubicationes, & conservatio earum, sunt effectus simultanei, producti à gravitate, impene-trabilitate, & motu præcedente, vel causâ motû, bâculos itâ ad se inclinante. Pariter in libra descensus unius lancis, & ascensus alterius, sunt effectus simultanei gravitatis majoris in altero pondere, item inflexibilitatis vectis ferrei in libra, vel etiam roboris funium: ex quibus oritur ascensus in una lance, dum datur descensus in altera. Si verò lances maneant in æquilibrio, tunc hujus præter vectem &c. causa est pondus æquale in utraque lance.

Similiter motus omnium rotarum in curru provenit ab eodem impulsu ab equis impresso, item à rotunditate, & mobilitate omnium rotarum: cùmque hæc omnia con-situant actum primum proximum ad motum cuiuslibet rotæ, facile

capitur, quod, si una rota immobi-lis redditæ sit, non amplius possint moveri aliae; quia non amplius da-tur actus primus proximus comple-tus ad motum earum.

859. Rursus, si ex duobus e. g. aulicis uterque, Titius, & Cajus, dicat, se nolle progredi, nisi alter præcedat, non statio, seu ubicatio unius, est prior naturæ ad stationem, seu ubicationem alterius, & vicissim: sed in primo instanti A primæ duæ ubicationes, in quibus uterque primò sistit, sunt effectus di-versarum causarum, nempe urbanitatis cuilibet propriæ: sequenti dein instanti B Titius determinatur sal-tem partialiter ad sistendum ab ubi-catione, seu statione Caji præterita, seu existente in instanti A: & vicissim Cajus determinatur eodem modo ad sistendum ab ubicatione Titii præterita in instanti A, itâ, ut ubicatio præterita Caji sit prior na-turæ ad ubicationem præsentem Ti-tii, & ubicatio præterita Titii sit prior naturæ ad ubicationem præ-sentem Caji.

860. Hæc prioritas, ubicationum præteritarum ad præsentes, neutrum quam in sensu controverso mutua, facilè admittitur, eaque durat, do-nec lis urbanitatis finiatur: certè isti aulici verbis suis stare non pos-sunt, nisi semper eidem loco affixi hærere velint. Si autem ponatur, quod nullus vellet alterum præce-dere, possent simul ire sine mutua prioritate gressuum; nam non unus

gressus esset causa alterius, & vicissim: sed quilibet gressus oriretur à sua potentia locomotiva, quæ determinaretur ad ponendum gressum, non à præsenti gressu alterius, sed à conventione, aut pacto simul eundi, item à voluntate se movendi cum altero: adeoque utriusque aulici gressus essent effectus simultanei dictæ conventionis, aut pa-

ti.

861. Ob. 7. Materia est prior naturâ ad formam, & forma est prior naturâ ad materiam: ergo datur mutua naturæ prioritas inter causas physicas, saltem diversi generis, nempe inter materialem, & formalem. ant. quoad 1. p. est certum. prob. quoad 2. p. forma est causa formalis materiæ: ergo est prior naturâ ad materiam. Confir. Materia existit per existentiam formæ: ergo forma est prior ad materiam. Resp. neg. 2. p. ant. ad prob. neg. ant. forma non est causa formalis materiæ, sed totius compositi; quamvis neque respectu istius, utpote causa intrinseca, sit prior naturâ, ex dictis n. 823. Ad confir. neg. ant. de quo vide suprà n. 310.

862. Dices. Materia non potest produci sine forma: sed id, sine quo alterum non potest produci, est causa illius, vel certè conditio ad illud naturâ prior: ergo forma est prior naturâ ad materiam. Resp. neg. mi. Etiam sol naturaliter non

potuit produci sine luce, nec potest dari apertio oculorum de die sine visione: quin lux sit prior naturâ ad solem, vel visio ad apertio nem oculorum; scilicet ex eo, quod unum non possit produci, vel dari sine altero, plus non infertur, quam connexio unius cum altero.

Triplex autem est *connexio*, à *priori*, à *posteriori*, à *concomitanti*: primam habet effectus cum causa, vel quasi causa, seu conditionibus, aut dispositionibus, ad actum primum proximum requisitis: secundam habet causa necessaria cum effectu, e. g. sol cum luce: tertiam habent effectus simultanei, e. g. motus rotæ A cum motu rotæ B in eodem curru.

863. Jam materia prima habet cum forma connexionem secundi ordinis, tanquam causa cum effectu; nam formarum materialium est verè causa materialis: ad animalm autem rationalem habet se tanquam conditio, vel dispositio præcedens; quia anima rationalis, et si creetur à solo Deo, tamen naturaliter non creatur extra materiam. Responsio hæc etiam danda est, si objiciatur, quod sine forma non possit conservari, vel existere, saltem naturaliter, materia; nam ex hoc plus non sequitur, quam connexio materiæ cum forma, quæ tamen tantum est à posteriori.



## ARTICULUS V.

*An Aliquid Tempore Posteriori possit esse Prius Naturæ Respectu Alterius Tempore Prioris, in Genere Causæ Moralis.*

864. Ex hucisque disputatis possit esse prius naturæ in genere physico, respectu alterius tempore prioris; nam, cum physica prioritas naturæ exigat actualem existentiam illius, quod est prius naturæ, ad eoque requirat, saltem simultaneam quoad tempus existentiam cause, & effectus, certè nihil primum postea extitum potest esse naturæ prius in genere physico, respectu alterius prius existentis, ut ex terminis patet.

Quare tantum controverti potest, an non aliiquid tempore posterius, seu futurum, possit esse prius naturæ in genere causæ moralis: qua in re distinguendæ sunt duæ questio[n]es, una de nomine, altera de re: & quidem de re questio est, an aliiquid futurum possit ad aliud aliud nunc, seu prius tempore ponendum, movere, non tantum, ut sit, sed quia ipsum est, vel erit aliunde: de nomine vero questio est, an tale futurum, & movens, quia est, vel erit, appellandum sit prius naturæ.

865. Dico 1. Potest aliiquid tempore posterius movere ad aliiquid tempore prius, non, ut sit, sed quia est, vel erit aliunde, ita recentiores

satis communiter: antiqui autem non videntur hanc questionem tractasse. Prob. conclusio. Sæpe aliiquid tempore posterius actu ita movebit ad aliiquid tempore prius: ergo potest ita movebit. prob. ant. futura eclypsis movebit Mathematicum ad preparanda prius instrumenta, observationibus congrua: futurum plenilunium movebit hortulanum ad paranda prius semina, tunc spargenda: futura hyems movebit patrem-familias ad paranda prius ligna, tunc necessaria: futura tempestas movebit navarchum ad demittenda prius vela: & quidem ista movebit, non, ut sint, sed quia erunt, aut futura sunt; nec enim parantur instrumenta, vel ligna, ut sit eclypsis, aut hyems: multo minus demittuntur vela, uestit tempora; nam hanc navarchus, si posset, omnibus modis impedit: sed eclypsis, plenilunium, hyems, tempora, sunt aliiquid tempore posterius, & preparatio instrumentorum, seminum, ac lignorum, atque etiam demissio velorum, sunt aliiquid tempore prius: ergo.

866. Confirm. Potest movebit aliiquid praeteritum; quia fuit: e. g. injuria praeterita movebit ad vindictam; quia fuit illata; ergo etiam potest

poteſt moveare aliquid futurum; quia erit. Si negetur consequentia, debet dari ratio disparitatis. Dicunt quidem, præteritum exiſtere adhuc in aliquo ſuo effectu: ſed contra eſt. Ut aliquid ſimpliciter moveat, non requiriſtur, ut exiſtat in aliquo ſuo effectu, ut patet in cauſa finali: nec eſt ulla ratio effi-  
cacer probans id requiri, ut ali-  
quid moveat; quia eſt.

Dein præteritum, ut moveat, non debet exiſtere in aliquo effectu, qui aliquid conferat ad motionem: ſic e. g. ſi Titius promiſiſet Cajo, quod ipsum commendaturus eſſet principi ſtati, cām ad eum poſt tres dies pervenerit, viciſſim petens, ut Cajus ſe commendaret ſuo patruo, cuius vellet ducere filiam: dein quarta, vel quinta die, quando Titius jam ſuo promiſio ſte-  
tiſſet, quin tamen Cajus id factum reſciuiſſet, poſſet hic ſupponere, commendationem ſui apud principem factam eſſe, & ab hac tanquam præterita, moveri ad commendandum ſuo patruo Titium: in tali caſu hæc commendatio Caīi, facta apud principem, moveret; quia eſt, quin exiſteret in ullo ſuo effectu; neque enim promiſio eſt effectus commendationis, ſed potius ejus cauſa: neque ullus alijs effectus commendationis poteſt aſſignari.

867. Nec dicas, in hoc caſu mo-  
veare promiſionem, quæ exiſtat in  
ſui memoria; hoc enim eſt falſum;  
nam promiſio tantum eſt motivum

ad hoc, ut Cajus judicet, commen-  
dationem ſuifactam eſſe apud prin-  
cipem: non autem ad hoc, ut vi-  
cissim Titium commendet ſuo Pa-  
truo; ad hoc enim motivum eſt ipta  
commendatio facta apud prin-  
cipem; nam motivum ad hoc eſt il-  
lud, quod Cajus vult mutuo bene-  
ficio compensare; vult autem com-  
pensare commendationem, non  
promiſionem. Quare promiſio  
eſt tantum applicatio, vel quaſi ap-  
plicatio motivi, nempe commen-  
dationis; alijs etiam non ipta paſ-  
ſio Christi Domini eſſet motivum  
noſtra erga ipsum gratitudinis, ſed  
Evangelium, per quod paſſio illa  
pro nobis tolerata innotescit: quod  
nemo admittit.

868. Dico 2. Tale futurum mo-  
vens, non, ut fit, ſ. d. quia eſt ali-  
unde, poteſt dici cauſa moralis, &  
priuſ naturæ. Hæc conclusio, ut-  
pote de nomine, ſufficienter pro-  
batur auctoritate; nam plurimi  
auctores ita loquuntur, & tali fu-  
turo prioritatem naturæ attri-  
buunt. Certè Thomistæ, & aliqui  
quoque ex noſtris, etiam cauſam  
finalē dicunt eſſe naturæ priorem,  
quæ primū eſt, & quidem non  
aliunde: quanto magis tale aliun-  
de futurum prius naturæ vocabunt?  
Dein Theologi communiter do-  
cent, quod merita Christi fuerint  
priora naturæ, ad gratias B. Virgini,  
& alijs ejus progenitoribus, quin  
etiam ipli Adamo confeſſas: item,  
quod fuerint cauſæ verè morales,  
ad

ad eas gratias concédendas, licet ille multo tempore fuerint ante merita Christi concessæ: ergo tale futurum, de quo loquitur nostra conclusio, potest dici prius natura,

869. Quæri hic potest, an ad causam moralem natura priorem, seu moventem; quia erit, sufficiat movere; quia erit putatitiæ: hoc est, quando putatur tantum futurum, quamvis re ipsa futurum non sit: an verò requiratur, ut re ipsa aliquo post tempore existat. Resp. probabilius sufficere, modò putetur esse futurum; nam certè potest quis moveri ab aliquo; quia erit putatitiæ: e. g. potest moveri nava rarus ad demittenda vela; quia erit tempestas, ut ipse putat, quamvis dein non sequatur, sed ex aliqua causa impediatur: sicut potest aliquis moveri ab aliquo putatitiæ præterito, e. g. ad vindictam ab injuria, quam putat sibi factam, vera tamen facta non est.

Jam talis motio, seu vis causandi, in tali putatitiæ futuro debet referri ad aliquod genus causarum (nam, quidquid verè movet causam efficientem ad effectum, determinat ex propria virtute, seu vi movendi ad effectum) non autem potest referri ad causam propriæ efficientem, nec ad materialem, nec ad finalem, nec ad idealem, ut patet consideranti, & magis patebit ex solutione objectionum: ergo debet referri ad causam moralem.

870. Ob. 1. Futurum non est

*Tom. II.*

existens: ergo non potest constituere actum primum ut existens: ergo non potest esse causa moralis. Confirm. Quod nihil est, non potest mouere; quia est: sed futurum nunc nihil est: ergo non potest nunc mouere; quia est. Resp. 1. retorq. arg. in causa morali præterita, quæ communiter admittitur. Resp. 2. dist. ant. futurum non est existens realiter, & actu. conc. ant. non est existens intentionaliter. neg. ant. & dist. 1. conseq. non potest constituere actum primum per existentiam suam physicè actualem, seu actu existentem. conc. conseq. per existentiam suam intentionaliter existentem. neg. 1. & 2. conseq. sufficit enim, quod ex parte actus primi existat res intentionaliter, nec probari potest, quod debeat actu realiter existere. Ad confirm. dist. ma. non potest mouere, quia est per statum. conc. ma. quia est per ampliationem, seu quia erit. neg. ma. & proportionaliter dist. etiam mi. atque conseq.

871. Dices 1. Si futurum tantum existit intentionaliter, tunc tantum movet ejus existentia intentionalis: sed existentia intentionalis est cognitio futuri, vel voluntio, aut ejus intentio actu existens: ergo tantum movet aliquid actu existens, & non ipsum futurum. Resp. 1. retorq. arg. in casu finali, quæ etiam tantum intentionaliter existit, dum movet. Resp. 2. neg. ma. Existentia intentionalis alicuius

Y y

jus

*jus rei non est aliud, quam actus intellectus eam representans, seu intellectualis ejus representatione: & hinc est tantum existentia metaphorice dicta, ac realiter distincta à re existente.*

*Neque est idem, movere rem intentionaliter existentem, & movere ejus existentiam intentionalem; quia non est idem movere rem representatam, & movere ejus representationem. Sic Beati amant amore amicitiaz Deum, per visionem beatificam representatum ut insinuè amabilem, quin eo amore ament visionem beatificam, seu representationem; unde existentia intentionalis, seu cognitio rei moventis, non est motivum, sed tantum est intentionalis applicatio motivi.*

872. Dices 2. Futurum movet secundum illud esse, quod defacto datur: sed tantum datur esse intentionale: ergo tantum movet secundum esse intentionale. Resp. dist. ma. movet secundum illud esse, quod defacto datur actu realiter. neg. ma. quod defacto datur intentionaler. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Illud objectum movet, quod cognoscitur, vel intenditur: hoc autem non est cognitio, vel intentio, quæ actu datur, sed res cognita, vel intenta, quæ dabitur.

Dices 3. Futurum movet ut existens intentionaler: ergo movet ejus existentia intentionalis. Resp. neg. conseq. Argumentum est simile huic: Ignis urit ut applicatus: ex-

go applicatio urit. Jam in Logica n. 664. diximus, reduplicationem non semper facere, ut terminus, super quem cadit reduplicatio, veniat in recto, & de ipso possit verificari prædicatum: sed, ut in eadem Logica n. 72. diximus, sepe solum est ratio, cur prædicatum conveniat subiecto: & sic existentia intentionalis est ratio, vel conditio, requisita ad hoc, ut ipsa res possit movere: non tamen de ipsa existentia intentionali potest dici, quod moveat.

873. Ob. 2. Produc effectum est cum ponи extra suas causas: sed effectus non potest ponи extra causas futuras, nondum existentes: ergo non potest produci à causis futuris: ergo futura non possunt esse causæ, seu habere prioritatem naturæ. Resp. om. ma. in lano sensu, de quo mox, dist. mi. non potest effectus ponи extra causas nondum existentes realiter. neg. mi. nondum existentes intentionaler. conc. mi. & neg. conseq. Major non admittitur, nisi in hoc sensu, quod, quando producitur effectus, causæ debeant exercere suam causalitatem, & quidem causæ physicae causalitatem physicam, causæ vero intentionales intentionalem: hanc autem possunt etiam exercere causæ futuræ; cum possint movere; quia sunt, vel erunt: & in hoc sensu etiam potest dici, effectus productus esse positus extra causas futuras; quia ad eum moverunt.

874. Di-

874. Dices 1. Quod est prius naturæ, est medium executivum effectus: sed futurum non potest esse tale medium: ergo non potest esse prius naturæ. prob. mi. medium necessariò debet poni ante finem: sed futurum non potest poni ante effectum præsentem, qui est finis: ergo futurum non potest esse medium executivum effectus. Resp. dist. ma. est medium semper physicè executivum effectus. neg. ma. vel physicè, vel intentionaliter executivum. conc. ma. & dist. mi. futurum non potest esse medium physicè executivum. conc. mi. intentionaleriter executivum. neg. mi. & conseq. ad prob. dist. ma. medium physicè executivum debet poni ante finem. conc. ma. intentionaliter tantum executivum. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq.

Ut aliquid sit medium, intentionaliter tantum executivum, & ut tale influat, aliud non requiritur, quam, ut moveat: quia est, vel erit aliunde: ad hoc autem non est necessarium, ut ipsum actu realiter existat, sed tantum, ut existat ejus cognitio, vel intentio. At non eodem modo poterit causa finalis esse medium intentionaliter executivum; quia ad hoc ex communione requiritur, ut moveat, non, ut sit, sed quia est, vel erit aliunde: quod causa finali non competit: & hæc ipsa valde diversa ratio movendi est notabile discriminem inter causam finaliem, & moralēm.

875. Dices 2. Si ad prioritatem naturæ sufficit prioritas intentionalis, tunc aliquid futurum poterit esse prius naturæ tanquam meritum, ad aliquid præsens tanquam præmium: sed hoc inconvenienter dicitur: ergo. Resp. neg. mi. nam in primis Theologi, præfertim recentiores, paßim docent, quod merita Christi futura moverint Deum, ad dandas gratias ejus progenitoribus, tanquam præmium anticipatum. Dein non video, cur nos aliquis rex, cui esset revelatum, quod bellicidux ipsius sua fortitudine esset relatus insignem victoriam, posset ei dare præmium anticipatum, e.g. enī gemmis distinctum, vel quid simile.

876. Ob. 3. Prioritas naturæ est prioritas realis: sed futurum non habet prioritatem realera respectu præseatis: ergo respectu hujus non est prius naturæ. Confir. Per causam moralēm communiter intelligitur illa, quæ aliunde jam realiter actu existit: sed futurum non jam aliunde realiter actu existit: ergo. Resp. dist. ma. est prioritas realis, hoc est, intercedens inter rem, & rem. conc. ma. intercedens inter res realiter actu existentes. neg. ma. & sic dist. mi. neg. conseq. Prioritas futuri ad præsens potest dici realis; quia non tantum actus intellectus, aut voluntatis, terminatus ad rem futuram, est prior naturæ, sed etiam ipsa res futura; hæc enim movet; quia est, seu erit aliun-

de. Ad confirm. neg. ma. ex di-  
ctis n. 868.

877. Dices. Ordo naturæ, seu prioritatis naturæ, est ordo, seu prioritas existentiarum: ergo, quod est prius naturæ, debet etiam esse prius existentiæ: atqui futurum non potest esse prius existentiæ respectu præsentis: ergo neque potest esse prius naturæ. Resp. dist. conseq. debet esse prius existentiæ, hoc est, existentia ejus debet realiter actu aliunde dari, & ut actu data constituere actum primum proximum. neg. conseq. hoc est, ejus existentia debet aliunde, vel realiter, vel intentionaliter dari, & sic constituere actum primum proximum. conc. conseq. eodem modo dist. subsumpt. & neg. iterum conseq.

Per prioritatem existentiæ non potest intelligi prioritas temporis; alias neque causa efficiens, quæ saepe non existit prior tempore ad effectum, esset semper prior naturæ: neque etiam necessariò debet intelligi prioritas existentiæ actu realiter posita; hoc enim, nec ratione, nec auctoritate sufficienter probatur: ergo ad prioritatem existentiæ sufficit, si res, sive actu realiter, sive tantum intentionaliter, existat aliunde, & ut talis constituat actum primum proximum ad aliud: hoc autem etiam competit rei futura respectu præsentis.

878. Ob. 4. Potest dici, quod omnia futura, ad effectum aliquem ponendum moveantia, spectent ad

causam finalē: ergo non debet ipsis attribui prioritas naturæ. prob. ant. potest dici, quod futura moveant, non quidem, ut simpliciter sint, sed, ut sint cum addito, e. g. quod obsequium, etiam aliunde futurum, moveat, non quidem, ut simpliciter sit, sed, ut sit compensatum: quod naufragium futurum, vel imminens moveat, non, ut simpliciter sit, sed, ut sit evitatum: ergo potest dici, quod futura omnia spectent ad causam finalē.

879. Resp. neg. ant. ad prob. retoq. arg. in causa morali præterita, & præsenti, de quibus posset quis eodem modo loqui, scilicet dicens, quod e. g. obsequium etiam præsens, vel præteritum, moveat ad aliquam remunerationem, non, quia obsequium est, sed, ut sit compensatum: qua ratione tolleretur omnis causa moralis contra communissimam auctorum. in forma neg. ant. sive nego, quod hoc universaliter possit dici; tum, quia, ut modo dictum, sic tolleretur omnis causa moralis; tum, quia hic modus loquendi est contra communem; tum etiam, quia non potest probari ulla ratione, quod, qui movescit ab aliquo futuro, semper habeat actu voluntatis, tendentem in suum objectum, tanquam movens, ut sit, non verò, quia est. Certe res ista multum dependet à cognitione, vel intentione, seu actu voluntatis illius, qui movescit; & potest hic utique habere voluntatem

nem aliquid faciendi; quia alterum est futurum, non autem, ut istud futurum sit evitatum, compensatum &c. cum nemo ipsum cogat ad talēm potius semper eliciendam volitionem, quam aliam: quin etiam non potest probari, quod semper adhuc cognitio dirigens ad volitionem, tendentem potius in objectum tanquam movens, ut sit, quam, quia est.

880. Dices. Finis qui ex dictis n. 814 pertinet ad causam finalem, licet non moveat, ut simpliciter sit, sed cum addito, ut sit possessus: sic e.g. Deus est finis qui hominis, non tamen movet, ut simpliciter sit (quia homo non operatur, ut Deum producat) sed movet cum addito, ut sit possessus (quia homo operatur, ut Deum in celo possideat) ergo etiam futura possunt spectare ad causam finalem, etsi non moveant, ut simpliciter sint, sed cum addito, ut sint compensata, evitata &c.

Resp. conc. ant. neg. conseq. & retorq. arg. in causa morali de praesenti, vel praeterito. Finis qui non movet, quia est; nam, si quis operaretur; *quia Deus est*: non eliceret actum spei, tendentem in Deum tanquam finem qui: sed eliceret actum charitatis, vel alterius virtutis; unde quidem Deus ut finis qui, seu movens, ut sit possessus, spectat ad causam finalem: at non etiam ad hanc spectant omnia futura; nam, ut fatus hucusque probatum est, futura sepe movent; quia

sunt, seu erunt: nec necessariò debent movere, ut sint, etiam cum addito: & quando movent, quia sunt, spectant ad genus causæ moralis: sicut etiam Deus, quando movet, quia est, e.g. dignus omni obsequio, non spectat ad causam finalem, sed moralē.

881. Ob. 5. Effectus futuri dependent à praesentibus, tanquam à causis moralibus: ergo, si etiam effectus praesentes dependent à futuris, tanquam à causis moralibus, datur mutua naturæ prioritas in eodem genere causarum: hæc admitti non potest: ergo. prob. ant. collectio effectuum praesentium, seu totum universum, de praesenti existens, exigit suam conservationem in futurum: ergo est causa moralis effectuum omnium futurorum (nam in his debet conservari universum) adeoque effectus futuri omnes dependent à praesentibus, seu eorum collectione, tanquam causa morali. Responderi potest 1. neg. subsumpt. nam, ut infra n. 888. videbimus, non repugnat mutua prioritas inter causas morales. Urgeri quidem potest, in hoc casu esse speciale difficultatem; eoquod deberent esse mutuò causæ morales, respectu ejusdem intellectus divini: sed reponi potest, quod nec istud impossibile videatur. Responderi tamen etiam potest 2. dist. ant. effectus futuri aliqui dependent à praesentibus, tanquam causis moralibus. conc. ant. effectus futuri omnes

nes dependent. neg. ant. & conseq.  
ad prob. neg. conseq.

882. Ad conservationem universi non requiruntur omnes effectus futuri, ut videtur per se clarum: sanè, et si plurimi, qui sunt in libertate hominis positi, non darentur, tamen conservaretur universum, saltem moraliter idem: certè totaliter nullo modo destrueretur: partialiter autem utique universum hinc inde in pereuntibus suis partibus perit: quamvis partes deperditæ ut plurimum, saltem æ-

quivalerenter reparentur; unde præfens universum, seu collectio effectuum præsentium, est tantum causa moralis aliquorum effectuum futurorum; quare, licet aliqui effectus futuri (nempe illi, quorum causa moralis non est collectio effectuum præsentium) sint causæ morales effectuum quorundam præsentium, non datur mutua prioritas naturæ in eodem genere causarum. Hæc responsio est satis bona: sed prior est expeditior, & magis declarabitur ex infra dicendis.

## ARTICULUS VI.

*An possit dari Mutua Naturæ Prioritas inter duas Causas  
Morales, vel unam Physicam, & alteram Moralēm.*

883. **D**ico i. Potest aliquid futurum, licet dependeat physicè, vel moraliter ab aliqua re, tamen esse causa moralis, & prior naturæ, respectu ejusdem rei. ita recentiores longè communiùs. Prob. conclusio i. de futuro moraliter dependente, in casu jam cœmmuniter asserri solito. Dicat Titius Cajjo, ipsum cras à judice esse incarcrandum, non addendo causam, ob quam sit incarcerandus, Idque Cajus credat, atque eo dicto irritatus biasphemeret: judex autem de ea blasphemia certior factus, ob hanc ipsam Cajum incarceret: in hoc casu videtur innegabile, quod Cajus moveatur ad effutiendam blasphemiam ab incarceratione futura, li-

cet ista moraliter dependeat ab ipsa blasphemia: neque potest dici, quod Cajus moveatur ab incarceratione, ut sit; nam patet, eum moveri, ab illa; quia erit: ergo moveatur ab ea, tanquam à causa moralis, & naturæ priore: ergo potest aliquid futurum, moraliter dependens ab aliqua re, esse causa moralis, & prior naturæ ad eam ipsam rem.

884. Confir. Aliquid futurum potest esse causa moralis, & prior naturæ, respectu alterius rei tempore prioris ex n. 868. ergo etiam potest esse causa moralis, prior naturæ respectu alterius rei, à qua ipsum moraliter dependet, modo non moveat ut dependens, sed, quia erit, saltem intentionaliter, aliunde. prob.

prob. conseq. ista dependentia futuri ab aliqua re non impedit, quo minus hoc possit esse causa moralis, & prius natura ad eandem rem: ergo. prob. ant. blasphemia in supraposito casu est verè causa moralis, & prior natura ad incarcerationem, ut nemo negabit, nisi contra communem velit intendere litem inutili-lem vocabulariam, & negare, quod aliquid prius natura, & movens, quia est, sit causa moralis: atqui blasphemia dependet moraliter ab incarceratione: ergo hæc dependentia ab aliqua re non impedit, quo minus aliquid sit causa moralis, & prius natura ad eandem rem.

885. Prob. jam conclusio etiam de futuro physicè dependente ab alia re, in casu alio pariter jam decantato. Revelet Deus regi, ejus ducem obtenturum victoriam contra hostes, & rex plenus gaudio ob victoriam, quomodo cunque à duce obtinendam, jubeat confici insig- nem gladium, eumque donet duci: deinde isto gladio utatur dux in prælio, eoque occidat ductorem hostium: quo cælo reliquus hostilis exercitus fugiat, ac victoria à duce obtineatur: in hoc casu victoria in genere morali est prior natura ad gladium, sive ejus confectio- nem, & donationem, quamvis in genere physico dependeat à gladio: ergo.

Prob. ant. Victoria in hoc casu movet, ad gladium donandum, non, ut ipsa sit, sed, quia erit unde unde,

adeoque se habet ut blasphemia, de qua *num. prec.*, insuper dependet à gladio, tanquam à causa physica; cùm gladius physicè efficiat cædem ductoris hostilis: ergo. Similes casus excogitari plures facile pos- sunt: e. g. quod aliquis metu naufragii exoneret navem, que tamen exoneratio physicè disponat na- vem, ut evertatur, & naufragium fiat &c.

886. Confirm. Si aliquid movet ad aliud, non ut dependens ab isto, seu non, ut fiat dependenter ab eo, sed, quia futurum est, unde unde de- mun, jam intelligitur, quod determinet ut existens aliunde, saltem intentionaliter, seu in statu inten- tionali: sed hoc sufficit ad causam moralem, nec refert, quod realiter, seu in statu reali, physicè, vel mora- liter dependeat: ergo. prob. mi- modò res aliqua concipiatur ut de- pendens, seu, ut futura dependen- ter ab aliquo medio, & sic moveat, et si realiter non dependeat, sed prorsus aliunde existat, imò, et si me- dium illud sèpe contrarium opere- tur, tamen res illa taliter movens, jam dicitur causa finalis: ergo eti- am, modò aliquid concipiatur ut aliunde existens, & ita moveat, quamvis realiter non existat aliun- de, potest dici causa moralis.

887. Consequentia videtur legi- timè inferri ex paritate deducta à causa finali ad moralem; cùm utra- que sit causa intentionalis, & utra- que influat movendo: antecedens autem

autem patet ex communi omnium; nam omnes admittunt, quod, modò Petrus ambulet, ut sit sanus, licet ambulatio ei ad sanitatem non prospicit, sed illa aliunde à Deo conservetur, quin etiam, si ambulatio sanitati oblitus, quod, inquam, tamen sanitas sit causa finalis ambulacionis: imò communiter admittitur, quod aliquid impossibile, non cognitum qua tale, sed existimatum possibile, verè sit causa finalis: nec videtur hoc posse negari, nisi ab eo, qui vult inutiliter litigare de voce.

888. Dico 2. Possibilis est mutua naturæ prioritas inter duas causas morales, vel unam physicam, & alteram moralem. ita recentiores communiter. Prob. Ex suprà probatis habetur, quod blasphemia sit prior naturâ ad incarcerationem, & incarcerationem ad blasphemiam in genere causarum moralium: item quod gladius sit prior naturâ in genere causæ physicæ ad victoriam, & victoria sit prior ad gladium in genere causæ moralis: ergo in his casibus possibilis est mutua naturæ prioritas, asserta in conclusione.

Et quidem datur mutua naturæ prioritas quoad idem: hoc est, blasphemia est prior ad ipsam substantiam incarcerationis, & hæc est prior ad ipsam substantiam blasphemiarum: item victoria, seu ejus substantia, est prior naturâ ad substantiam, seu ipsam existentiam, aut confectionem gladii: & hæc ipsa substantia gladii est prior naturâ ad

ipsam substantiam victoriae, quæ physicè causata est per hoc, quod per gladium occisus sit ductor hostium &c. quidquid sit, an detur mutua prioritas quoad omnes circumstantias, de quo non euramus: sicut nec de eo, an detur mutua prioritas quoad omnes formalitates blasphemiarum, & incarcerationis, vel gladii, & victoriae; sufficit enim nobis, si admittatur dicta prioritas inter ipsas realiter acceptas.

889. Respondent aliqui 1. in dicto casu non dari mutuam prioritatem naturæ inter causas morales; nam, ajunt, ad hanc prioritatem requiritur, ut utraque causa moralis moveat eandem voluntatem: sed contra est. Hoc omnino gratis requiritur; æqualiter enim mutuò in se invicem influunt, sibique mutuò sunt causæ, blasphemia, & incarceration, sive moveant duas, sive moveant unam voluntatem; quid enim minus facit incarceration, si moveat Cajum ad blasphemiam, & quid minus blasphemia, si moveat judicem ad incarcerationem, quam, si utraque moveret Cajum solum, ita, ut hic seipsum priùs blasphemantem damnaret ad carcerem, st̄que in eum includeret?

Respondent alii 2. in tali casu, nec blasphemiam, nec incarcerationem, nec victoriam, nec gladium, esse causam: sed contra est. nostris rationibus sufficienter probatum est, quod duo mutuò ad se moveant; quia sunt: item, quod unum ita

*An possit dari Musus Prioritas inter duas Causas Mores, &c.* 361

Ita moveat, & alterum physicè influat: si autem quis neget, taliter movens, vel influens, esse causam, facit questionem de voce sive sufficiente auctoritate, de qua re vide dicta n. 868.

890. Respondent alii 3. in dictis casibus non dari mutuam prioritatem naturæ, de qua hie queritur; eoque non detur pro eodem instanti; nam pro diversis instantibus neque in causis physicis negatur possibilis. Sed contra est. In causis physicis, ut detur mutua naturæ prioritas strictè dicta, debet ea dari in eodem instanti; alias enim causa non se mutuo causant quoad primum esse; quia illa causa physica, quæ nondum physicè existit, nondum potest physicè agere: & illa causa physica, quæ in priori instanti physicè existit, jam habet suum primum esse, nec illud debet pro eo instanti recipere ab altera causa. At in causis moralibus possunt duo in se invicem influere, & quidem quoad primum esse, quævis non pro eodem instanti existant; nam causa moralis potest agere, etiam tunc, quando nondum realiter existit, modò existat intentionaliter: adeoque possunt duas causæ morales mutuo influere in primam sui productionem, etsi non existant pro eodem instanti.

891. Ob. 1. contra 1. conclus. Incarceratio non est aliunde, seu independenter à blasphemia existens: ergo non est prior naturæ. Resp.

*Tom. II.*

dist. ant. non est aliunde realiter. conc. ant. non est aliunde intentionaliter, saltem præcisivè. neg. ant. & conseq. Scilicet cognoscit Ca-jus, incarcerationem esse futuram: at non cognoscit, eam futuram esse dependenter à blasphemia: sed hoc ignorat: certè ab hoc præscindit: forte etiam putat, revera aliunde, sive ex alia causa futuram; nam hic error nihil obesse prioritati naturæ: hæc autem independentia intentionalis sufficit ad prioritatem naturæ, ut probatum n. 884.

Dices. Incarceratio movet Ca-jum ut realiter extitura: sed ut realiter extitura est dependens à blasphemia: ergo movet ut dependens à blasphemia: ergo non ut aliunde futura. Resp. neg. conseq. Syllo-gismus est malus, & similis huic: Incarceratio movet ut realiter extitura: sed ut realiter extitura est prævisa à Deo: ergo movet ut prævisa à Deo. Committitur nempe fallacia appellationis, seu reduplicatiōnis, dum particula reduplicans & ab uno termino transfertur ad alterum, qua ratione fiunt quatuor termini; nam dependens, & & dependens, sunt duo diversi termini, ut patet. Potest etiam distin-gui ma. incarceration movet ut extitura, reduplicatione cadente supra existentiam. conc. ma. reduplicatiōne cadente super omnia illa, quæ existentia competunt, vel ad-harent. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq.

Z 2

892. Ob.

892. Ob. 2. contra 2. conclus. Si est possibilis mutua naturæ prioritas, tunc potest aliquid esse prius ad suam causam: sed hoc est impossibile: ergo. prob. mi. impossibile est, ut idem sit prius, & posterius respectu ejusdem: ergo impossibile est, ut aliquid sit prius ad suam causam. Resp. dist. ma. potest aliquid esse physicè prius ad suam causam physicam. neg. ma. potest aliquid esse physicè prius ad suam causam intentionalem, vel esse intentionaliter prius ad suam causam intentionalem, aut etiam ad suam causam physicam. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. dist. eodem modo ant. & conseq.

893. Quod physicè prius est, influit, vel causat ut actu realiter existens: & quod physicè posterius est, dependet à causa actu realiter existente; unde ista duo non possunt in eodem instanti verificari de eodem ente respectu ejusdem, ut probatum est & n. 836. At vero, quod tantum est intentionaliter prius, non debet actu à parte rei existere, sed tantum debet actu existere in cognitione, seu influere, aut moveare ut cognitum: & quod intensionaliter est posterius, tantum dependet à causa morali intentionaliter existente, seu à causa cognita, & moveente, quia est, vel erit; unde, cum causa possit ita cognosci, & moveare, antequam realiter existat, non repugnat, quod etiam ita moveat ad aliquid ponendum, à quo

dein ipsa physicè producatur, vel quod vicissim in eam intentionaliter influat, ut patet ex casibus blasphemie, & incarcerationis, victoriae, & gladii, supra adductis.

894. Dices 1. Juxta hanc secentiam idem esset prius seipso: hoc est impossibile: ergo. Resp. dist. ma. idem, ut existens tantum intentionaliter, esset prius seipso ut existente realiter. conc. ma. idem ut existens realiter esset prius seipso ut existente realiter. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Certum est, rem posse existere intentionaliter, hoc est, cognosci, antequam existat actu realiter; unde in hac prioritate nihil est absurdum: aliter autem loquendum de prioritate mutua in genere physico, ad quam requireretur, ut eadem res existentes realiter pro priori ad suam existentiam realem: quod utique implicat.

895. Dices 2. Non potest aliquid acquirere suam existentiam per suam operationem: atqui juxta nos hoc fieret: ergo. Resp. dist. ma. non potest aliquid acquirere suam existentiam per aliquam operationem suam physicam. conc. ma. per operationem tantum intentionalem. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Res quidem non potest physicè operari, antequam realiter sit: potest tamen operari intentionaliter, antequam realiter sit, ut patet in causa finali, quæ juxta omnes habet suam causalitatem, & sèpe pro effectu seipsum.

896. Di-

896. Dices 3. Nihil potest esse medium ad ponendum id, quod jam est positum: sed juxta nos, causa physica, prior natura ad suam causam moralem, esset tale medium: ergo, prob. mi. quidquid est prius natura ad alterum, est jam positum ante hoc alterum: ergo etiam talis causa moralis est jam posita ante causam physicam: ergo, si etiam causa physica esset prior ad talem causam moralem, esset medium ad ponendum id, quod jam est positum. Resp. dist. ma. nihil potest esse medium ad ponendum physicè id, quod jam est positum physicè. om. ma. nihil potest esse medium ad ponendum physicè id, quod tantum est positum intentionaliter. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. dist. ant. quod est prius natura, est jam positum, vel physicè, vel intentionaliter. conc. ant. determinate physicè. neg. ant. & sic etiam dist. utrumque conseq. Utique victoria, tantum intentionaliter existens ante gladium, potest ab hoc adhuc physicè ponи.

Dixi om. ma. ut nihil præjudicem illi sententiaz, quæ docet, supernaturaliter posse aliquam rem per actionem secundam totalem, alteri actioni totali priori essentialiter subordinatam, secundò producere scipiam. Sic etiam omitto, quod duo non possint esse utile medium in genere physico, ad existentiam fibi mutuò physicè dandam (nempe per actionem secundam totalem

primæ subordinatam). at nego, quod non possint esse utile medium in genere, causa moralis, ad dandam fibi mutuò existentiam, etiam per primam actionem, seu causalitatem.

897. Dices 4. Juxta nos aliquid esset in signo priori ad alterum, & simul non esset in signo priori ad idem: hæc sunt contradicторia: ergo. Resp. neg. ma. blasphemia enim, vel victoria, non habent cum sua prioritate conjunctam negationem ejusdem prioritatis; nam prioritatem, quam habent in intentione judicis, vel regis, retinent. Aliud est, quod illi prioritati addatur aliqua posterioritas, vel in genere morali, ut blasphemæ respectu incarcerationis, vel in genere physico, ut victoriae respectu gladii: quæ tamen posterioritas non est contradictriorē opposita dictæ prioritati; quia non est hujus negatio: imo neque est contrariè opposita, ut sumitur ex probationibus, n. 888. ad ductis.

898. Ob. 3. Si potest dari mutua natura prioritas inter causam physicam, & moralem, poterit etiam dari inter formam, & dispositiones; sed hoc negavimus n. 845. ergo. prob. ma. forma esset causa physica, & dispositiones essent cause morales, moventes Deum ad producendam formam: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. 2. p. ant. dispositiones essent cause morales, quomodo cunque moventes Deum. neg. ant. moventes Deum ut actu

physicè existentes, & cognitæ ut tales. conc. sat. & neg. conseq. Cùm dispositiones Deum non moveant, nisi ut jam actu existentes, & cognitæ ut tales, etiam non movent, nisi ut jam physicè productæ, à causa pro priori ad ipsas physicè existente, quæ consequenter etiam à Deo cognoscitur existens,

899. Unde dispositiones non movent Deum ad primum producendam earum causam; alias moverent Deum, ut faceret, quod jam est factum, & ad habendum simile decretum: *Volo producere formam; quia existunt ejus proprietates physicè productæ, vel conservatae, à forma physicè jam existente:* quod esset Deo indignum: nil simile contingit in nostris casibus. Si dicas, Deum posse sic decernere: *Volo conservare formam pro hoc instanti; quia volo, ab ipsa pro hoc instanti conservari proprietates.* Resp. Hac ratione dispositiones, vel proprietates, non movent; quia sunt, seu tanquam causæ morales, & ut actu pro priori existentes: sed movent, ut sint, seu tanquam causæ finales; quia hoc decretum Dei habet hunc sensum: *Volo conservare formam, ut conserventur proprietates.*

900. Dices. Si est possibilis mutua prioritas inter duas causas morales, etiam erit possibilis inter duas causas morales actu realiter pro eodem instanti existentes: sed sic etiam erit possibilis inter formam,

& dispositiones: ergo. prob. ma. non potest ostendi implicantia in hoc, quod blasphemia in eodem instanti, quo fit à Cajo, sive ex revelatione, sive alia ratione innotescat judici, & hic adhuc eodem instanti decernat incarcerationem Caji, adeoque blasphemia, & decretum incarcerationis, in eodem instanti realiter actu existant, & mutuò sint ad invicem natura priora: ergo.

Resp. 1. om. ma. (nam hæc existentia actualis ad prioritatem naturæ in causis moralibus saltem non requiritur ex n. 890.) neg. mi. Disparitas est, quod in casu blasphemiz, & illius decreti, utrumque moveat ut aliunde existens; quia nescitur mutua dependentia, vel saltem ab ea praescinditur: at vero dispositiones, aut proprietates, non possunt Deum mouere ut aliunde existentes, si producantur ab ipsa forma; nam hoc ipsum debet Deus clarissime scire.

901. Resp. 2. & melius iterum neg. mi. Disparitas inter casum durarum causarum moralium, & casum formæ, ac dispositionum, est hæc. Quando sunt duæ causæ morales, ad se invicem natura priores, neutra supponit id, quod ad ipsam est vicissim prius natura, jam existere physicè, sed tantum existere intentionaliter, adeoque potest adhuc utraque tendere, seu mouere ad physicam ejus-productionem.

At vero in casu mutuæ prioritatis

tis inter formam, ac dispositiones, supponerentur pro priori ad formam, tanquam causam physicam, i.e. dispositiones jam physicè existentes, adeoque forma non posset amplius tendere ad earum physicam productionem; nam actum ageret, ut in simili dictum n. 599. Hinc etiam in casu mutuae prioritatis inter unam causam moralem, & alteram physicam, non admittitur, quod causa physica jam presupponat causam moralem actu realiter existentem; neque enim gladius potest victoriam physicè jam existentem supponere, ut consideranti facile patet.

902. Ob. 4. Sola blasphemia est prior natura, in casu n. 583. adducto: ergo non datur mutua prioritas. prob. ant. sola blasphemia ordinatur à Deo ut medium ad incarcerationem: ergo sola est natura prior. Confirm. In eo casu sola blasphemia existit in aliquo effectu, dum decernitur incarceration: ergo sola est prior. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Ad prioritatem non requiritur, ut aliquid tanquam medium ordinetur à Deo ad alterum: sive, ut etiam Deus unum intendat propter alterum, id quod clarius explicabitur *ans. seq.* Ad confirm. neg. conseq. Ad hoc, ut aliquid sit prius natura, non requiritur, ut aliquid existat, vel in se ipso, vel in suo effectu, ut probatum p. 366. nisi per effectum forte intelligatur cognitio, in quam cau-

sa objectivè influit: sed cognitio etiam est eodem modo effectus incarcerationis futuræ; nam & ista objectivè, mediantibus speciebus alienis, in sui cognitionem influit: adeoque etiam incarceratione tali modo existit in aliquo suo effectu.

903. Dices. Est ridiculum, quod Deus decernat blasphemiam propter incarcerationem, & incarcerationem propter blasphemiam: sed, si inter istas duas daretur mutua natura prioritas, deberet hoc fieri: ergo, prob. mi. causalitas causæ moralis saltem partialiter consistit in decreto Dei: ergo Deus deberet decernere blasphemiam propter incarcerationem, & vicissim. Resp. om. ma. neg. mi. ad prob. om. ant. neg. conseq.

An causalitas causæ moralis stet in decreto Dei, examinabimus infra n. 1259. interim transmissio, quod constituatur ex aliquo decreto Dei, tamen negatur, quod constituatur ex decreto, decernente unam rem propter alteram, quam illa causat: sed ad summum stat in decreto, decernente, vel permittente concursum omnipotentiae ad aliquem effectum, propter intentionem, vel propter servandam integrum libertatem alterius, ab ea causaliter permotu.

904. Hinc causalitas incarcerationis in blasphemiam ad summum constituitur ex decreto Dei, permittentis suum concursum ad blasphemiam, propter intentionem Caji,

qua scilicet intendit blasphemare, vel propter conservandam ejus libertatem ad blasphemandum: vicissim causalitas blasphemiae in incarcerationem ad summum constituitur ex decreto Dei, offerentis suum concursum, propter intentionem, vel libertatem judicis, voluntatis ponere incarcerationem: in his autem decretis nihil est ridiculum, aut Deo indignum.

Sic etiam, si causalitas cause fina-

lis in actiones hominis constituta ex decreto Dei, non constituitur ex decreto, decernente concursum propter tunc finem, quod habet homo (neque enim Deus vult cum fure concutere, ut furum detur) sed tantum ex decreto, permittente furo concursum; quia homo habet intentionem furandi, quam Deus non vult impedire a suo effectu; ut salvetur libertas humana.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *De Causa Efficiente in Genere.*

#### ARTICULUS I.

##### *Quid sit Causa Efficientis.*

905. **A** Ristoteles 2. Phys. text.  
29. causam efficientem  
ait esse, unde principium  
mutationis primum, aut quietis:  
ex quibus verbis orta est dein defini-  
tio communiter recepta: *Causa efficiens est principium, unde primus  
motus, aut quietis.* Evidem hæc  
definitio, ut ferè alia ex Aristotele  
adduci solita, non est exacta: at-  
tamen, quia addita explicatione ali-  
qua potest ostendi, quod conveni-  
at omni, & soli, retinetur propter  
antiquissimam auctoritatem, ob  
quam retinentur etiam alia similes.

Dicitur ergo *principium*, quod  
semper est genus ad omnes causas.

Dicitur *unde*: hoc est, à quo pro-  
cedit motus, & quidem executivè,  
determinativè, & activè. Dicitur  
*primo*: id est, causa efficiens debet  
esse primum in ordine executionis,  
& physice determinationis, sive i-  
pso ut physicè existens debet prius  
executivè determinare effectum ad  
existendum, ita, ut nihil in eo or-  
dine prius ad eam actionem deter-  
minet, quamvis simul possint plura  
(id est, plures cause) determinare:  
vel, si possibilis fit actio totalis,  
essentialiter subordinata alteri actio-  
ni totali, respectu ejusdem effectus,  
tunc debet causa efficiens, à qua ea  
actio subordinata proficit, sicutem  
esse

esse prima in eo genere causæ subordinatae, ut in ordine ad ponendam illam actionem nulla alia sit prior. Sic etiam sufficeret ad causam instrumentalem, si in suo genere esset prima; quæcumque ista, cum induat per eandem actionem cum causa principali, sequitur primò executive determinet effectum ad existendum, ac ipsa causa principalis.

906. Dicitur motus, & quiescens: quæ verba jam explicata sunt supra n. 661. Addendum tantum est, Aristotelem per motum intelligere mutationem, seu actionem generativam; nam ipse adhibuit terminum mutationis, ut patet ex n. 905, quin immo motum in genere 3. Phys. text. 6. describit, quod sit ejus, quod potentia existit, actus, quatenus hujusmodi; quod communiter alias verbis exprimitur dicendo: Motus est actus entis in potentia, prout in potentia: hoc est: Motus est actus, seu forma aliqua, actuans subjectum, in quo fuit pro priori privatio: quæ descriptio non convenit actioni creativæ.

Unde multi auctores docent, Aristotelem non agnoscisse ullam creationem, seu productionem rei ex nihilo, non tantum sui, sed etiam subjecti: de quo videri potest Suarez Disp. 20. Metaph. sec. 1. n. 24. & seq. quidquid autem de hoc sit, definitio motus Aristotelica non convenit actioni creativæ; unde, cum Philosophus in ordine ad hunc motum definiverit eam sam efficientem,

etiam hujus definitio strictè sumpta non videtur convenire causæ creanti, seu Deo: potest tamen etiam huic accommodari, si motus non sumatur strictè, sed latius, intelligendo tantum aliquam effectiōem, sive ex subjecto, sive sine subjecto.

907. Qb. 1. Hæc definitio convenit etiam cause materiali, finali, & morali: ergo non convenit solidi. Ref. neg. ant. In primis causa materialis non est principium unde; hoc enim significat a quo executive, seu actiū, ut dictum n. 905, sed causa materialis potius est principium ex quo: id est, ex quo tanquam principio passivo motus educitur. Causa finalis est tantum prima in ordine intentionis, non in ordine executionis; quia executive nil ponit; quare heque ista est principium unde. vide Suarez disp. 17. Metaph. sec. 1.

Causa moralis reductivè pertinet ad efficientem: & hinc Aristoteles citatus n. 905. in exemplum causæ efficientis adducit consultorem, non minùs, quam patrem. Scilicet, si in sensu paulò latiore sumatur particula unde pro executive, vel effectiū in morali estimatione, tunc convenit definitio Aristotelica etiam cause morali: sed in tali sensu latiore causa moralis est etiam causa efficiens: si verb particula unde strictè sumatur pro effectiū in genere physico, tunc definitio non convenit causæ moralis; ista enim non physicè efficiendo;

sed tantum moraliter, suadendo, jubendo &c. causat.

908. Ob. 2. Causa efficientia creata non est, unde primus motus; nam motus prius est a Deo: ergo definitio non convenit omni. Confirm. Hec definitio explicat causam efficientem per motum, seu actionem: sed quae obscurum est, quid sit motus, vel actio, quam, quid sit causa: ergo explicat obscurum per obscurum. Resp. neg. ant. nam, licet creatura non sit simpliciter primum movens, tamen est primum movens in genere cause secundae, respectu hujus actionis, quam executivè ponit. Huc spectant dicta

initio Physicæ supra n. 6, de principiis in genere.

Ad confirm. dist. ma. explicat causam per motum, vel actionem clarè cognitam. neg. ma. obscurè tantum cognitam. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Rudis cognitio actionis est cuique obvia, & in ordine ad hanc tantum explicatur causa: quod autem possit aliquid clarè cognosci in ordine ad alterum, quin istud alterum clarè cognoscatur, patet in Angelo, qui naturaliter clarè comprehendit, & cognoscit plures creaturas, dependentes a Deo, quin naturaliter clarè cognoscat Deum, aut comprehendat.

## ARTICULUS II.

### *Quid sit, & in quo consistat Actio Physica.*

909. Causalitas cause physice efficientis in actu primo juxta communem stat in potentia, seu virtute producendi effectum: sicut causalitas cause materialis in actu primo, stat in potentia sustentandi effectum: & de hac re non controvertitur inter auctores: at acrior controversia est, in quo stet causalitas cause efficientis, vel etiam materialis, in actu secundo: seu in quo stet actio, quæ, ut dicemus n. 939, est identificata cum passione.

Aristoteles 3. *Phys. text. 19.* ait, actionem esse actum activi: & *text. 22.* addit, esse hujus ab hoc actum: id est, esse motum, vel mu-

tationem subjecti ab hoc agente: de passione vero ait, eam esse actionem *aetum hujus in hoc*: id est, esse motum, seu mutationem cause aliquid producentis, in hoc subjecto receptam. Quidam cum Oviedo *Constr. phys. 12. p. 1. n. 1.* invertunt has definitiones, & ajunt, actionem ab Aristotele dici *aetum hujus in hoc*: id est, actuale exercitium cause in hoc subjecto: passionem vero a Philosopho dici *actum hujus ab hoc*, seu mutationem subjecti ab hac causa. Lis hæc ex Aristotele, obscurius loquente, decidi non potest, & utraque explicatio bona est. Juxta utramque autem explicatio-

tionem actio physica aliud non est, quam actuale exercitum, physicus influxus, & quasi via, seu tendentia, per quam effectui, tanquam termino, sive realiter, sive formaliter distincto, communicatur existentia: & communiter describitur *Formalis physica determinatio effectus ad existendum dependenter ab hac causa*: vel juxta quosdam ultimam actualitas, & ratio formatis, per quam effectus indispensabiliter physicè pender ab hac causa: & hinc actio hæc etiam solet vocari *Causatias causa efficientis in actu secundo*; quia scilicet est forma, per quam causa denominatur agens.

910. Dantur autem duplicitis generis effectus. Aliqui ita affixi sunt cause in individuo, ut nec supernaturaliter possint ab alia, vel ab ista alio modo procedere: & tales satis communiter censemur esse actus vitales, intellectiones, voluntiones &c. quæ, ut plures censem, nec supernaturaliter ab alia potentia intellectuali, aut volitiva, quam ab illa, à qua defacto procedunt, possunt oriri: & neque etiam à Deo possunt aliter, quam inadæquate produci. Tales etiam juxta quosdam censemur esse effectus ingenerabiles; nam juxta aliquos creatura nec supernaturaliter potest elevari ad creandum: ex quo sequitur, effectus tantum creabiles indispensabiliter esse affixos soli Deo, tanquam cause sive adæquatae.

911. Alii autem effectus non sunt

ita affixi suis causis, sed possunt; vel naturaliter, vel saltē supernaturaliter, ab aliis, vel alio modo produci: sic Petrus, qui modo est filius Pauli, potuisset esse filius Andreæ: quin imò potuisset esse pater Paulis & ignis A, qui modò producitur ab igne B, potuisset produci ab igne C, imò potuisset in aliis circumstantiis producere ipsum ignem B. sic, licet creaturæ non sint indiferentes, ut procedant à Deo, tamen plurimæ earum sunt indiferentes, ut procedant à Deo, vel adæquate, vel inadæquate. Et de his effectibus ita indifferentibus procedie questio, in quo scilicet sicut actio productiva eorum; de prioribus enim, cause determinatae essentia-liter affixis, satis communiter docetur, actionem esse cum ipsis realiter identificatam; cum nulla sit necessitas distinctionis realis.

912. Dico 1. Actio physica, productiva effectus indifferentis ad eam, non identificatur cum effectu, aut cum actu primo proximo, ad agendum prærequisito. ita orates, qui admittunt modos etiam alios, qui modernis temporibus sunt quamplurimi. vide supra n 599. Nec oppositus est Aristoteles, dum 3. *Phys. text. 4.* ait: *Non est autem motus preser res*; nam non vult dicere, quod motus, seu actio nihil sit distinctum à rebus, seu effectibus; alias neque consisteret partia-liter in actu primo proximo, aut decreto Dei, contra quam adversarii

rii docent: sed Philosopho particula *prater* eo loco idem significat, ac *extra*, ut patebit legenti; vult enim ibi docere, quod nullus detur motus, nisi in aliquo ente, quod spectet ad aliquid prædicamentum, vel substantiam, vel quantitatis &c. & rationem addit: *Cum nihil sit prater ea, que dicta sunt: hoc est, cum nullum aliud ens sit.*

913. Prob. conclusio iisdem ferme argumentis, quibus supra à n. 575. probavimus, unionem inter materiam, & formam, non esse identificaram cum extremis, aut eum actu primo proximo, quæ potissima ex parte huc applicari possunt: eaque hinc quasi supponendo sic argumentor. Complexum ex causa, & effectu, est separabile ab actione: ergo est distinctum. conseq. non negatur. prob. ant. si effectus est indifferens ad causam, ut ponitur, tunc potest existere e. g. causa A specificativè talis, atque etiam existere effectus, non ab ipsa, sed à causa B productus: sed sic non dabitur actio, vi cuius effectus dependeat à causa A, ut patet: ergo istud complexum est separabile ab actione.

914. Dicunt adversarii 1. requiri insuper dispositiones. Sed contra est. In primis statim reddit questio de ipsis dispositionibus, & merito queritur, in quonam sit dependentia earum ab hac potius, quam ab alia causa; cum etiam ipse sint indifferentes ad causam, neque pos-

sint ad eas requiri alia dispositiones; quia iterum rediret questio, & sic in infinitum: erga debet deveniri ad aliquem effectum, cuius actione non potest acc inadeguate identificari dispositionibus, ad ipsum præviis. Dein etiam datis omnibus dispositionibus, & conditionibus, ad actum primum requisitis, potest, vel non dari effectus, vel produci ab alia causa; si enim Deus potuisse facere, ut ignis Babylonicus, in tribus pueris proximè applicatis, & optimè dispositis, non produxerit ignem, certè potuisse etiam facere, ut ignis in ipsis produceretur ab alia causa, non attentis dispositionibus: quo casu actio non constituta fuisset per dispositiones; cum mutuò separabiles fuissent, immo separatae.

915. Dicunt 2. requiri etiam negationem impedimenti, ac miraculi. Sed contra est. In primis, licet possit facile percipi, quod causa habens vires, sed impeditas, possit per negationem impedimenti constitui expedita, vel proximè potens agere: attamen videtur difficulter perceptibile, quod causa ultimè formaliter fiat agens per id, quod non agit, & quod est nihil: quodque influxus physicus, actuale exercitium causæ, & communicatio existentiaz facta effectui, constituantur ultimè per nihil; est enim magnum discrimen inter constitutionem causæ expeditæ ad agendum, & constitutionem exercitii,

vel

vel influxus physici, ut cuique facilè patet. Dein nequirit etiam explicari, quale sit impedimentum, vel miraculum, cuius negatio requiratur; nam nihil debet negari ex actu primo proximo: neque debet negari causa, aut effectus: ergo tandem debebit negari miraculum decretum Dei.

916. Respondeat quidem aliqui, negari aliquid aliud: ut autem hoc explicent, supponunt, Deum, si causam aliquam, naturaliter expeditam ad agendum, impedit ab actione, debere, vel illi cause, vel saltem toti universo, facere aliquam compensationem pro actione impedita; alias (ajunt) faceret Deus miraculum deturpativum naturæ, quod non potest: hoc supposito dicunt, illud ens compensativum actionis esse impedimentum actionis, & hujus debere dari negationem. Sed contra est. Hoc suppositum jam est refutatum supra n. 391. Dein utique universo sufficiens compensatio fieret, si Deus se solo actionem, & effectum produceret. Rursus, si compensatio fieret per ens absolutum, hoc non esset essentialie impedimentum actionis, ut patet consideranti: si autem per modale, non admitteretur entitas modalis, & melius admitteretur actio modalis; unde negatio impedimenti non potest, saltem s̄epe, negare aliud, quam miraculosum decretum Dei: id quod non negant plures ex adversariis, saltem modernis.

917. Respondent itaque alii, impedimentum, eujus negatio requiritur, esse decretum miraculosum. Sed contra est. Non potest ab adversariis explicari, quid tale decretum impedit; non enim impedit causam, aut effectum, vel dispositiones, aut aliud quid. Si forte dicant, quod hoc decretum impedit aliud decretum, quod certo modo tenderet in causam, à quo modo tendendi causa haberet, quod Deus cum ipsa concurreret, ejusque exigentiam secundaret, adeoque ab ipsa effectus proflueret: contra est. Per hæc omnia ab adversariis plus non dicitur, quam, quod ad hoc, ut causa agat, requiratur negatio alterius decreti, impedientis decretum requisitum ad constituendum actum primum proximum, quo aempe Deus decernat concurrere &c. quod re ipsa tandem idem est, ac dicere, requiri decretum hoc secundum, decernens concurrere &c. Atqui ad hoc, ut causa physicè actu agat, non sufficit, dari tantum decretum, se tenens ex parte actus primi proximi, vel remoti, quo Deus decernat concurrere &c. quod ulterius sic probatur.

918. Quidquid sit de eo, an decretum tale constituat actum primum proximum, an non, hoc non sufficit adversariis: sed juxta ipsos debet decretum Dei constituere, vel ultimò completere, ipsum actum secundum, seu ipsam actionem physicam adæquat̄ sumptam, ut facili-

Aaaa

le

lè probari potest ex regula partis, tradita in Logica à n. 681. atqui decretum Dei non potest constitueret, seu completere actionem physicam: ergo.

Prob. mi. primò. Est captu difficultum, quod forma, vel ultimum complementum formæ, denominantis aliquam causam physicæ se exercentem, & physicæ agentem, sit aliquid, per quod ipsa se physicè non exercet, quodque physicè non agit, sed ipsi prorsus ab extrinseco advenit, tanquam forma aliqua logica: atqui ita se habet decretum Dei: ergo.

Secundò. Est imperceptibile, quod ex duabus causis, quoad alia omnia æqualibus, una physicè agat, altera physicè non agat, præcisè idè; quia una respicitur certo modo à decreto Dei, quo modo non respicitur altera: atqui hoc juxta adversarios contingere, casu quo Deus cum uno ex duobus, e.g. ignibus, æqualiter ligno applicatis, & æqualiter etiam pro priori lignum disponentibus, decerneret concurrere, & non cum altero: ergo.

919. Nec dicant, Deum in eo casu præstare suum concursum uni igni, & non alteri, ab uno profluere effectum, & non ab altero, unius secundari exigentiam, & non alterius; nam hæc omnia, & quæcunque similia addi possunt, dicuntur de uno igne præ altero, propter certum respectum decreti divini, quo respicitur unus, & non alter.

ignis, quiq[ue] respectus igni (vel cuicunque alteri cause agenti) ab extrinseco advenit: nec potest explicari, quomodo unus ignis physicè plus præstet, quam alter. Potest quidem tale decretum formaliter per se facere, ut effectus aliquo modo moraliter attribuatur certæ cause: at non potest per se formaliter facere, ut effectus ab ea causa physicè producatur: sicut non potest per se formaliter facere, ut murus dealbetur.

Longè aliud est in sententia adstruente actionem modalem; hæc enim actio est actuale physicum exercitium, non ab extrinseco causa adveniens: insuper est essentia litere cause affixa: facile autem capit, causam aliquam per altera physicè agere, si ponat exercitium physicum, essentia litere ipsi affixum, & appropriatum: & idem est (ut patebit consideranti) si producat causa actionem vitalem, seu aliam essentia liter immamentem.

920. Tertiò. In sententia opposita non potest ostendi discrimen, inter causas physicæ, & morales: hoc autem est absurdum: ergo. prob. ma. etiam causæ morales respi ciuntur certo modo tendendi à decreto Dei; quia Deus ab iis suo modo movetur, aut determinatur, ut decernat propter ipsas concurrere, & eodem modo cum ipsis, quo in sententia opposita cum causis physicis: & quia sunt diversi modi Deum movendi, vel determinandi, seu

seu moraliter causandi, hinc etiam dantur diversi modi tendendi decretorum, variae causas morales diversimodè respicientium, quia tamen propterea, quod una respicitur alio modo tendendi, quam altera, extrahatur una præ altera ex numero causarum moralium: ergo, si etiam causa physica est illa, quæ influit propterea; quia respicitur à certo modo tendendi decreti, omnis causa physica erit causa moralis, & omnis causa moralis erit causa physica.

Explicatur res hæc in aliquo exemplo. Sint duo Sancti, eidem ægrōto imponentes manum, quorum unum Deus elevet supernaturaliter ad producendam physicæ fænaciam, alterum non ita elevet: sed tamen intuitu ipsius, tanquam causa meritoriae, seu moralis, Deus ipsemet sanitatem producat: in hoc casu juxta adversaries causalitas unius non differet à causalitate alterius, nisi ratione diversi respectus in decreto; nam, nec in effectu, nec in toto actu primo proximo, datur quidquam aliud, quod magis respiceret unum, quam alterum. Sanctum.

¶ 921. Dicent, ad hoc, ut aliquid sit causa physica, requiri alium specialem modum tendendi, qui non requiratur ad hoc, ut aliquid sit causa moralis. Sed contra est. 1. Videtur planè communissimus omnium sensus, quod causa physicæ agens, & causa moraliter agens,

non tantum differant ob diversum respectum decreti divini; alias Atomistæ prorsus insipienter sibi contradicerent, dum negant, causas creatas physicè agere, & simul utique admittunt, decretum Dei eas causas respicere: & quidem diversimodè, ac aliter arborem, quando ex ea producitur fructus, & aliter hominem orantem, quando ob ejus orationem idem fructus in arbore producitur. Sanè, si Atomistæ etiam expressè assenserent, se quidem talem respectum diversum decreti divini respectu causarum secundarum non negare, non autem aliam causalitatem physicam earum adstruere, non ideo crederetur, eos veram causalitatem physicam in causis creatis admittere: certè, qui eos impugnant in hac materia, non tantum ab ipsis conantur evincere, ut certum respectum decreti divini ad causam creatam, vel certam aptitudinem in causa creata, ad terminandum certum respectum decretri divini, admittant: sed aliquid amplius.

Contra est 2. Quiscunque fingatur modus tendendi, tantum fingitur alius, & alius modus volendi, respiciens alium, & alium modum movendi: sed quisquis est talis, pertinet ad causas morales: ergo. Fortè dicent, requiri ad causam physicam, ut respiciatur à decreto Dei, tanquam physicè existens. Contra est. Sæpe causæ morales respiciuntur ut physicè existentes, id quod patet

patet in conditionibus physicis, vel etiam puris dispositionibus, quæ non sunt causæ physicæ, sed ad summum morales.

922. Si dicere velint, requiri, ut causa physica respiciatur, tanquam præcontinens effectum: contra est. Hoc non requiritur ad causam physicam inadæquatam, ut patet in pluribus, e. g. in specie intentionalis, influente physicè in visionem vitalem. Insuper potest Deus supernaturaliter elevare causam aliquam creatam, ut physicè producat effectum se perfectiorem; ut videtur innegabile. Ulterius potest causa physicè præcontinens effectum tamen influere tantum modaliter, ut, si Deus propter hominem attolleret à terra lapidem quem tamen homo ipse in iis circumstantiis elevare posset. Huc spectat etiam argumentum, n. 555: adductum, pro adstruenda unione modalis, quod non minus hanc, quam illam conclusionem probat. Ex hucusque autem disputatis infertur, actionem physicam à causa, & effectu, itemque ab actu primo proximo, etiam ut involvente decretum Dei, distingui, & esse aliquid eis superadditum; unde ultrius.

923. Dico 2. Actio physica, seu causalitas causæ physicæ in actu secundo, est entitas modalis. ita ii,

qui primam conclusionem nobiscum defendunt, communissimè. Prob. Actio physica est entitas positiva, creata, essentialiter, & super seipsum informans, si non causam activam, saltem passivam, tanquam suum subiectum, & ex primario suo fine intenta, ut actualiter, & indispensabiliter determinet effectum, ut pendeat, ac procedat ab hac in individuo causa, itemque determinet hanc individualem causam, ut sit productiva hujus in individuo effectus: ergo est entitas modalis.

Antecedens patet; quia talem adstruimus actionem, & sine tali non potest explicari causalitas causæ physicæ; nam, si actio non esset essentialiter affixa cause, & effectui, etiam in individuo sumptis, neque ea duo ad se invicem indispensabiliter alligaret, sed esset indifferens, ad causam, vel effectum, rediret tota quæstio de ipsa actione, essetque necessaria actio ad actionem, quæ tamen à nemine ut necessaria, & à paucis ut supernaturaliter tantum possibilis admittitur; unde etiam ipsam actio est determinatio sui ipsius ad hanc causam: neque ad eam est indifferens physicè, sed tantum logicè, de quo paulò plura infrà à n. 927. conseq. probatur ex definitione entis modalis, supra n. 592. stabilita.



ARTI.

## ARTICULUS III.

### Solvuntur Objectiones.

924. **O**b i. Causa, & effectus sunt ad se invicem , tantum conditionate indifferentes : ergo, si accedat actus primus proximus, per quem purificatur conditio, tollitur indifferentia, & ad se invicem determinantur. Resp. 1. fors melius dicerentur, esse ad se invicem conditionate determinati : sed hoc omisso dico, sic nihil fore absolute indifferentis; cum quilibet indifference determinetur, posita certa aliqua condicione: qui tamen modus loquendi videtur esse contra communem.

Sed quidquid etiam de hoc sit, Resp. 2. neg. utramque conseq. In hoc casu purificatio conditionis non est actus primus proximus, sed actio modalis , ut hucusque satis probatum fuit. Verum est, quod per actum primum proximum, factum ut involventem decretum Dei, tollatur iadifferencia causaliter: at non tollitur formaliter , sicut per eundem non tollitur formaliter indifference muri ad esse album, quamvis hic posito decreto Dei, volente illum album , necessariò debet esse albus.

925. Dices 1. Si per actum primum , ut involventem decretum Dei, haberetur tantum determinatio causalitatis , & per actionem mo-

dalem determinatio formalis , tunc deberet ipsa hæc actio esse objectum decreti divini , & Deus eam per suum decretum velle: sed hœc est falsum : ergo. prob. mi. actio sepe est peccaminosa : ergo Deus eam non vult. Resp. neg. 2. p. ma. sive, quod Deus actionem debeat velle ; potest enim hæc esse objectum decreti divini , non volitum, sed permisum : id quod adversarii debent dicere de effectu, qui etiam sepe est peccatum , & tamen juxta ipsos est objectum decreti divini , utique non volitum , sed permisum : sed de hoc plura, ubi de concursu Dei ad actus peccaminosos infra n. 1347.

926. Dices 2. Si ad tollendam indifferentiam effectus opus est actione modalis , necessaria erit actio ad actionem : sed hoc admitti non potest : ergo. prob. ma. etiam actio est indifferentis , ut procedat , vel à solo Deo, vel etiam à creatura : ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg ant. Actio modalis est per seipsum essentialiter determinata ad hanc præ alia causa , & quidem ad eam ut adæquatam , vel inadæquatam, ita, ut non sit indifferentis , ut vel adæquate, vel inadæquate procedat.

Quare actio solius Dei non potest inadæquate procedere à creatura,

tura: & actio, qua Deus concurrit cum creatura, non potest à solo Deo procedere. Hinc ad omnipo-tentiam Dei tantum spectat, posse sola producere omnes effectus di-stinctos ab actionibus (est enim in ipsis terminis implicitorum, quod omnipotentia divina sola faciat id, quod est formaliter alteram causam simul operari) & de his effe-ctibus, ab actione distinctis, intelli-gendus est S. Thomas 1. p. q. 105: a. 2. in corp. ubi ait: *Errorem est dicere: Deum non posse facere per seipsum omnes determinatos effec-tus, qui fiunt per quamcunque cau-sam creatam.*

927. Dices 3. Actio modalis sal-tem est indifferens ad existendum, vel non existendum, & tamen à seipso sola determinatur formaliter ad existendum: ergo etiam effectus indifferens ad causam potest à se- ipso determinari ad eundem cau-sam. Resp. dist. ant. actio est ad ex-i-stendum, vel non existendum, in-differens logicè. conc. ant. est in-differens physicè. neg. ant. & conseq. vel potius ejus suppositum, seu, quod non aliter indifferens sit effec-tus ad causam, quam actio ad ex-i-stendum; nam effectus non logicè, sed physicè est indifferens ad cau-sam.

928. Quale autem discrimin sit, inter unam, ac alteram indifferen-tiam, dictum est supra n. 344. & 345. ubi etiam dictum, quod in-differens logica tolli possit per

ipsum rem in se indifferentem, actu positam: hinc actio, quamvis logi-cè indifferens ad existendum, po-test per seipsum actu positam tolle-re indifferentiam ad existendum, vel formaliter se determinare ad exi-stendum, sive se denominare exi-stentem; neque enim potest exi-stere actio, quin formaliter sit exi-stens. At verò effectus est physicè indifferens ad hanc, vel aliam cau-sam, & potest ipse exi-stere, quin tamen dependeat ab hac causa: adeoque non potest per seipsum tolle-re hanc indifferentiam, sed ad hoc opus est actione modali.

929. Dices 4. Saltem indifferen-tia cause determinatur per actum primum proximum, ad agendum, & producendum hunc effectum: ergo etiam determinatur effectus ad de-pendendum ab hac causa. Resp. dist. ant. indifferens cause determi-na-tur per actum primum proximum ad hoc, ut possit hunc effectum producere. om. ant. determinatur formaliter, ut actu eum producat. neg. ant. & conseq. Dixi om. ant. forte enim determinatio ad indi-viduum non stat ex parte actus pri-mi proximi.

Cæterum indifferens, ut sepe aliás, ita etiam hic, potest signifi-care insufficientiam cause, quae per actum primum proximum redditur completa, & sufficiens, ut possit agere, & producere: cùm autem causa necessaria, quandocunque po-test, etiam actu producat, hinc per actum

actum primum necessarium ad producendum: hoc est, determinatur causaliter, non autem formaliter; nec enim actus primum proximus est forma denominans causam agentem, vel produceat; alias, sicut ipse solus sine effectu necessitat, ita etiam juxta adversarios solus sine effectu causam denominaret agentem, consequenter actio nec partialiter considereret in effectu, contra quam adversarii velint.

930. Ob. 2. Causa dicitur formaliter causans, ratione, & respectu illius, quod formaliter ponit: & effectus dicitur formaliter effectus, ratione, & respectu illius, à quo formaliter ponitur: sed id, quod causa formaliter ponit, est effectus, & effectus formaliter ponitur à causa: ergo causa est actu causans, ratione, & respectu effectus: & effectus est formaliter effectus, respectu, & ratione causz: ergo non est opus actionis modali. Resp. neg. ma. quia falsa est propter particulam ratione in ea positam.

Silicet illæ voces respectu, & ratione plurimum differunt: vox respectu significat, causam esse causam effectus: & hoc verum est: vox ratione significat, quodd effectus, quamvis indifferens, sit forma denominans causam in actu secundo: & hoc falsum est; quia non effectus indifferens, sed actio modalis, huic cause essentialiter affixa, est forma denominans causam in actu secundo causantem. Eodem mo-

Tom. II.

de effectis dicitur effectus respectu cause, sed non ratione cause indifferentis; quia hæc non est forma, denominans effectum à se dependentem.

931. Dices 1. Posset dici, quod formalis determinatio ad agendum consistat, partim in effectu prodotto, partim in causa, sive necessariò a gente, sive liberè se determinante, partim etiam in actu primo proximo, involvente decretum Dei, quo Deus applicet omnipotentiam suam uni cause, & impedit alias ab actione; his enim positis impossibile est, quod causa non formaliter agat, aut non formaliter effectum producat: ergo non opus est actione modali. Resp. omisso, quod applicatio omnipotentiae divinae formaliter stet in decreto Dei, quod valde probabiliter est falsum, neg. ant. nam etiam hac ratione tandem determinatio formalis ad agendum, seu ipsa actio physica, ultimato staret in decreto Dei, adeoque staret in eo, quod causa non ageret: item causa physica non aliter ageret, quam causa moralis: & una causa ageret physicè præ altera; quia aliter respiceretur à decreto Dei: quia fusius deducta videlicet. 918. & seqq.

Dices 2. Causa non ponit formaliter effectum per positionem actionis: ergo non fit formaliter causans in actu secundo per positionem actionis. Resp. dist. ant. id est, positione actionis non est formaliter effectus,

B b b

effectus, seu non est identificata cum effectu indifferente. conc. ant. id est, effectus formaliter talis non procedit à causa per actionem. neg. ant. & consèq. Nempe causa, ex se indifferens, dicitur respectu effectus etiam indifferens, causans in actu secundo, ratione illius, seu propter illud, quod est forma denominans causam agentem, & per quod effectus procedit à causa: hoc autem est actio modalis.

Dices 3. Effectus accipit à causa etiam formalem existentiam: ergo hæc existentia est identificata cum influxu, vel exercitio cause: sed influxus, vel exercitium cause, est actio: ergo existentia effectus est actio. Resp. neg. conseq. effectus enim, si sit indifferens, ut ponitur, non est ipse influxus, aut exercitium cause, sed est terminus illius exercitii, & opus eo influxu productum.

932. Dices 4. Si actio non est formalis existentia effectus, erit ejus existentia causalis: sed hoc non potest dici: ergo. prob. mi. sic actio spectaret ad actum primum, quod nemo admittit: ergo. Resp. neg. ma. Actio quidem non est formalis existentia effectus, sed est ejus productio; nam non denominat effectum existentem, sed productum: attamen non propterea est causalis existentia effectus, saltem, si strictè loquamur; nam per hanc intelligitur aliquid prius natura, seu constitutus actum pri-

sum, quem actio non constituit; neque enim ipsa est aliquid prius natura ad effectum, sed tantum est aliquid prius origine ad effectum: quia ex n. 7. sunt inter se diversa. Quare actio spectat ad actum secundum; quia etiam ipsa est aliquid, in actu secundo productum à causa, simulque est productio effectus ex se indifferens, per quam ut quo se habentem causa communicat effectui existentiam.

933. Dices 5. Juxta nos causa non ponere effectum, saltem non immediatè: hoc est contra communem persuasionem: ergo. Resp. neg. ma. Causa ponit, & producit ipsummet effectum, sed per actionem: sicut oculus videt colorem, sed per visionem: & sicut oculus dicitur immediatè attingere colorera; quia visio tantum se habet ut quo, & tantum mediat ut quo: ita etiam causa dicenda est immediatè attingere, vel producere effectum; quia actio tantum se habet ut quo, & mediat ut quo.

Nec quis opponat, sic etiam posse dici, quodd materia, & forma, inter se immediatè uniantur; nam utique hoc potest dici, sed non in sensu amodistarum, qui volunt, nihil mediare etiam tantum ut quo; cùm tamen ita mediat unio modalis. Nec etiam quis dicat, quodd hac ratione sensus immediatè attin-gant substantiam; eoquodd tantum medient accidentia; nam accidentia non mediant tantum ut quo, sed ut

ut quod ; quia habent rationem objecti ut quod , terminantis e. g. visionem : aliud est de ipsa visione , quæ , licet etiam mediet inter oculum , & colorem , tamen , ut modò dictum , non impedit , quo minus immediate attingatur color .

934. Ob. 3. Saltem non debet effectus per actionem distinctam dependere à Deo , tanquam sua causa : ergo . prob. ant. nullus effectus est indifferens , ut procedat à Deo : ergo non debet per actionem distinctam determinari ejus indifferencia . Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. nullus effectus est indifferens , ut procedat à Deo , saltem adæquatè . conc. ant. ut procedat , vel adæquatè , vel inadæquatè . neg. ant. & conseq. Actio non tantum admittitur , ut effectus quomodo- cunque dependeat à causa , sed , ut dependeat hoc , vel illo modo , tanquam à causa partiali , vel totali &c. & pro diversitate dependentia est etiam diversa actio ; nam inter se specie differunt actio respiciens solum Deum , & alia respiciens simul creaturam .

935. Non tamen debet effectus produci per duas actiones , quarum una sit actio Dei , altera verò actio creaturæ : sed sufficit unica actio , simul Deum , & creaturam essentia- liter respiciens ; alias enim effec- tus dependeret à Deo bis , scilicet semel per illam actionem , quæ re- spiceret solum Deum , & iterum per illam , quæ respiceret creaturam ;

nam etiam hæc actio , utpote ens creatum , deberet à Deo saltem par- tialiter procedere , adeoque etiam per hanc deberet effectus partiali- ter à Deo produci ; nam illa est cau- sa , saltem partialis , effectus , quæ es- sentialiter ab actione physica respi- citur .

936. Dices 1. Actio nihil est aliud , quam dependentia effectus à causa : sed dependentia à Deo , tanquam causa , est identificata quilibet creaturæ : ergo . Resp. dist. ma. actio nihil est aliud , quam dependentia qualiscunque indeterminata à cau- sa . neg. ma. est dependentia deter- minata etiam ad hunc , vel illum modum . conc. ma. & dist. propor- tionaliter mi. neg. conseq. Crea- tura quilibet dependet quidem per seipsum à Deo aliquo modo inde- terminatè : sed non dependet de- terminatè , hoc , vel illo modo , e.g. potius tanquam à causa totali , quam partiali , aut vicissim ; unde , ut de- pendeat determinatè , debet per a- ctionem distinctam determinari : siue , lieet in communi sententia creatura quilibet dependeat inde- terminatè ab aliquo loco , quia ta- men non dependet determinatè ab hoc , vel illo , debet per ubica- tionem superaddiram determinari . vide etiam infrà n. 1351 .

937. Dices 2. Ex eo , quod unio inter materiam , & formam huma- nitatis sit indifferens , ut uniatur Verbo divino , non rectè infertur , quod non immediatè seipso uniatur

materiæ, & formæ: ergo paritor ex eo, quod creatura sit indifferens, ut dependeat etiam ab aliis creaturæ, vel non, male infertur, quod non dependeat per seipsum à Deo. Resp. conc. ant. neg. conseq. vel ejus suppositum, quod creatura non sit etiam indifferens, ut dependeat à Deo, hoc, vel illo modo, ratione ejus indifferenziæ necessaria est actio ex dictis n. 934. Aliud est de unione, quæ nullo modo est indifferens ad materiam, & formam.

Nee dicas, unionem esse saltem indifferenter etenim ad materiam, & formam, quatenus istis potest per novam unionem uniri; nam hoc juxta multos est falsum, & implicitorum: juxta omnes saltem non est necessarium ad hoc, ut unio dicatur unita: nos autem huc tantum loquimur de iis, quæ indispesabiliter necessaria sunt, ad denominationem producti, vel dependentis à causa determinata.

## ARTICULUS IV.

*An Actio, & Passio sint realiter identificatae.*

938. Ex doctrina Philosophi, diximus n. 909, quod Passio sit motus, vel mutatione aliqua in subjecto recepta: potest autem vel strictè sumi, quo in sensu ejus nomine venit sola generatio, seu determinatio subjecti ad sustentandum effectum: vel potest latius sumi, ita, ut ejus nomine veniat quælibet forma denominans rem passivè productam. In priore sensu accepta passio aperte distinguitur ab actione creativa; ad hanc enim non requiritur subjectum sustentativum: in altero vero sensu (in quo quæstio modò agitur) potest controverti quæ de actione creativa, ac generativa, an iis passio identificetur. Agimus autem hic ex professo tantum de actione generativa; quia etiam Aristoteles tantum

de ea agit, & fortè creativam non agnovit, de quo vide n. 906. poterunt tamen hic dicta facilè cum proportione applicari actioni creativæ.

939. Dico. Actio, & passio suac realiter identificatae, ac distinguuntur tantum formaliter. ita Suarez disp. 49. Metaph. sec. 1. n. 3. diciens, hanc esse veram, & communem sententiam: & certè nostri longè communius, ita sentiunt. Prob. conclusio 1. auctoritate Aristotelis, atque Angelici; nam Philosophus 3. Phys. 4. text. 18. ad 23. inclusivè, non tantum asserit, sed etiam probat, actionem, & passionem esse realiter idem, aitque text. 21. eas differre, sicut differunt via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas: objectiones etiam con-

contra hanc sententiam solvit (quas  
& nos cum ipso infra solvemus) tandemque docet, inter eas tantum  
dari distinctionem formalem; nam  
mit text. 22. *Hujus in hoc, & hujus  
ab hoc, alius esse, ratione diversum  
est.* Idem docet 21. *Metaph. sum.*  
4. c. 1. de motu in fine, ubi ait, quod  
actio, & passio sint idem, quemad-  
modum eadem distantia ad duo u-  
niuersitatem, & ad unum duorum, ascensus  
quoque, ac descensus: hoc est, via  
in altum, & ex alto: quae tantum  
differunt ratione.

940. Accedit S. Thomas, qui i-  
dem docet in hunc locum l. 11. *Me-  
taph. lect. 9.* ubi sub finem adjun-  
git, quod, licet actio, & passio, con-  
stituant diversa praedicamenta, ta-  
men ex hoc non inferatur realis  
earum distinctio; cum ad hoc suf-  
ficiat diversus modus, quo de di-  
versis praedicantur, & addit: *Mo-  
tus, secundum quod predicitur de  
subjecto, in quo est, constituit praedi-  
camentum passionis: secundum au-  
tem quod predicitur de eo, à quo  
est, constituit praedicamentum a-  
ctionis:* quæ S. Doctor adhuc fulsi-  
us tractat in 3. *Phys. lect. 4.* & 5.

941. Prob. concl. 2. Eadem for-  
ma potest tribuere denominatio-  
nem agentis, & passi, nec habetur  
aliud signum distinctionis realis in-  
ter actionem, & passionem: ergo  
gratis dicitur, eas esse realiter di-  
stinctas. prob. 1. p. ant. potest e.  
g. eadem visio denominare Petrum  
videntem, id est, agentem, & Pau-

lum visum, seu passum: immo, si Pe-  
trus aspiciat seipsum, potest eadem  
visio ipsum deaominare videntem,  
& visum: quod idem posset ostend-  
i in plurimis aliis exemplis: quia  
etiam vel apud Grammaticos po-  
tent idem significari activè, & passi-  
vè: ergo eadem forma potest tri-  
buere denominationem agentis, &  
passi. Altera pars ant. probatur so-  
lutione objectionum. conseq. verò  
videtur ex se clara.

942. Ob. 1. Si actio, & passio,  
sunt realiter idem, etiam idem e-  
runt agere, & pati, docere, & di-  
scere &c. hoc est absurdum: ergo,  
Resp. neg. ma. cum Aristotele 3a  
*Phys. text. 21.* et si enim in his con-  
cretis sit eadem forma, tamen non  
est idem subjectum, nec eodem  
modo respectum; nam, sicut aliud  
est Petrus videns, & aliud Paulus  
visus: & aliter à visione respicitur  
videns, quam visus: item aliter de-  
pendet visio, vel actio, à Petro a-  
gente, & vidente, quam à Paulo  
passo, & viso: ita etiam aliud est  
ignis calefaciens, & aqua calefacta;  
& aliter ab actione calefactiva re-  
spicitur ignis, quam aqua: aliter  
etiam dependet ea actio ab igne,  
quam ab aqua; ab igne enim de-  
pendet, tanquam à causa efficiente,  
& determinante: ab aqua verò tan-  
tum ut à causa materiali, & deter-  
minata. Quodsi agens, & patiens  
etiam sint realiter idem, e. g. si Pe-  
trus videat seipsum, vel intellectus  
producat in seipso cognitionem,

tunc ab eadem actione respicitur modo formaliter dupli, & accipit ab ea duplēm denominationem, e. g. videntis, & visi.

943. Dices 1. Actio pendet ab agente, seu causa efficiente, & non à ſubiecto, seu cauſa materiali: e- contra paſſio dependet à ſubiecto, ſeu cauſa materiali, & non ab effi- ciente: ergo non ſunt idem. Resp. neg. ant. nam in ſenſu reali, tam a- ctio, quam paſſio, dependet ab utraque cauſa, efficiente, & materiali, quamvis diuerſimodè, ut modò dictum. Si autem tantum velis, quodd actio formaliter ſumpta non dependeat à cauſa materiali, & paſſio formaliter ſumpta non depen- deat à cauſa efficiente, verum qui- dem dicis, at non probas diuerſionem realem, ſed tantum formalem; quia hoc tantum ſignificat, actio- nem, vel paſſionem, non concipi dependentem.

944. Dices 2. Actio, & paſſio, tribuunt diuerſas denominations: ergo ſunt realiter diuerſæ. Resp. diſt. ant. ita, ut una tribuat aliquam denominationem, quam altera non tribuit. neg. ant. ita, ut utraque tribuat plures, & diuerſas denominations. conc. ant. & neg. con- seq. Scilicet potest eadem realiter forma tribuere plures denominations, ut probatum eſt n. 94. unde ex pluralitate denominationum non infertur pluralitas, aut diuerſio realis formarum.

Dices 3. In diuinis actio, & paſ-

sio realiter diſtinguuntur: ergo etiam in creatis. Resp. neg. con- seq. Actio ſciliſt generativa, aut generatio activa, ſeu paternitas in diuinis, identificatur cum Pater: at verò generatio paſſiva, ſive filiation, identificatur cum Filio; cum ergo Pater, & Filius in diuinis ſint realiter diuerſi, etiam generatio activa, & paſſiva, ſunt realiter diuerſæ: nulla talis ratio probat diuerſionem realem actionis, & paſſionis in creatis; aliás etiam actio in creatis deberet eſſe identificata a- geniti, quod eſt impoſſibile.

945. Ob. 2. Si actio, & paſſio, ſunt realiter identificatae, tunc, quando leo e. g. in primo instanti generatus ab alio leone, poſtea pro ſequenti instanti, conservatur à Deo, debebit dari alia paſſio: hoc eſt absurdum: ergo. prob. mi. ut dictum eſt n. 621. absurdum eſt, dari pro ſequenti instanti aliam unionem formæ leonis cum materia: ergo etiam absurdum eſt, dari aliam paſſionem ejusdem. Resp. neg. mi. ad prob. neg. conseq. Dari no- vam unionem ſequenti instanti vi- ſum eſt inconveniens; quia unio eſt essentialis pars totius compo- ſiti, & conſequenter deberet com- positum ſubſtantiale, e. g. leo, ſtati- ſim ſequenti instanti, à ſeipſo ſpecie diſferre, ut loc. cit. probatum eſt: nil ſimile ſequitur ex paſſione diuerſa; quia hæc non eſt pars compoſiti ſubſtan- tialis.

*A R T I.*

## ARTICULUS V.

### In quo Subjecto recipiatur Actio.

946. PRÆNOTANDA HIC sunt aliqua.  
Primò. Aliud est *Subjectum sustentationis*, aliud *Subjectum informationis*: prius est, quod pro priori naturæ ad aliquid aliud præsupponitur: alterum est, quod non ita præsupponitur, sed est tantum id, cui aliquid aliud tanquam subjecto unitur, vel in eo recipitur, de quibus alibi iterum. Secundò. Alia est *Actio creativa*, alia *Actio generativa*: illa non exigit subjectum sustentationis, sed est produc̄tio ex nihilo sui, & subjecti: altera est, quæ exigit subjectum sustentationis, & est quidem produc̄tio ex nihilo sui, sed non ex nihilo subjecti.

947. Tertio. Alia est *Actio immanens*, alia *Actio transiens*. Illa, seu *Actio immanens* propriè dicta, communiter dicitur esse actio, quæ per unionem immediatam immanet suo principio activo: & tales communiter censemur esse actus vitales, intellectiones, sensationes &c. at minus strictè loquendo actio immanens etiam est actio productiva accidentium non vitalium ad interna, e. g. caloris in igne; quia, licet tale accidens, & ejus actio productiva, compenetretur cum principio activo, seu forma, e. g. ignis, non tamen propterea ei immediate-

unitur: certè anima rationalis etiam compenetratur cum accidentibus materialibus, non vitalibus corporis humani, e. g. cum calore, & frigore, quin tamen ipsis immediate uniatur, vel ipsa in anima recipientur; unde talis actio videtur strictè loquendo esse transiens. Est autem *Actio transiens* illa, per quam produc̄tur effectus extrinsecus agenti: talis e. g. est actio, qua ignis A producit in ligno ignem B.

948. De actionibus immanentibus hic non controvertitur; nam eas recipi, & quidem sustentare, in principio suo activo, saltem inadæquato, satis clarum est ex earum definitione, seu descriptione; nam, cum haec actiones immaneant, sive uniantur principio activo, seu agenti, tanquam subjecto: simùlque istud principium activum pro priori naturæ ad eas actiones præsupponatur, nihil ipsis deest, quo minus sit subjectum sustentationis, ut patet ex n. 946. Dixi, in principio activo saltem inadæquo; nam sunt, qui cum Suarez disp. 1. de *Anima* q. 10. docent, actus vitales vegetativos hominis, qui etiam sunt immanentes, recipi tantum in humano corpore, non autem in anima rationali, et si ista quoque constitutat eorum adæquatum principium.

um. Sed quidquid interim de hoc sit, controversia hæc restinguatur ad actiones transeuntes, & queritur, in quo subiecto recipiantur.

949. Dico 1. Omnis actio productiva effectus recipitur in effectu, vel termino producto, tanquam in subiecto informationis. ita Hurtadus *disp. 5. Phys. sec. 7. s. 35.* Comptonus *disp. 21. Phys. sec. 2. n. 5.* & recentiores complures. Dixi tanquam in subiecto informationis; non enim actio potest recipi in effectu, tanquam in subiecto sustentationis; quia hoc debet esse pro priori naturæ præsuppositum ad actionem: non autem potest effectus esse pro priori naturæ præsuppositus, ad actionem productivam sui; cum ista sit prior origine ipso effectu, & per eam iste primum producatur.

950. Prob. conclusio. Actio est formalis communicatio existentiæ, & perfectionum respectu effectus: ergo debet huic esse intrinseca, & in eo recipi. prob. conseq. est imperceptibile, quod actualis communicatio, & receptio ipsius existentiæ, ac perfectionum intrinsecarum, non sit intrinseca recipienti eam existentiam, ac perfectiones: ergo. prob. ant. est imperceptibile, quod unio non sit intrinseca materiæ, & formæ; eo quod sit actualis communicatio perfectionum ad invicem: ergo à pari etiam est imperceptibile, quod actio non sit intrinseca effectui, sive huic im-

mediatè unita. Jam, verò actio non potest esse subiectum effectus; cum modus non possit esse subiectum modificati, & insuper effectus ab actione determinetur ad existendum, adeoque ipse ut determinabilis perficiatur ab ista ut determinativa: ergo actio se habet per modum formæ respectu effectus, & huic inest tanquam subiecto informationis.

951. Confirm. Actio creativa recipitur in termino creato, tanquam in subiecto informationis: ergo à pari etiam actio generativa recipitur in termino generato. prob. ant. actio creativa est accidentis (uti & actio generativa) ergo debet recipi in aliquo subiecto: ergo in effectu. prob. ult. conseq. non potest recipi in agente, seu creante, qui est Deus, & non potest esse subiectum: neque potest recipi in materia; quia in hac recipi tantum convenient actionibus generativis (nisi sit actio creativa ipsius materiæ, quo tamen casu materia est effectus, & hoc ipso actio recipitur in effectu, quod probare intendimus) neque etiam ullum aliud subiectum potest actioni creativæ assignari: ergo.

952. Dico 2. Actio transiens non recipitur in agente. ita Suarez *disp. 48. Metaph. sec. 4.* ubi fuisis hanc sententiam probat, & n. 6. vocat eam recipiissimam inter recentiores, scilicet sui temporis: & adhuc talis est inter recentiores modernos.

**nos.** Prob. conclus. 1. auctoritate Aristotelis, qui l. 2. de *Animae* text. 140. sic scribit: *Sicut enim actio, & passio in paciente est, sed non in agente.*

S. Thomas vero hunc locum exponens in l. 3. de *Animae*. lect. 2. ita habet: *Sicut enim actio, & passio est in paciente, & non in agente, ut in subjecto, sed solum ut in principio à quo: ubi particula in non significat aliud, quam, quod actio sit in agente, seu principio à quo, ut in subjecto denominationis extrinseco, sicut visio dicitur esse in obiecto visto; alias Angelicus contradiceret suis alibi dictis, praesertim lect. 5. in 3. *Physis*. text. 20. ubi ait, actionem esse ab agente ut à quo, & in passo tanquam in recipiente: quod adhuc clarius tradit in 1. *Metaph.* lect. 9. sub fine.*

953. Quare alia, dubiè ab Angelico fors alibi dicta, ita sunt explicanda, ut non præjudicent adductis ex eodem clarioribus textibus: vel dicendo, quod loquatur de actionibus immanentibus, ut l. 2. contra *Gentil.* c. 9. ubi S. Doctor probat, quod potentia Dei, & ejus actio, sint identificatae; eo quod actio Dei sit ejus substantia: quod non est verum, nisi de actionibus Dei immanentibus: vel cum explicando de inexistencia tantum latè tempta, qua ratione etiam forma extrinseca dicitur inesse illi, quod denominat: vel aliter eum expoundingo. vide Suarezum dis<sup>p</sup>. 48. *Metaph.*

*Tom. II.*

zaph. sec. 4. n. 17. Multò magis conformiter ad textus, à nobis ex Aristotle adductos, exponenda essent aliqua dubia Philosophi dicta, si quæ occurrerent; nam ejus auctoritas nimis clare stat pro nobis, adeò, ut Suarez cit. sec. 4. n. 6. sic scribat: *De sententia ergo Aristotelis in hac parte dubitari non potest, ut observarunt omnes Graci interpres, & Commensator, & Latini etiam exppositores citatis locis. Quare dubium non est, quin bac etiam fuerit D. Thomas sententia; nunquam enim solet, Aristotelem deferere in his, qua purè philosophica sunt, & fides non contradicunt &c.*

954. Prob. conclus. 2. ratione. Non omnis actio transiens debet, vel etiam potest, recipi in agente: ergo non est de conceptu actionis transeuatis, ut recipiatur in agente: sed neque potest afferri ratio specialis, cur una actio transiens præ altera debeat recipi in agente: ergo nulla debet recipi. subsumptum patet ex solutione objectionum. ant. prob. quando Deus se solo aliquid producit, actio non recipitur, nec potest recipi in agente, nempe Deo: ergo. Nec dicas cum quibusdam, quod in casu, quo Deus solus agit, recipiatur aliqua actio in Deo, nempe ejus decretum; omisso enim, quod decreta Dei sint actiones (nam ostendit Suarez dis<sup>p</sup>. 48. *Metaph.* sec. 4. n. 11. ea in rigore non esse actiones) saltem non sunt actiones transeuntes, sed immanen-

Ccc

manentes, & multò minus sunt actiones modales, productivæ effectuum creatorum: quæ si non omnes, sicut plures, identificatæ sunt cum passione, & de quibus in hac questione agimus.

955. Dico 3. Actio generativa transiens recipitur in passo, tanquam in subjecto sustentationis, vel, ut etiam vocatur, inhæsionis. ita communis. Prob. conclus. Actio generativa debet recipi in aliquo subjecto sustentationis; alijs esset actio creativa ex n. 27. & 946. sed non recipitur in agente ex n. 952. neque etiam in effectu, seu termino producto, tanquam in subjecto sustentationis ex n. 949. ergo debet recipi in passo, tanquam in subjecto sustentationis; quia aliud non est assignabile. Confirm. Passio juxta omnes debet sustentari à passo: at qui actio generativa, & passio sunt idem ex n. 939 ergo etiam actio generativa debet sustentari à passo.

956. Ob. 1. contra 2. conclus. Omne agens creatum intrinsecè mutatur, dum agit: ergo actio in ipso recipitur. prob. ant. agere ex pura abundantia competit soli Deo, qui solus est immutabilis: ergo. Resp. neg. ant. si, ut debet, intelligatur de mutatione physica. ad prob. neg. ant. Deus dicitur solus simpliciter immutabilis; quia etiam per actiones immanentes non mutatur, quod ipsi soli competit: creature tamen non mutantur physicè per actiones transeuntes. Agit etiam

Deus ex puriore abundantia, quam creature; quia nullo prorsus alio indiget, nec ab alio potest recipere bonum ipsum intrinsecum: creature tamen etiam communieant per actiones transeuntes aliis quasdam perfectiones, quin ipsæ per easdem actiones recipient perfectionem.

957. Ob. 2. Actio est perfectio agentis: ergo recipitur in agente. prob. ant. Beatus est magis dare, quam accipere: Actor. 20. v. 35. & communis sensus censet, perfectiora esse agentia, quam non agentia: ergo. Resp. dist. ant. actio immanens est perfectio agentis. conc. ant. transiens. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. ad prob. om. ant. quod statim explicabo, & sub priori dist. conc. vel neg. conseq.

Beator, sive perfectior perfectione intrinseca, per se est dans, quam recipiens, propter actum liberalitatis, qui est actus voluntatis immanens, & qui actus liberalitatis ad dationem spontaneam, ac gratuitam (de qua ditione illud dictum intelligitur) est per se necessarius; cùm ad pure recipiendum per se nullus actus virtutis sit necessarius: non verò beator est dans ratione solius actionis transeuntis. Sensus autem communis non judicat, agens transeunter esse formaliter perfectius, ratione actionis transeuntis (quis enim ex geminis candelis ardentibus censet eam perfectiorem, quæ plures alias accedit?)

dicit?) sed tantum judicat, aliquando aliquod agens esse perfectius arguitur, quatenus ex actione arguitur ei inesse potentia agendi, quae est perfectio formaliter intrinseca.

958. Dices 1. Causa inclinantur ad actionem: ergo haec debet esse earum perfectio. Riesp. neg. conseq. Causae etiam inclinantur ad ponendum ipsum effectum, quin iste sit perfectio intrinseca earum: & certe, si ideo inclinarentur ad actionem, ut acquirerent intrinscens perfectionem, deberent potius inclinari, ad intrinsecum recipiendum effectum, qui est multo perfectior actione modis. At haec non est ratio hujus inclinationis, sed sepe est conservatio speciei, vel aliud bonum extrinsecum; quia etiam ad istud datum inclinatio.

Dices 2. Agentia vitalia perfectius operantur, quam non vitalia, & tamen perficiuntur ab actionibus vitalibus: ergo etiam perficiuntur agentia non vitalia ab actionibus suis. Riesp. neg. conseq. Agentia vitalia, dum operantur perfectius, seu vitaliter, operantur immaterialiter: operatio autem immaterialis absque dubio est perfectio agentis: ex hoc tamen non sequitur, quod etiam operatio transiens sit perfectio agentis.

959. Dices 3.. Si agens vitale, seu perfectius, tamen perficitur, hoc est, immutatur ab actione, etiam agens non vitale, seu imperfectius, ab ea perficitur, seu immutatur:

ergo. prob. ant. agere sine mutatione est perfectius, quam agere cum mutatione, ut patet in Deo: ergo, si agens perfectius tamen mutatur, etiam mutabitur agens imperfectius. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. agere sine mutatione est perfectius in statu formati, & preciso. conc. ant. in statu reali. subdist. ceteris paribus. conc. ant. ceteris non paribus. neg. ant. & conseq.

Sicut ens incorruptibile in statu preciso, vel etiam ceteris paribus in statu reali, est perfectius, quam ens corruptibile, tamen, quando cetera non sunt paria, potest a parte rei ens corruptibile esse perfectius, quam ens incorruptibile: (sic plures formæ substanciales corruptibiles sunt realiter perfectiores, quam materia prima incorruptibilis) ita etiam agens vitaliter cum mutatione est realiter perfectius, quam agens non vitaliter sine mutatione; quia scilicet ex aliis capitibus agens vitale eminet supra agens non vitale.

960. Ob. 3. Actio est accidentis agentis: ergo debet esse intrinseca agenti. Confir. Actio egreditur ab agente, & transit in passum: ergo debet aliquando fuisse recepta in agente. Resp. dist. ant. actio est accidentis agenti intrinsecum. neg. ant. istud tantum extrinsecè respiens. conc. ant. & neg. conseq. Alii dicunt, actionem esse accidentis logicum agentis: at nos in Logica n. 590. istud aliter explicavimus,

& ex ibi dictis potius concretum. *Agrus* est accidens logicum. Ad confir. recorq. arg. in effectu, qui eodem modo egreditur. in forma dist. ant. actio egreditur materialiter, ut *vulpes* ex *antro*. neg. ant. egreditur metaphorice, id est, producitur ab agente. conc. ant. & neg. conseq. Ob defectum terminorum propriorum satis clarorum aliquando utimur talibus metaphoris: sic etiam dicimus, effectum dependere à causa, tunc non dependeat materialiter, ut *gladius* à *baltheo*.

961. Ob. 4. Actio est determinatio cause ad agendum: sed omnis determinatio est intrinseca rei determinatae: ergo actio est intrinseca causæ agenti. Confirm. Nova denominatione objectiva debet habere novam partem intrinsecam: sed *agens* est nova denominatione objectiva: ergo debet habere novam partem intrinsecam: atque non est assignabilis alia, quam actio: ergo. Relip. neg. mi. Visio, & amor sunt determinatio objecti, ut sit visum, & amatum, quin sint aliquid huic intrinsecum.

Ad confir. dist. ma. debet habere novam partem intrinsecam toti denominationi, quidditativè, vel concretivè acceptæ. conc. ma. denominationi tantum denominativè acceptæ. neg. ma. & conc. mi.

sub data dist. conc. vel neg. conseq. Scilicet actio est intrinseca toti agenti, quidditativè, seu secundum omnes partes accepto: non autem subjecto hujus denominationis, seu ipsi causa, quæ denominatur agenti de qua re vide dicta in Logica n. 357. & n. 656. & seq. de denominationibus extrinsecis.

962. Ob. 5. In illo subjecto recipitur aliqua forma, cui tribuit nobiliorem denominationem: sed actio tribuit nobiliorem denominationem agenti: ergo actio recipitur in agente. ma prob. inductio. sic quia nobilior est denominatio intelligentis, videntis &c. quam intellecti, visi &c. hinc intellectio, visio &c. recipiuntur in potentia vidente &c. & non in objecto: ergo. Resp. neg. ma. universaliter sumptam. ad prob. neg. ant. Inductio nulla est; quia sit ab actionibus immanentibus, & agentibus immanenter, ad actiones transentes, & agentia transeunter, inter quæ dari magnam disparitatem constat ex nostris rationibus. Dein, nec intellectio, nec visio, recipiuntur in potentia ideo; quia ei tribuunt nobiliorem denominationem agentis: sed quia potentia simul est passum, & subiectum sustentationis.

## ARTICULUS VI.

*An sit Naturaliter possibilis Duplex Actio Totalis respectu  
Eiusdem Effectus.*

963. **A**ctio totalis est illa, que ita ponit effectum, ut, etiam si absit omnis alia actio, tamen effectus sufficienter determinetur ad existendum, & ponatur extra causas. Alia autem est *Actio totalis non subordinata*, que non presupponit aliam naturam priorem, sed vel insuit sola, vel insuit cum alia simul natura. Alia est *Actio totalis subordinata*, que scilicet aliam actionem totalem prævitam pro priori naturæ presupponit: & quidem alia est *Actio essentialiter subordinata*, que nempe ex essentia sua pro priori naturæ presupponit aliam actionem totalem: alia est *Actio accidentaliter subordinata*, que tantum accidentaliter presupponit aliam actionem totalem naturam priorem.

Controversia huc agitatur de actionibus non subordinatis, & queritur, an possit respectu ejusdem effectus dari duplex talis actio totalis: & quidem pro eodem instanti; nam, quod pro diversis instantibus possit dari non tantum duplex, sed multiplex actio totalis, facile omnes admittunt; substantia enim, que primum producitur simul à Deo, & creatura, per unam actionem totalem, postea à solo Deo per aliam

actionem totalem, à priori actione specie differentem, conservatur.

964. Dico. Naturaliter non est possibilis duplex actio totalis. ita S. Thomas 1. p. q. 52. a. 3. in corp. Suarez disp. 26. Metaph. sec. 4. n. 22. ubi testatur, in hac conclusione Philosophos ferè convenire: & certè recentiores communiter conscientiunt: quamvis de Quiros tract. 3. Physic. disp. 53. lcc. 5. & 6. in contrarium alleget Nominales, & paucos alios, quos etiam sequitur. Prob. Illud non est naturaliter possibile, cuius non datur exigentia in ulla creata substantia ut quod: sed duplicitis actionis totalis, sive subordinatae, sive non subordinatae, non datur exigentia in ulla creata substantia ut quod: ergo. ma. constat ex n. 671. mi. prob. in primis duplicitem actionem totalem non exigit effectus; quia hic, si quid exigit, antequam existat, præcise exigit, quod ei est necessarium ad existendum: ad hoc autem sufficit una actio totalis.

965. Sed neque passum exigit duplicitem actionem totalem; quia tantum exigit informari: neque etiam eam exigunt causæ efficientes; quia ista tantum exigunt effectum producere: quia etiam dispositio-

Cccc;

title-

sitiones, & conditiones, non plus exigunt, quām ad disponendum paſsum, vel producendum effectum, suo modo juvare. Tandem etiam ipſæ actiones, cūm præcisè ſint media in ordine ad effectum, non exigunt poni ſeipſas, niſi in quantum cauſis ſunt neceſſariæ ad effectum ponendum; non enim alio jure ſunt præditæ à natura, quām, ut existant pro exigentia cauſarum, vel effectuum: ergo non tantum non datur in ulla ſubſtantia, ſed nec in ullo accidente, quod physice ſuo modo concurrit ad effectum, ulla exigentia ad dupliem actionem totalem.

966. Conſirm. 1. Si quis velit aliquam exigentiam in rebus creatis adſtruere, debet eam, positivè probare; neque enim ſinè neceſſitate multiplicandæ ſunt exigentiae rerum: atqui exigentia ad dupliem actionem totalem non probatur, ut videbimus in ſolutione objectiōnum: ergo. Conſir. 2. Conſtat ab experientia de pluribus cauſis, quæ ſe ſolit ſufficienter, ad producendum totaliter effectum, conſtat, inquam, quodd, ſi aliæ cauſe ipſis adjungantur, non tantum influxum præſtent, quantum, ſi ſolit fuiffent, adeoque tunc non ponant actionem totalem: ergo idem tenendum eſt de aliis cauſis, de quorum influxu certa experientia non habetur. conseq. videtur legitima ex induſtione.

967. Prob. ant. Sic, ſi jungantur

plures equi currui, quem quilibet eorum poſſet ſolus trahere, miňus fatigantur, adeoque minorem influxum ponunt, quām quilibet poñeret, ſi ſolus traheret: & par eſt ratio de bobus, vel aliis animalibus, vel etiam hominibus, tali currui junctis. Item, ſi eidem ponderi uſtinenndo, vel attrahendo, adhibeantur plures funes, vel unuſ du‐ ple crassior (qui reiſa physice eſt coniunctio plurium funium miňorum; nam fila non habent inter ſe, niſi artificialem unionem) quām abſalutæ neceſſe eſſet, miňus tenduntur, & diutiū durant: & par eſt ratio de catenis ferreis, vel aliis ſimilibus. Pariter, ſi eidem ponderi in altum tollendo adhibentur plures vectes, quorum quilibet ſeorsum ſufficienter, diutiū durant, & diutiū gravitati ponderum reſiſtunt, dum unus, ſufficienter quidem, ſed tamen debilior, frequenti uſu ciuius abrumpitur: ergo ſignum eſt, quodd nec funis, nec catena, nec vectis &c. ſi jungantur aliis, totalem influxum illum præſtet, quem ſeorsum ſolus adhibitus præſtitifet: ergo iſtæ cauſe, in actu primo totales, ſi conjugantur aliis, non præſtant influxum totalem, ſed tantum partialem, ſeu producunt tantum actionem partialem.

968. Ob. 1. Sæpe ad productionem ejusdem effectus concurrunt plures cauſe totales in actu primo, id eſt, tales, ut quilibet earum poſſit producere totaliter effectum: ergo

ergo etiam dantur, vel saltē possunt dari naturaliter duæ causæ totales in actu secundo, quarum quælibet producat effectum per actionem totalem. prob. conseq. vel istæ causæ sunt liberæ, vel necessariæ: in utroque casu dantur, vel possunt dari duæ causæ totales, sive duæ actiones totales: ergo. prob. mi. si sunt causæ liberæ, possunt agere juxta totam suam virtutem: si autem sunt causæ necessariæ, debent agere juxta totam suam virtutem: ergo illæ possunt, & istæ debent, ponere duplē actionem totalem.

969. Resp. neg. conseq. ad prob. neg. mi. ad hujus prob. dist. ant. causæ liberæ possunt, & causæ necessariæ debent, agere juxta totam suam virtutem, quam habent in his circumstantiis. conc. ant. quam habent in aliis circumstantiis. neg. ant. & conseq. Ut causa possit agere, non requiritur tantum ejus virtus, sed requiruntur insuper debitiæ circumstantiæ, & conditiones, ob quarum diversitatem aliquando causa potest plus, aliquando minus efficere: inter has autem conditiones, vel circumstantias, ad ponendam actionem totalem, etiam est absentia alterius causæ concurrentis, id quod desumitur ex nostris probationibus.

970. Dices 1. Virtus unius causæ non minuitur, sed potius augetur per additionem alterius: ergo, si causa se sola potest producere actionem totalem, multò magis id

poterit conjuncta cum alia. Resp. om. ant. neg. conseq. Non tollitur, nec augetur virtus, quæ numquam adfuit: nunquam autem adfuit virtus ponendi actionem totalem in conoursu alterius causæ. Unde, si ex duobus hominibus, idem pondus trahentibus, unus etiam imprudenter vellet actionem totalem in ordine ad tractionem ponere, id non posset; quia in consortio alterius eam virtutem non haberet. Et sane experientia testatur, quod tali trahenti pondus minus resistat, adeoque resistentia ab altero simul trahente partialiter vincatur.

Id tamen admitto, quod in tali casu fiat major virtus, seu fortius complexum causarum, in ordine ad effectus divisibiles, capaces intentionis, & extensionis; nam e. g. major ignis, vel major ejus calor, producit etiam majorem novum calorem, sed non per duplē actionem totalem; nam, vel una pars caloris novi producitur ab aliqua parte caloris prioris, & alia pars caloris ab alia parte ejusdem caloris: vel producuntur omnes partes caloris novi ab omnibus partibus caloris prioris per unam tantum actionem totalem.

971. Dices 2. Si duo magnetes teneant ferrum in medio suspensum, tunc uterque producit suspensionem ferri per actionem totalem: ergo. prob. ant. actiones magnetum sunt inter se contrarie: ergo non

non possunt constituere unam actionem totalem, in ordine ad suspensionem ferri. Resp. neg. ant. de quo vide etiam dicta n. 764. ad prob. dist. ant. actiones magnetum sunt inter se contrariae, in ordine ad suspensionem ferri. neg. ant. in ordine ad alia, quæ præfertim ſeorsim producerent. conc. ant. & neg. conseq. Tales duo magnetes ſe ſuo modo habent, ſicut duo motiva, unum alliciens, alterum retrahens, quæ influunt in eundem actum intellectus, ſeu in idem judicium indifferens; hæc enim motiva, licet ſint inter ſe contraria in ordine ad prosecutionem, vel fugam objecti, tamen non ſunt contraria in ordine ad cognitionem indifferente.

972. Ob. 2. Poteſt dari duplex paſſio totalis respectu ejusdem effectus: ergo etiam poteſt dari duplex actio totalis. conseq. à nobis negari non poteſt; cum juxta nos paſſio, & actio, ſint realiter idem ex n. 939. ant. prob. Si formæ brutorum perfectorum ſint indiviſibiles, tunc anima, e. g. leonis, quæ prius tota ſuſtentabatur à materia, prius jam unita, poſtea, quando per nutritionem ei unitur nova materia, ſuſtentatur etiam ab iſta materia de novo adgenerata: ergo datur duplex paſſio totalis, aut ſaltem una totalis, & altera partialis. Resp. neg. ant. ad prob. omissa illa ſententia, de qua ſuo loco, dist. ant. anima leonis ſuſtentatur à materia

de novo adgenerata, pre eo instanti, pro quo jam ſuſtentatur totaliter à materia prius habita. neg. ant. pro ſequenti instanti, pro quo non amplius ſuſtentatur totaliter à materia prius habita. conc. ant. & neg. conseq.

973. Pro primo instanti, in quo adgeneratur leoni nova pars materiæ, hæc nova pars non est cauſa ſuſtentativa animæ leonis; nam pro hoc instanti anima jam ſupponitur totaliter ſuſtentata à materia priori: in ſequenti verò instanti poteſt nova pars materiæ adgenerata eſſe cauſa ſuſtentativa animæ leonis: ſed tunc prior materia non amplius totaliter ſuſtentat animam; nam aetio conservativa leonis, & conqueſter etiam paſſio, in hoc ſecundo instanti eſt alia, quam fuerit in priori, atque non tantum depen-deat à materia prius habita, ſed etiam à materia de novo adgenerata: quodſi maneret prior actio, tunc anima leonis non ſuſtentaretur à nova materia, ſed hæc tantum eſt ſubjectum informationis.

974. Unde non eſt verum, quod quidam putat, nempe cauſam, quæ prius ſola totaliter egit, poſtea, etiamsi ei jungatur alia cauſa, tamen adhuc totaliter agere; nam, cum talis cauſa ponatur in aliis circumſtantiaſ, aliter agit. Sic, quando prius unus equus traxit currum, ſi poſtea ei jungatur alter equus, non amplius prior trahit totaliter currum, ſed tantum partialiter. Neque

que etiam est verum, quod qualibet particula materie sustentet totaliter animam bruti indivisibilem; nam, si anima bruti sit indivisibilis, tunc, vel datur unica passio totalis indivisibilis, respiciens omnes simul partes materie: vel dantur plures passiones divisibles partiales, quarum qualibet respicit suam partem materie (sicut dantur plures partiales uniones; nam unio, quae unit animam talis leonis cum pede, non etiam unit eandem cum capite, adeoque non est totalis) & iterum non qualibet particula materie seorsim, sed tantum omnes simul sustentant animam bruti indivisibilem.

975. Ob. 3. Potest dari duplex causa finalis totalis in actu secundo: ergo etiam potest dari duplex causa efficiens totalis in actu secundo. prob. ant. potest quis ambulare propter recreationem, & sanitatem, ita, ut propter quamlibet earum seorsim ambularet, eti altera non moveret: ergo recreatio, & sanitas, sunt duplex causa finalis totalis in actu secundo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Licet, tam recreatio, quam sanitas, si esset seorsim, posset se sola causare in actu secundo totaliter ambulacionem, tamen in casu objectionis non ita causat; nam causalitas cause finalis in actu secundo est ipsa actualis productio effectus ex hoc fine, que formaliter non habetur, nisi datur actio physica productiva ef-

fectus, & quidem tanquam rectus hujus denominationis.

976. Unde, eti multiplicentur cause finales, vel etiam actus imperantes, si non multiplicetur rectus, ten actio physica, non multiplicatur causalitas cause finalis in actu secundo: actio autem physica in casu objectionis non multiplicatur. Hac responsio danda est circa actus externos indifferentes ad hunc, vel illum finem; nam, si sermo sit de actibus internis, habentibus essentiali respectum ad sua motiva, satis clarum est, non posse respectu ipsorum dari duplicitatem causam finalis totalem in actu secundo; cum ipsis sint causalitas, ac dependentia ab his causis, & addito, vel mutato quolibet motivo, mutantur etiam ipsis actus interni.

977. Dices 1. Potest dari duplex causa moralis totalis in actu secundo: ergo etiam efficiens. prob. ant. possunt plures sacerdotes simul consecrare eandem hostiam, vel absolvere ab eodem peccato: ergo. Resp. neg. ant. & iterum ratio negandi est; quia non multiplicatur actio physica. In actu primo quidem quilibet sacerdos est causa moralis totalis: at in actu secundo quilibet sacerdos in illis casibus est tantum inadiquata causa moralis, tam praesentia Christi Domini in SS. Eucharistia, quam remissionis peccatorum, sive gratiae sacrificantis in homine.

D dd

Quod

Quod autem possit aliquis bis absolví ab eodem peccato, non probat duplē actionem totalem simultaneam, sed tantum successivam, de qua hic non agitur, ut dictum n. 963. quoniam autem id fieri possit, Theologis explicandum relinquimus. Eadem responso danda est, si objiciatur, Deum s̄epe ob duplex peccatum grave simul commissum destruere gratiam; nempe etiam in hoc casu non datur duplex adæquata causalitas in actu secundo; quia non datur duplex destrutio gratiae.

978. Dices 2. Potest quis debitum expungere dupli solutione: ergo potest dari duplex causa moralis totalis in actu secundo, destrutiva debiti. Resp. neg. conseq. Vel ponitur casus, quod quis post debitum, rite jam solutum, iterum solvat: & non potest amplius destrui debitum, debetque hæc expensio pecuniarum alium habere finem, aut nihil causabit in actu secundo, ut s̄epe etiam alias cause non producunt effectum. Vel ponitur casus, quod debitor, e. g. unus floreni, det simul duos: & tunc pro fine non habetur sola destrutio debiti, sed etiam exercitium liberalitatis: si quis autem stulte solam debiti solutionem intenderet, tamen unam tantum causalitatem totalem in actu secundo poneret, licet poneret duas causas totales in actu primo.

979. Ob. 4. Potest dari aliquid

naturaliter superfluum: ergo etiam duplex actio totalis. prob. ant. potest dari sextus digitus in manu, gibbus in tergo, struma in collo &c. ergo. Resp. dist. ant. potest dari superfluum, si nulla detur ejus naturalis exigentia, in omnibus causis, sive per se, sive per accidens concurrentibus. neg. ant. si detur aliqua exigentia, saltem in aliqua causa, sive per se, sive per accidens concurrente. conc. ant. & neg. conseq.

Nuaquam autem, sive per se, sive per accidens, possunt concurrere cause, naturaliter exigentes duplē actionem totalem, respectu eiusdem effectus; cum finis omnium causarum sit tantum producere effectum, qui finis sufficienter obtinetur per unam actionem totalem. Dixi *naturalis exigentia*, id est, appetitus naturalis; nam, licet in homine posset dari appetitus elicitus imprudens, ad ponendam duplē actionem totalem, non propterea deberet posse ei naturaliter satisfiri, ut per se patet: certè, si quis imprudenter appeteret pennas ad volatum, non propterea naturaliter crescerent.

980. Dices. Potest actio totalis duplex exigi à duabus causis, ut effectus ab utraque causa totaliter dependeat, & ut deficiente una actione, aut causa, tamen effectus non deficiat: ergo. Resp. neg. ant. nam causa naturaliter non exigit, ut effectus ab ipsa totaliter dependeat, nisi, quando ipsa sola agit: & alia

*An Supernaturaliter sit possibilis Duplex Actio Totalis.* 395

*Hinc exigentia gratis fingitur: dein effectus tamen non deficeret deficiente una causa; quia tunc posset altera causa, quae prius egit partialiter, agere totaliter: qua ratione jam esset consultum effectui.*

## ARTICULUS VII.

*An Supernaturaliter sit possibilis Duplex Actio Totalis respectu ejusdem Effectus.*

981. **D**ico. Supernaturaliter est possibilis duplex actio totalis, quarum neutra sit alteri subordinata, respectu ejusdem effectus. ita Suarez *disp. 26. Metaph. sec. 4. n. 9.* ubi insuper ait, hanc conclusionem melius probari non posse, quam solvendo objectiones. Arriaga *disp. 7. Physic. sec. 10. n. 119.* ubi addit, esse communam inter recentiores. Gormaz de *Incarناس. n. 744.* Valentia, Hurtadus, Coninck, Oviedo, & plures alii, quoꝝ citat, & sequitur Zignis de *Connex. rer. natur. p. 2. q. 3. g. 2. n. 16.* Accedunt recentiores moderati in manuscriptis quam plurimi.

Adversarii quidem pro se citant S. Thomam *1. p. q. 52. n. 3. in corp.* sed, sicut in multis aliis locis S. Doctor, quando aliquid dicit impossibile, tantum intelligit impossibile naturaliter, ita etiam loco citato aliud non intelligit: saltem probari non potest, quod intelligat supernaturaliter impossibile. Legatur de *Benedictis l. 2. Phys. q. 4. c. 7. s. si autem.* licet nobis adversarius. Conclusio probatur argumentatione à *n. 381.* explicata.

Non implicant duplex actio totalis: ergo est supernaturaliter possibilis. ant. prob. solutione objectionum. Confirmatio aliqua potest peti ex dicendis infra *n. 997.*

982. Ad melius intelligendas, atque etiam solvendas objectiones, aliqua sunt hic præmittenda. In primis *Finis* alicujus est illud, ad quod illa res ordinatur: & quidem *Finis intrinsecus*, ad quem res ordinatur per se à natura: *Finis extrinsecus*, ad quem res non ordinatur per se à natura, sed ab aliquo tantum extrinseco: sic e. g. finis ubicationis Petri intrinsecus est collocare ipsum in certo spatio: finis ejus extrinsecus est, e. g. operatio certa, quæ ibi, & non alibi, potest exerceri. Potest autem eadem res habere plures fines, tam intrinsecos, quam extrinsecos: sic finis intrinsecus equi est vegetari, sentire, speciem propagare &c. finis verò extrinsecus est omnis ille, ad quem à domino suo equus ordinatur, e. g. equitatio, tractio currūs, luctrum ex ejus venditione &c.

Est autem finis intrinsecus duplex: unus est *Finis essentialis*, fine

D dd 2

finē

sine quo res nec supernaturaliter existere potest: & talis est finis intrinsecus modorum, quibus essentiale est actualiter determinare suum modificatum: alius est *Finis non essentialis*, seu sine quo res potest sicut supernaturaliter existere: & talis finis respectu materiæ primæ est forma substantialis; potest enim materia prima supernaturaliter existere sine omni forma substantiali, ut dictum n. 381.

983. Jam *Superfluum* est, quod non est necessarium ad finem: est autem aliud *essentialiter*, aliud *accidentaliter superfluum*. *Accidentaliter superfluum* est illud, quod hinc, & aunc, non est necessarium, esset tamen necessarium in aliis circumstantiis: sic tertius equus est accidentaliter superflius ad trahendum currum, cui duo jam juncti sunt, qui cum trahere possunt; nam, licet in his circumstantiis non sit necessarius equus tertius, foret tamen necessarius in aliis circumstantiis, in quibus unus ex duobus prioribus equis abeget.

984. *Essentialiter superfluum* non eodem modo ab omnibus explicatur: & quidam ex adversariis dicunt, illud esse *essentialiter superfluum*, quod in nullis circumstantiis est necessarium: at sic ex quovis *accidentaliter superfluo* sequitur aliquid *essentialiter superfluum*; nam, si aliquid *accidentaliter superfluum* additur alteri necessario, & sufficienti, semper ex utroque

oritur complexum, in nullis circumstantiis necessarium, adeoque juxta hanc definitionem *essentialiter superfluum*: & sic etiam complexum ex tribus equis (de quo n. præc.) erit *essentialiter superfluum* ad trahendum currum.

Ex quo ulterius sequitur iusta iustos adversarios, quod Deus nunquam possit aliquod *accidentaliter superfluum* adhibere ad aliquem finem; quia semper adhiberet complexum *essentialiter superfluum*: quod ipsis auctoribus videtur esse insipiens, adeoque Deo indignum, salem, nisi simul intenderet aliquem alium finem, ad quem illud, pro altero fine superfluum, esset necessarium. Sed de hac *essentiali superfluitate* plura opportunitas infra n. 990.

985. Quod spectat ad finem actionis, si sit distincta ab effectu (de qua hinc est quæstio) finis ejus *essentialis*, juxta communem modum loquendi, est determinare effectum ad existendum dependenter à certa causa; nam *actio distincta* est causalitas cause in actu secundo, seu productio effectus, ex se indiferentis, ab hac causa præ aliis; non enim admittitur *actio distincta* ab effectu, quando hic tantum determinandus est ad existentiam, & non etiam ad hanc causam præ aliis.

Quare quidam dicunt, finem *essentialē* talis actionis etiam esse dependentiam effectus à causa: sed hæc ratione *actio* esset finis sui ipsius;

us; etiam ipsa sic realiter identificata cum dependentia illa. Unde alii melius dicunt, quod finis actionis non sit illa dependentia, sed sit effectus dependens à causa: sicut finis ubicationis Petri non est determinatio Petri ad spatum (alio ubicatio effectus sui ipsius) sed est Petrus determinatus ad spatum.

986. Si quis opponeret, hac ratione actionem fore falem finem partiam suipius; quia ipsa est pars huius complexi, vel concreti *effectus dependens à causa*: responderi posset, querendo, quomodo ergo finis ubicationis sit Petrus determinatus ad locum, seu spatum? (coram communitate dicitur, quod finis ubicationis sit determinare ad locum, vel spatum) cuius concreti eodem modo pars est ubicatio. Si reponeretur finem, ubicationis non esse illud concretum quidditativè sumptum, sed tantum denominativè sumptum, seu secundum regnum, id est, Petrum determinabilem ad locum, posset aquæ responderi, etiam finem actionis non esse concretum *effectus dependens*, quidditativè sumptum, sed tantum denominativè acceptum, id est, effectum determinabilem ad causam.

987. Notandum ulterius, in effectu, qui per actionem distinctam producitur, juxta omnes dari duas indifferentias (de quibus supra n. 344. & 345.) scilicet unam logican ad existendum, vel non existendum: alteram physicam ad

hanc, vel illam causam: & propter utramque intenditur actio, ac utraque tollitur per actionem: indifferencia quidem physica formaliter; quia actio est formalis determinatio ad causam: indifferentia ~~quidem~~ logica collitur per actionem, non formaliter, neque propriè causaliter, sed originaliter, de qua re vide dicta n. 932.

Replicant tamen adversarii, hunc finem actionis, nempe tollere indifferentiam physicam effectus, esse tantum secundarium, & fundari in altero fine, qui est tollere indifferentiam, seu insufficientiam ad existendum; nam, ajunte, si non datur indifferentia ad existendum, non datur actio, ut patet in divinis: ex quo ulterius inferunt, quod, si actio non possit intendi ad collendam indifferentiam effectus ad existendum, neque possit intendi ad tollendam indifferentiam ad causam.

988. Sed contra est. Certum quidem est, quod, ubi non datur indifferentia, vel insufficientia ad existendum, neque detur actio distincta ab effectu, vel principio produttivo; nam tunc etiam nulla datur causa, neque indifferentia producti ad producens, ut iterum patet in divinis. At etiam verum est, quod, licet detur insufficientia ad existendum, si tamen non detur indifferentia physica ad causam, non admittatur actio distincta; quare ista non præcise intenditur  
D dd 3 pro-

propter insufficientiam, seu indiferentiam logicam effectus, sed etiam propter physicam. Quod autem ibi non detur actio, ubi non datur dicta insufficientia, vel indiferentia logica, non probat, quod haec sola sit finis, aut sola adaequata funderet necessitatem actionis distinctae; jam enim probatum est, propter ipsam solam non dari actionem distinctam: sed tantum probat, quod non possit dari indifferentia physica ad causam, quin etiam detur indifferentia logica ad existendum, &c., quod actio intendatur propter utramque.

989. Nec dicant adversarii, necessitatem actionis distinctae praesertim oriri ex possibilitate causarum, & hanc possibilitatem oriri ex sola insufficientia effectus, adeoque etiam necessitatem actionis oriri ex sola insufficientia effectus; nam necessitas actionis distinctae non queritur ex possibilitate tantum unius causae, sed ex possibilitate plurium, potentium producere effectum, ex qua oritur indifferentia physica effectus: possilitas autem plurium causarum non eritur tantum ex insufficientia qualicunque effectus; nam potest effectus esse sibi insufficientis ad existendum, & tamen respectu ipsius una tantum causa esse possibilis, ut patet in actibus vitalibus, & in ipsa actione modali: sed possilitas plurium causarum oritur ex insufficientia speciali effectus, nempe tali, ut plures causae

possint illum effectum determinare ad existendum.

990. Ob. i. Implicat à Deo sapientissimo adhiberi ad aliquem finem medium essentialiter superfluum: sed complexum ex duplice actione totali est medium essentialiter superfluum, ad ponendum effectum tanquam finem: ergo implicat à Deo adhiberi ad ponendum effectum complexum ex duplice actione totali: ergo etiam supernaturaliter impossibilis est duplex actio totalis, respectu ejusdem effectus. Resp. dist. ma. implicat adhiberi medium essentialiter superfluum, intelligendo per hoc, medium tantum essentialiter non necessarium. neg. ma. intelligendo medium essentialiter inutile, vel saltem essentialiter non necessarium ad ullum alium finem, hic, & nunc intendibilem. conc. ma. & dist. sic mi. neg. utramque conseq.

991. Non debent adversarii supponere, quod, si per essentialiter superfluum tantum intelligatur essentialiter hic, & nunc non necessarium, hoc statim implicit; cum id negent nostri autores, qui plurimi sunt; unde per essentialiter superfluum, quod indubitate implicit, debet aliquid aliud intelligi, nempe id, quod, vel est inutile ad finem, ad quem intenditur: vel ad nullum prorsus finem, ad quem intendi deberet, est necessarium; vel nec adaequata, nec inadaequata, in ulla circumstantiis est necessarium: at

com-

complexum ex duplice actione constali in nullo horum sensum est essentialiter superfluum; nam est medium sufficienter proportionatum, & utile ad effectum; cum eum actu producat: dein est necessarium, saltem ad plures fines extrinsecos, ad quos Deus ipsum potest intendere: sive nos possimus, eos assignare, si-  
ve non, de quo vide *n. 389.* Tandem hoc complexum, saltem inad-  
equatè sumptum, est necessarium ad producendum effectum: conse-  
quenter non repugnat, tanquam es-  
sentialiter superfluum.

992. Dices 1. Sic etiam erit pos-  
sibilis actio ad actionem, t. g. actio  
A\*, per quam producatur actio B:   
sed actio ad actionem est juxta com-  
munem impossibilis: ergo. Resp.  
neg. ma. nam actio B, quam ponim  
us essentialiter profluere à causa  
C, deberet produci per aliam actionem,  
vel ab hac causa C, vel ab alia  
causa D: neutrum potest dici: ergo.  
prob. mi. non potest dici primum;  
quia non est possibilis actio distin-  
cta, nisi, quando debet tolli indiffe-  
rentia physica (est enim actionis di-  
stinctæ finis essentialis determinare  
indifferentiam physicam effectus)  
sed actio B non habet indifferentiam  
physicam ad causam C: neque  
potest dici secundum; quia actio  
modalis non potest respicere aliam  
causam, quam eam, à qua essentia-  
liter dependet; nam est ipsi essen-  
tiale, ut respiciat causam tanquam  
influxus ipsius, & non potest ab

actione superaddita determinari, ut  
sit influxus alterius causa; cum hoc  
ejus essentiae repugnet. Addo,  
quod, sicut ex eo, quod actio (que  
etiam est effectus, sed sine cause es-  
sentialiter affixus) non possit pro-  
duci per aliam actionem, ab ipsa di-  
stinctam, non sequitur, quod effectus,  
ad causam indifferens, non  
possit produci per actionem, ab ipso  
distinctam: ita etiam ex eo, quod  
actio essentialiter affixa causa, non  
possit produci per duplē actionem  
totalem, non sequatur, quod non  
possit ita produci effectus ad  
causam indifferens.

993. Dices 2. Saltē respectu  
quādam effectus erit possibilis pra-  
ter unam actionem totalem altera  
istū subordinata (de qua vide *n. 963.*)  
sed huc non est possibilis: ergo.  
Resp. neg. ma. saltē hoc non se-  
quitur ex nostra conclusione; nam  
actio subordinata jam supponeret,  
non quidem pro priori instanti, at-  
tamen pro priori signo naturæ, ab-  
latam omnem indifferentiam effe-  
ctus, consequenter nullam tol-  
leret, adeoque nihil ageret: quod  
est contra essentiam actionis, ab ef-  
fectu distinctæ: nil simile conting-  
ret alteri actioni totali non subor-  
dinata; unde est notabilis dispari-  
tas. Addo, non debere adversa-  
rios supponere, quod clarè, & in-  
dubitate implicit actio subordina-  
ta; nam istam possibilem asserit Ex-  
mius Doctor, *som. 3. in 3. p. disp. 50.*  
*sec. 4. & Comptonus disp. 19. Phy-*  
*sc.*

*sic. sec. I. n. 5.* ubi sit, eam etiam à plurimis recentioribus defendi: nec eam Theologi in tractatu de SS. Evcharistia communius negant dari; eo quod dicitur possibilis sit: sed quia non est necessaria ad explicandum mysterium.

994. Dices 3. Juxta nos posset eadem causa supernaturaliter producere eundem effectum per duas actiones totales, imò per innumeratas, & quasi infinitas: hoc viderur absurdum: ergo. Resp. neg. ma. non enim hoc sequitur ex nostra sententia, & disparitas sit magna est in eo, quod plures actiones, ab eadem causa profuentes, non haberent fines, nec inadæquatè diversos; nam determinarent solam eandem indifferentiam effectus: at verò actiones, à diversis causis ortæ, haberent fines inadæquatè diversos; nam una actio faceret effectum dependenter à causa A, altera à causa B.

Rursus ex eo, quod possint dari duæ actiones totales, non sequitur, posse dari innumeratas, & quasi infinitas; nam, ut diximus n. 567. (& etiam adversarii dicunt nobiscum). ex eo, quod supernaturaliter possint eandem materiam simul informare duæ formæ principales, non sequitur, quod eam possint, simul informare quasi infinitas: vel, si adversarii hanc sequelam admittunt, nos poterimus admittere etiam alteram: verbo: si in duabus actionibus totalibus, ab eadem causa profluentibus, vel in innumeris, simul

ad eundem effectum determinanteribus, non est major repugnantia, quam in duabus, ortis à diversis causis, tunc etiam illæ erunt possibles: sicut ea ipsa major repugnatio erit causa negandi sequelam.

995. Dices 4. Ex nostris principiis sequitur, quod sit possibilis unio unionis, & ubicatio ubicacionis: sed hoc communiter negatur: ergo. Resp. neg. ma. intelligendo eam de unione, quæ dicit alteram unionem idem extremis, quibus hec jam per se ipsam essentialiter unitur: item de ubicacione, quæ ubicet ubicacionem alteram in spatio, cui haec per seipsum jam est essentialiter affixa; quod enim diximus n. 592. de actione ad actionem, nempe, quod careret fine suo essentiali, idem dicimus de tali unione, & ubicacione; nam etiam istæ non possent tollere indifferentiam, quæ nulla datur. Aliud est, si intelligatur unio, vel ubicatio, quæ uniat unionem aliis extremis, vel replicet ubicacionem in alio loco; nam utique unio naturalis, inter corpus, & animam Christi Domini, unitur per superadditam unionem hypostaticam Verbo. An etiam ubicatio possit alibi per aliam ubicacionem ubicari, pendet ab eo, an possit replicari: quod aliqui admittunt, plures alii negant.

996. Dices 5. Saltem sequeretur, quod idem corpus posset ubicari per duplēm ubicacionem in eodem spatio: hoc repugnat: ergo. Resp.

Resp. neg. ma. non enim hoc sequitur; nam, quod diximus n. 994. de duabus actionibus, ab eadem causa ortis, scilicet, quod non habent finem, nec inadæquatè diversum, idem potest dici de duabus ubicationibus ejusdem classis, sive ad idem spatium determinantibus, ut patet consideranti. De reliquo iterum dico; si non appareat major repugnantia in duplice ubicatione ejusdem classis, quam in duplice actione totali diversæ classis, etiam eam transmittimus esse possibilem; nec enim vacat omnia examinare: nec etiam adversarii debent tanquam certam supponere implican- tiam talis duplicitis ubicationis; cum multi defendant, quod, casu quo penetrarentur duas hostias con- secratae, Christus eodem loco futu- rus sit per duplarem ubicationem ejusdem classis.

997. Cæterum quidam ex no- stra sententia patronis melius ar- gumentantur à possibilitate repli- cationis, quæ certa est, ad possibi- litatem duplicitis actionis totalis; nam etiam ubicatio, cum sit mo- dus, non est finis, sed intenta ad finem: neque ejus finis est determi- natio ad spatium, vel locum; aliás esset finis sui ipsius: sed ejus finis est corpus determinatum, aut de- terminabile ad locum, seu spatium, juxta dicta n. 985. & 986. & sicut ubicationes duas diversæ classis in replicatione respiciunt diversa spa- tia, idem tamen corpus: ita duas

actiones totales respiciunt diversas causas, attamen eundem effectum: certè nondum vidi, claram aliquam disparitatem ab adversariis assignatam fuisse.

998. Ob. 2. Finis essentialis actionis distinctæ est dare existentiam effectui, eam aliunde non habenti: sed una ex duabus actionibus totalibus deberet carere hoc fine: ergo. Confirm. Alterutra actio actum ageret: ergo nihil ageret: ergo ea- rum simultas est impossibilis. Resp. dist. ma. Finis essentialis actionis est dare existentiam effectui, eam aliunde non habenti, pro priori signo naturæ. om. ma. non habenti pro eodem signo. neg. ma. & mi. at- que conseq.

Finis essentialis actionis est dare effectui existentiam, in iis circumstantiis, in quibus ipsa datur: si er- go concurrant duas actiones totales, dabit quælibet existentiam ef- fectui, eam etiam aliunde habenti, sed pro eodem signo naturæ: inter- rim tamen neutra actio has circumstantias, vel hunc concursum exi- git: sed neque essentialiter exigit, eas circumstantias abesse. Ad con- firm. neg. ant. cum enim non præ- supponat effectum jam productum, cum producendo non agit actum.

999. Ob. 3. Actio distincta ab effectu, & tamen nihil ponens præ- ter seipsum, non est possibilis: sed alterutra ex duabus actionibus to- talibus nihil poneret præter se- ipsum: ergo. prob. mi. illa actio ni-

hil ponit præter se, qua ablata nihil aufertur præter ipsam : sed ablata una actione ex duabus totalibus nihil aufertur præter ipsam : ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. ma. cum enim causa, actio, & effectus, sint inter se realiter distincta, potest auferri causa, vel actio, quin formaliter auferatur effectus, ab ipsis positus : quod autem sublata actione qualibet effectus auferatur consequenter, pro omni casu etiam supernaturali, probandum est, non supponendum.

1000. Dices. Si affirmatio est causa affirmationis, tunc negatio est causa negationis : ergo, si positio actionis est causa positionis effectus, tunc negatio actionis erit causa negationis effectus : ergo sublata actione deber effectus consequenter auferri. Resp. neg. ant. universaliter sumptum. Hæc argumentatio est à negatione antecedentis ad negationem consequentis, quæ formaliter est mala, ut probatum in Logica n. 156. Licet autem aliquando materialiter bona sit, quando scilicet causæ, vel actiones, sunt necessariò, vel essentialiter requisitæ ad effectum, tamen non est bona, quando causæ, vel actiones, non sunt necessariò, vel essentialiter requisitæ, ut contingit in nostra casu.

1001. Ob. 4. Omnis effectus dependet per se à causa: hoc est, ut explicat Mastrius, ita, ut, si non daretur hæc actio, iste effectus non

daretur, saltem hoc instanti : sed hoc esset falsum in nostra sententia; nam, et si non daretur una actio, daretur tamen idem effectus per alteram: ergo. Resp. neg. ma. in sensu Mastrii; sicut enim effectus non posset pro hoc instanti produci ab alia causa creata : immo neque à Deo, quod est falsum. Effectus per se sunt indifferentes ad causam (de his enim nunc loquimur) determinantur autem ad eam per actionem, & per hanc ab illa per se dependent: quæ dependentia per se effectus stat in hoc, quod actio ita formaliter eum determinet ad hanc causam, ut non possit non dependere.

Nec dicas, effectum productum per duplicem causam totalem à nostra causa determinatè dependere, quod ipsum sit absurdum; nam hoc falsum est; dependet enim effectus ab utraque causa determinatè; nam dependentia determinata ab una causa tantum dicit formalem aliqationem ad eam causam: non autem excludit dependentiam etiam determinatam ab alia causa: certè, si plures sunt causæ partiales, etiam juxta adversarios effectus à quavis determinatè dependet, quo una dependentia excludat alteram.

1002. Dices. Est imperceptibile, quod effectus dependeat ab illa causa, qua negante illi, quidquid negare potest, tamen effectus datur: hoc debet admitti in nostra sententia: ergo. Resp. dist. ma. qua actu negante, quidquid negare potest. *concl.*

conc. ma. qua tantum potente negare, interim tamen actu non negante, sed dante, quidquid dare potest, neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. nam, si causa, quamvis possit negare, vel non ponere actionem, eam tamen actu ponat, adeo que per ipsam effectui communicet existentiam, cumque determinet, ut a se dependeat, utique mirum non est, si ab ipsa dependeat effectus.

1003. Ob. s. Dependentia supponit indigentiam, sive insufficien-  
tiam: ergo, ubi non datur duplex  
indigentia, seu insufficientia, neque  
potest dari duplex dependentia, seu  
duplex actio. Confir. Per quamlibet  
actionem tribuitur effectui es-  
sentialia: ergo per dupl. actio-  
nem tribuitur effectui duplex es-  
sentialia: hoc est impossibile: ergo. Resp.  
neg. conseq. sicut enim plures in-  
differentiae possunt per unicum de-  
terminativum tolli, e. g. indiffer-  
entia ad saltandum, & indifferentia  
ad ambulandum, currendum,

calcitrandum &c. per unicam alli-  
gationem pedum: ita contra po-  
test una indifferentia, vel insuffi-  
cientia, tolli, aut determinari per  
plura determinativa, seu per plures  
actiones.

1004. Ad confir. neg. conseq. non  
enim datur duplex essentia, sed ea-  
dem datur dupliciter. Pariter idem  
effectus producitur bis in eodem  
instanti, sed simul, non successivè;  
non enim potest dari successio in  
eodem indivisibili instanti. Neque  
ex eo, quod dentur duas productio-  
nes, dantur etiam duo producta;  
quia propterea non multiplicatur  
subjectum hujus concreti, quod ta-  
men necessarium esset ex Logica  
n. 669. Si quis objiceret, saltem non  
posse dari dupl. causam tota-  
lem in actu secundo; quin habeat  
duplicem, vel etiam triplicem effec-  
tum; eo quod etiam utraque actio  
sit aliquis effectus, responderi de-  
beret, conclusionem loqui de effec-  
tu indifferente, & distincto ab  
actione modali.

## ARTICULUS VIII.

### *An sit possibilis Actio Productiva Entis prius Corrupti.*

1005. Dico 1. Naturaliter non  
est possibilis actio re-  
productiva, sive reproducitio entis  
prius corrupti. ita communissima  
cum Sharezio disp. 5. Metaph. sec.  
9. n. 4. contra Platonem, & quo-  
dam: alios antiquos Philosophos,

docentes, quod post plura anno-  
rum millia, quando stellæ omnes  
iterum habituræ essent eundem  
omnino situm, quem primè habue-  
runt, reddituri sint in terras homi-  
nes pridem mortui, item bestiæ,  
ac plantæ dudum corruptæ, quos  
Ecc 2 refel-

refellit S. Augustinus *t. 2. de Civit. c. 13.* item contra adhuc unum, vel alterum, qui reproductionem rei jam corruptæ naturaliter possiblemente esse existimant.

**Prob. conclusio.** Quod in naturalibus nunquam producitur, etiam à causis necessariis, et si frequens esset occasio illud producendi, censendum est, naturaliter non posse produci: atqui in generationibus naturalibus nunquam producitur individuum, jam prius corruptum, et si frequentissima esset occasio id producendi, nempe in quavis productione alicujus individui, ex aliqua specie, ex qua jam aliqua individua corrupta sunt: ergo censendum est, naturaliter non posse produci individuum jam corruptum, adeoque esse impossibilem ejus reproductionem. **ma.** probata est *suprà n. 378.* **mi.** prob. ex communissima omnium hominum persuasione; nam omnes credunt, alios semper, & alios effectus sibi succedere, nec quisquam existimat, se Bucephalo inequitare, aut vinum à Noë jam haustum bibere, vel lenites, quas devoravit Esau, denuo comedere.

**1006.** Cæterum, ut fatear, hæc conclusio ab experientia probari non potest; quia per hanc non discernimus inter se iridividua prorsus similia: sed & aliud hujus sensus communis fundamentum à priori afferre difficile est, ut etiam agnoscat Suarez *citatus n. 1005.* po-

potest tamen cum eodem Eximio *cis. sec. n. 10.* dici, quod, cum virtus agendi naturalibus causis concessa sit ad eum finem, ut multiplicentur individua, earum naturis congruentius sit, ut concursum à Deo ad novos semper effectus recipiant. Addi fors potest ex Arriaga *disp. 2. Phys. sec. 4. n. 47.* naturalram propter suam pulchritudinem, quæ maximè in varietate consistit, exigere, ut semper novi producantur effectus. Sed negari non potest, quod ipse communissimus hominum sensus habeat majorem vim movendi intellectum, quam similia ejus fundamenta, per conjecturam tantum assignata, & in conjecturis tantum fundata.

**1007. Dico 2.** Supernaturaliter est possibilis reproductio rei jam corruptæ. ita Suarez citatus *n. 1005.* (Cubi ait, Durandum sentientem oppositum graviter errasse) & communissima aliorum. **Prob. argumento** *suprà n. 381.* explicato. Non implicant reproductio rei jam corruptæ: ergo supernaturaliter est possibilis. **Confir.** Etsi fortè in resurrectione mortuorum non reproducenda sit unio, prius per mortem destructa; eoquod tamen maneret idem moraliter homo, quamvis corpus, & anima; per novam unionem neckerentur; ut sentire videtur Arriaga *disp. 2. Phys. sec. 4. n. 45.* tamen de novo producetur prius corpus organicum, seu caro corrupta (nam homo non tantum in

in sua materia prima, sed etiam in corpore suo, & carne sua, resurget) ergo, sive corpus organicum, aut caro, dicat formas partiales, sive tantum aliqua accidentia, vel illæ, vel ista reproducentur; alias non eadem caro, vel idem corpus, reuiniret animæ: ergo actu dabitur, & consequenter est supernaturaliter possibilis reproductio rei jam corruptæ.

1008. Ob. 1. contra 1. concl. Res per suam destructionem, neque perdit possibilitatem intrinsecam, neque extrinsecam: ergo potest naturaliter iterum produci. prob. ant. possibilitas intrinseca sunt praedita essentialia rei: possibilitas extrinseca sunt causæ: sed nihil horum perditur, saltem sparsissime, per destructionem: ergo. Resp. 1. retorq. arg. quando tollitur applicatio ad lignum, eodem modo nec perditur possibilitas intrinseca, nec extrinseca ignis producendi: ergo ignis poterit produci sine applicatione causæ producentis. Resp. 2. neg. ant. ad prob. dist. 2. pma. sunt causæ solæ. neg. ma. sunt causæ cum omnibus conditionibus, ad actum primum proximum requisitis. conc. ma. & dist. sic. mi. neg. conseq. nam inter alias conditions etiam est negatio destructionis: hanc autem per destructionem perditur.

1009. Ob. 2. Ponatur res existens tribus instantibus: in hoc casu existentia ejus in tertio instanti non dependet ab existentia in se-

cundo instanti: ergo potest dari existentia rei in primo, & tertio instanti, quin detur in secundo: sed sic datur reproductio: ergo. Resp. dist. ant. existentia in tertio instanti non dependet ab existentia in secundo instanti absolute quoad primam productionem. conc. ant. non dependet conditionate (sive ex suppositione, quod jam extiterit in primo instanti) quoad conservationem. neg. ant. & conseq. atque conc. subsumpt. neg. iterum consequatiam.

1010. Ob. 3. Quod naturaliter producatur hoc potius individuum, quam aliud simile prius corruptum, dependet præcisè à libera determinatione Dei, cuius est determinare ad individuum: ergo ex eo, quod reproductio nondum contingit, non sequitur, quod non sit possibilis: consequenter nostra probatio conclusionis est nulla. prob. conseq. ex eo, quod causa libera aliquid non fecerit, non sequitur, quod id naturaliter non possit facere: ergo ex eo, quod Deus libere nondum determinaverit ad producendum individuum jam corruptum, non sequitur, quod non possit ad id naturaliter determinare.

1011. Resp. dist. ant. dependet à libera determinatione Del, quando datur totus actus primus proximus, ad naturalem productionem requisitus. om. ant. quando non datur totus actus primus proximus, neg. ant. & conseq. ad prob. neg. con-

conseq. Dixi om. ant. quia negant aliqui, determinationem ad individuum spectare ad Deum. Sed hoc omisso dico, quodd, sicut non dependet à sola libera determinatio- ne Dei ad individuum, ut naturaliter producatur potius individuum, quando passo causa creata est applicata, quam, quando passo causa creata non est applicata; quia defi- ciente applicatione non datur totus actus primus, ad naturalem pro- ductionem requisitus: ita neque dependeat ab eadem determinatio- ne, ut producatur potius individuum, nondum prius destructum, quam aliud jam prius destructum; quia deficiente negatione destruc- tionis non habetur totus actus pri- mus, ad naturalem productionem requisitus.

1012. Ob. 4. Varia experimen- ta probant, reproductionem entis destruci fieri naturaliter: ergo. Resp. neg. ant. & extra formam ad- duco experimenta afferri solita, at- que ad ea respondeo. Primo. Phœ- nicem renasci ex cineribus, fabula est, nee ab illo eruditio creditur: quod autem SS. Patres eam avem aliquando afferant, tanquam sym- bolum resurrectionis, nihil probat; cum tantum à phœnicis arguiten- tentur ad hominem, seu ad eos, qui ejus reproductionem credebat: quandoque autem tantum utuntur ea volucre per modum apologi: prout etiam S. Scriptura Iobi 29. v. 18: saltē secundūm aliquorum

versionem, phœnicem per modum apologi nominat: quamvis à vul- gata Latina ibi *palma* nominetur. Evidem Greca vox φοίνιξ etiam palmam significat, ut etiam teste Tirino in hunc locum Iobi Hebreæ vox *chol*: attamen, quidquid de hoc sit, ad apogenum non requiritur ve- ritas rei narratæ.

1013. Secundo. Muscae, quæ di- cuntur mortue asperso sale resufci- tari, non sunt verè mortue, sed tantum stupidæ, ac torpidæ; solent enim similia animalia, maximè pi- tuitosa, hyeme obrigescere, vel alia ex causa torpescere, inde a credere, calore, vel similibus, à corpore suo revocari. Idem contingit hirundi- nibus, frigore hyberno stupefactis, & in calido hypocausto ad se, qua- si ad novam vitam redeunibus. Si- militer igitur in aliis animalibus, tota dormitur hyems; quippe phlegma crudum, lendum, & viscosum, nervos obsi- dens, eos stupefacit, simulque sto- macho debili, & frigido, tanquam alimentum, quod modicum requiri- tur, subservit. Idem dici potest de aliis animalibus, de quibus simi- lia objiciuntur.

1014. Tertio. Lezam suos ca- tulos, quos mortuos peperit, ru- gitu ad vitam revocare, prorsus fa- balosum est. Quartò. Pelicanus pullis suis mortuis vitam suo san- guine reddere, non est verum: nec S. Augustinus Serm. 1. in 1. pars. psalm. 101. circa medium. hoc can- quam verusa afferit, sed tantum re- fert

fert sibi relatum : & statim addit: *Forse hoc verum, forse falso* s[ic]: quin etiam incertum est, an pelicanus pullos suos sanguine suo pascat; nam aliqui id negant, asserentes, id solum vulturem facere: sed replicari potest, pelicanum de specie vulturum esse: verum hoc nihil ad reproductionem rei destruetur.

Quinto. Membrum omnino abscissum ab animali perfecto, e. g. homine, vel leone, & emortuum, non potest amplius reuniri, & vivificari: quodsi etiam reuniretur, dicendum potius esset, produci novam unionem, quam reproduci destructam.

1015. Sexto. Resurrectio mortuorum non est naturaliter possibilis, ut habet S. Thomas in 4. dist. 43. q. 1. n. 1 *quasiunc 3. in corp.* ubi id fusè probat, ac in fine sic concludit: *Unde, et si ponatur esse aliquam potentia passiva ex parte corporis, seu etiam inclinatio quacunque, ad anima conjunctionem, non est talis, quod sufficiat ad rationem mortis naturalis; unde resurrectio similes cister loquendo est miraculus, non naturalis, nisi secundum quid, ut ex dictis patet: quæ dicta de verbo ad verbum repetuntur in Suppli.* q. 75. n. 3. in corp. & eandem doctrinam iterum S. Doctor ponit in 1. p. q. 105. n. 7. ad 2. docens, resurrectionem esse miraculum *supra spem etiam natura*, quamvis non *supra spem gratia*.

1016. Idem docet Suarez *som.* 2. in 3. p. disp. 44. sec. 7. ubi ait, hanc sententiam esse communem, tamque fusiū probat ex eo, quod ad resurrectionem nulla detur exigentia in natura: & sane, cum per eam fiat homo, non per generationem ex semine, sed longè alia ratione, non datur ad eam exigentia in principiis naturalibus. Quamvis autem forte detur in anima aliqualis inclinatio naturalis ad unionem cum corpore, qualem admittit S. Thomas 1. p. q. 76. a. 1. ad 6. tamen ea non sufficit, ut resurrectio fiat naturaliter, prout ipsem docet Angelicus, citatus in 1015.

1017. Quare Suarez sec. modo cit. recte dicit, quod anima, et si non libenter separetur à corpore; eo quod necrum experta sit statum separationis: tamen, si in eo existat, non patiatur violentiam ratione separationis; quia scilicet defectus conjunctionis cum corpore compensatur per alia bona: qualia in statu separationis per se essent, naturalis clarior cognitio Dei, quam impedit corpus, item exemptio à doloribus, & afflictionibus, quibus anima ratione corporis subjicitur. Accedit, quod, si anima naturaliter appeteret, reuniri corpori, appeteret reuniri corpori mortali; non enim ei deberetur corpus immortale: sed sic deberet iterum ab eo separari, ac dein iterum reuniri, & hoc in infinitum: quod videtur ex se

se absurdum. Contra 2. conclusio-  
nem nihil obijci potest alicujus mo-  
menti, nisi forte id, quod contra

resurrectionem mortuorum obje-  
ctum est, atque etiam solutum su-  
prā n. 352.

## QUÆSTIO TERTIA.

### *De Causa Efficiente Creatâ.*

#### ARTICULUS I.

*An Causa Creatâ possit agere physicè, quando non existit.*

1018. Dico 1. Causa creata po-  
test physicè agere. Hanc  
conclusionem ab au-  
toritate, & ratione efficaciter pro-  
bavimus à n. 107. &, quæ contra  
eam opponi posse videntur, solvi-  
mus à n. 136. nec opus est ibi dicta  
repetere. Sed jam ulterius queri-  
etur, an causa creata possit physicè  
agere, quando non existit; non e-  
nim desunt aliqui ex Thomistis, qui  
dicunt, quod, et si causa creata non  
possit physicè agere, quando non  
dum extitit, possit tamen, quando  
jam extitit, adhuc physicè agere in  
instanti, quod immediate sequitur  
illud instans, in quo ipsa ultimò  
extitit, seu in instanti, in quo pri-  
mò non amplius existit: contra  
quos.

1019. Dico 2. Causa creata non po-  
test physicè agere, quando non ex-  
sistit. ita Aristoteles s. *Mesaph. sext.*  
3. docens, actu agentia, seu causas  
in actu secundo, & effectus simul  
esse. Suarez *disp. 26. Metaph. sec.*  
2. n. 16. cum omnibus nostris, &

plurimis aliis. Prob. Causa non po-  
test physicè agere, antequam ex-  
stat, ut omnes docent, & alias pos-  
set seipsum saltem mediately produ-  
cere, producendo scilicet suam cau-  
sam, quod impossibile esse fatis jam  
probatum est à n. 337. ergo neque  
potest agere, quando non amplius  
existit, prob. conseq. causa non ha-  
bet magis virtutem agendi, quan-  
do non amplius existit, quam, ante-  
quam extiterit; in utroque enim  
casu nullam habet: ergo.

Consiem. Causa non potest age-  
re longo tempore, postquam exti-  
tit: ergo neque potest agere primo  
instanti, quo non amplius exis-  
tit, non negatur, sed potius con-  
firmatur communissimo omnium  
sensu, dum nemo putat, eam du-  
dum mortuum posse adhuc latrare,  
vel mordere. prob. conseq. causa  
primo instanti, quo non amplius  
existit, tam parum aliquid est, quam  
parum aliquid est post longum tem-  
pus, ex quo cessavit existere: er-  
go non potest plus agere primo in-  
stan-

stanti, quo non amplius causit, quam longo post tempore.

1020. Respondent adversarii, causam in primo instanti post suam desitionem, non quidem manere formaliter in ratione entis, attamen manere virtualiter in ratione cause. Sed contra. Vel per manere virtualiter in ratione cause tantum intelligunt, quod post destructionem causae maneat aliquis effectus, ab ipsa prius productus, qui deinde physicè agat, & producat novum effectum, qui possit adscribi ipsi primæ cause, sicut nepos adscribitur aro: & sic causa, non amplius existens, non agit immediate physicè, quod solum negamus; nam quod causa adhuc mediatae sepe agat, est innegabile: sane sic planta producit semen, & hoc iterum novam plantam, & novum semen. Vel per manere virtualiter in ratione cause intelligunt, quod maneat causa, potens adhuc immediate physicè agere, licet non amplius maneat existens: & hoc vel maximè est in quaestione, atque adversarii committunt vicioram petitionem principii.

1021. Ob. 1. Ad hoc, ut causa producat effectum, sufficit, si sit contigua quoad locum: ergo etiam sufficit, si sit contigua quoad tempus. Confir. Sacraenta causant physicè gratiam, aut alios effectus, quando non amplius physicè existunt: ergo. Resp. neg. conseq. Licet causa non existat in eodem

*Tome. II.*

loco cum effectu, tamen habet actu virtutem evita producendi: necequiritur semper compenetratio agentis cum passo; nam ab experientia evidens est, quod multi effectus producantur in subjectis non compenetratis: quin imò, si etiam agens sit remotum à passo, tamen habet virtutem producendi esse. Etum, quamvis non omnino completam, sed adhuc privatam aliqua conditione, nempe applicatione, quæ requiruntur ad naturaliter agendum, ita tamen, ut, sicut aliæ conditiones, aut dispositiones, sic etiam ista possit supernaturaliter à Deo suppleri.

Econtra causa non existens non habet actu virtutem, pro eo instanti, pro quo non existit; quia, sicut ipsa non datur, ita nec datur virtus activa, cum ipsa identificata: consequenter non potest effectum physicè producere; quia, ut physicè eum producat, debet actu habere virtutem, ut probatum fuit n. 1019. Ad confir. neg. ant. Plurimi Theologi negant, quod sacramenta physicè causent gratiam: alii autem tantum admittunt, quod extremæ eorum partes physicè existentes gratiam physicè causent: qui plus dicunt, suam sententiam non probant.

1022. Ob. 2. Poteſt aliquid physicè mutari, quando non amplius existit: ergo etiam potest operari physicè, quando non amplius existit, prob. ant. in morte non amplius existit

F f f

he-

homo, & tamen tunc physice mutatur: ergo. Resp. dist. ant. id est, potest dari tota mutatio. neg. ant. potest dari tantum una pars; scilicet negativa mutationis. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. ant. & conseq. ut prius. Mutatio est totum successivum, & dicit transitum à non esse ad esse, vel vi-

cessum ab esse ad non esse, adeoque dicit duos, nempe in uno instantem, in altero ejus negationem, quæ nunquam simul dantur; & hinc ita quæ simul datur tota mutatio, neque potest simul dari; alias deberet res simul existere, & non existere, quod est Chimericum.

## ARTICULUS II.

*An Causa Creatæ possit physice agere, ubi non est.*

1023. **Q**uestio hæc sub aliis etiam terminis solet proponi, nempe, an sit possibilis actio in distans: seu, an causa creatæ possit agere in passum, cui non est applicata. Applicatio autem agentis ad passum est multiplex, ut pluribus dicemus infra n. 1061. hic autem tantum querimus, an sit possibilis talis actio, ad quam nulla prorsus datur applicatio causæ efficientis creatæ ad subjectum, in quo effectus producendus est.

1024. Dico 1. Supernaturaliter est possibilis actio in distans. ita communis. Prob. Non implicat talis actio: ergo est possibilis ex n. 381. Confir. Potest Deus supernaturaliter cum creaturis dispensare in aliis similibus conditionibus: ergo etiam in applicatione, alias requisita ad agendum. prob. ant. potest Deus facere, ut creatura existat hodie, & perendie, quin existat cras, si scilicet eam reproducat: po-

test facere, ut nunc existat in hoc loco, & postea in alio distante, non transite medio, ut contingit in corpore Christi, quod ratione duratum consecrationum existit in duabus templis, & in cœlo, quin transeat per intermedia spatia: ergo.

1025. Dico 2. Naturaliter tamen non est possibilis actio in distans: ita Philosophus 7. Phys. text. 10. & seq. ubi movens, & motum, debere esse simul, sive contigua, fusiū probat per inductionem, in triplici motu, nempe lationis, alterationis, & augmentationis. S. Thomas 1. p. q. 8. a. 1. in corp. & ad 3. item 3. costr. Genitil c. 68. per totum. Suarez disp. 18. Metaph. sec. 3. à n. 14. & alii communiter.

1026. Contrarii sunt quidam Scotistæ, quibus tamen Scotus non omnino assentitur; nam teste Suarezio cit. sec. n. 2. Scotus tantum docet, quod causa quandoque agat in passum remotum, non ita, ut in me-

medio interjecto nihil agat, sed tantum ita, ut in medio non producat effectum ejusdem speciei cum illo, quem producit in passo remotoe sed hæc non eft actio in distans strictè dicta, & de ea recurret fermo inferius.

1027. Prob. conclusio cum Aristotele ab inductione. Constat ab experientia, quod plurimæ causæ, de quarum modo operandi nobis certo constat, non possint agere in distans: & non datur vel unica experientia de una causa, qua prober, quod possit agere in distans: ergo naturaliter non eft possibilis actio in distans. conseq. negari non potest; quia juxta omnes bona eft argumentatio ab inductione legitima, qualis eft, quando à plurimis rebus, sub aliqua ratione communi convenientibus, argumentamur ad alias, quæ sub eadem ratione convenient, & in quibus non potest ostendi specialis ratio in oppositum, atque inferimus, quod idem de his, ac de prioribus dici debeat: sic, quia plurimas aves videmus nasci ex ovo, & de nulla scimus, quod aliter nascatur, nec etiam eft specialis ratio aliquam excipiendi, absque hesitatione dicimus, omnes aves nasci ex ovo: & sic de aliis.

1028. Prob. jam ant. Videmus in omnibus causis, quarum modus agendi sub experientiam cadit, quod, quando non possunt, actionem suam propagare per medium, etiam non possint agere in passo re-

moto, etiæ iftud sit adhuc intra sphæræ activitatis, seu intra illud spatiū, in quod causa circulariter in omnem partem agere potest: ergo. prob. ant. sic; licet aliquod cubiculum sit intra sphæræ activitatis solis, tamen iste non potest in illo prouidetur, si valvæ clausæ actionem ipsius intertrumpant: similiter obiectum, e. g. maxima turris, non potest clausis valvis producere in cubiculo species visivas, etiæ longè ultra illud cubiculum possit vitari; pariter ignis non potest calefacerre partes remotas cubiculi; si non possit calefacerre proximiiores intermedias: nec unquam calefaciet remotas, ni simul, vel prius calefecerit proximas intermedias: sic etiam glacies, vel aqua, non potest unquam prouidere frigus in subjecto remoto, nisi id prius prouiderit in proximiore intermedio: & eadem eft experientia de plurimis aliis, quæ supervacaneum eft referre: ergo.

1029. Confir. Communissime homines judicant, quod causæ non possint agere, niſi sint applicatae: & hinc, si quando vident prouidi effectum, nec tamen simul vident causam applicatam, e. g. quando vident, ferrum moveri à magnete, mirantur, & in applicationem inquirunt: ergo, cum non possit aliqua experientia indubitate afferri in oppositum, debet dici, quod causæ non possint agere in distans. Confirm. Unusquisque, dum sentit,

cit, in se fieri motum, statim naturali instinctu judicat, cum fieri à principio propinquo, & applicato, & hinc ordinariè mox circumspicit: quin etiam querit fugere, si quid mali imminere ex eo motu colligat: certè, qui existens in suo cubiculo sentit inflictam sibi alapam, nūquām sibi persuaderi sinet, percussorem esse in alio cubiculo, vel retro parietem: ergo quivis judicat, causam non posse agere in distans.

1030. Nec dicas, motum, vel percussum, vel aliter male habitum, ideo fugere, ut exeat extra sphæram activitatis cause agentis; licet enim hoc aliquando fiat, tamen frēpe non fit; nam e.g. sēpē ex loco solis radiis nūmiū exposito redimus, non, ut sphæram activitatis solis effugiamus (cū id impossibile sit; eoquād illa sphæra se longissimē ultra omnem terram extendet) sed, ut fugiamus applicationem solis; unde aliquando non abimus ex loco, sed expansis tentoriis, aut velis, vel interpositis afferibus, aut aliis umbram facientibus, radiorum propagationem impedimus: sic etiā hostis gladio opponitur clypeus, quo corpus tegitur; non autem extra sphæram activitatis extrahitur.

1031. Ob. 1. contra 1. conclus. Causa absolutē non potest agere, si non habet virtutem agendi: sed causa non applicata non habet virtutem agendi. ergo. Confirm. 1.

Causa non potest agere, quando non est: ergo neque potest agere, ubi non est, seu, ubi non est applicata. Confirm. 2. Omnia possunt explicari per replicationem: ergo non debet admitti actio in distans. Resp. dist. ma. causa absolute non potest agere, si nullam habet virtutem agendi. conc. ma. si non habet virtutem adæquatam, aut naturaliter completam. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

Causa etiam inadæquata potest utique agere: &, licet non possit in actu secundum exire causa, nisi completa, & proximè expedita sit virtus agendi, tamen non debet esse completa, vel expedita naturaliter: sed sufficit, si supernaliter completa, vel expedita reddatur; alijs anima rationalis non possit unquam influere in ultimum actum supernaturalem: quod est omnino falsum. Ad 1. confirm. neg. conseq. disparitatem jam dedimus n. 1021. Ad 2. confir. neg. conseq. nam Deo gloriosius est, posse eundem effectum producere variis modis pro sua libera voluntate.

1032. Dices 1. Deus non potest supernaturaliter supplere defectum applicationis: ergo nulla responso. prob. ant. non potest etiam supernaturaliter dari amor objecti sine cognitione ipsius, & Deus non potest supernaturaliter supplere defectum cognitionis: sed cognitio est tantum applicatio intentionalis objecti: ergo Deus non potest supple-

re defectum applicationis. Resp. dist. ant. Deus non potest supplere defectum applicationis intentionalis. om. vel conc. ant. defectum applicationis physicæ. neg. ant. & conseq. ad prob. syllogismus non est legitimus; nam distribuitur, seu accipitur universaliter in conclusione applicatio, quæ tantum fuit accepta particulariter in præmissis.

Unde dist. conseq. non potest Deus supplere defectum applicatio- nis intentionalis. om. vel conc. con seq. defectum applicationis physi- cæ. neg. conseq. Quid non pos- sit suppleri à Deo defectus applica- tionis intentionalis, ratio est spe- cialis; quia scilicet juxta commu- nem nihil volitum, quin præcogni- tum: at nulla ratio similis probat, non posse suppleri defectum applica- tionis physicæ: neque ex eo, quid Deus non possit dispensare in aliquibus conditionibus, sequitur, quod non possit in aliis, ut sat satis colligitur ex n. 1024. Dixi om. vel conc. ant. quia Jacobo Alvarez de Paz som. 3 de vita spirit. l 4. p. 3 c. 8. videtur omnino probabi- le, quod viri spirituales quandó- que habeant amorem Dei, sive præ- via cogitatione: adeoque eorum voluntas agat, sive applicatione in- tentionali objecti.

1033. Dices 2. Deus debet sal- tam causam creatam applicare per seipsum, tanquam per concausam, ratione suæ immensitatis: ergo semper datur applicatio causæ crea-

tu. Resp. neg. suppositum ante- cedentis; nam ex eo, quod creatu- ra una cum Deo immenso constitu- at unam causam adæquatam, non datur applicatio per concausam: sed hæc tantum datur, si una causa cre- ata applicetur per alteram causam creatam, ut dicemus n. 106 r. alii, cùm Deus sit immensus, & insuper debeat ad omnes effectus cum cau- sa creata concurrere, hæc quaestio devolveretur ad inutilem literam de voce, ut patet consideranti.

1034. Ob. 2. Si creatura potest agere in distans, tunc potest agere in omni spacio imaginario: sed sic adæquaret omnipotentiam Dei, quod est implicitorum: ergo. Resp. majorem non sequi immediate ex nostra conclusione, ut patet consi- deranti: dein debet ea intelligi de omni spacio, vel loco distributivè sumpto; nam in omni collectivè sumpto non potest agere; quia non potest agere in locis categorematicè infinitis; quare om. ma. neg. mi.

Omnipotentia Dei potest ex vir- tute sibi propria, & non tantum ele- vibili, sed potente etiam alias causas elevare, potest, inquam, in omni spacio distributivè sumpto, & syncategorematicè infinito, agere, non quomodo cunque, sed ubi vis diversissimas species, & maximas perfectiones producendo, quod nulla creatura potest ex propria virtute: quin imò omnipotentia po- test primò producere omne produ- cibile, quod nulla creatura potest;

nulla enim potest primò producere seipsum; cùm tamen ipsa producibilis sit.

1035. Ob. 3. Hæc argumentatio est legitima: *Causa prima ubique operatur: ergo ubique est: ergo etiam hæc est legitima: Causa secunda, seu creata hic operatur: ergo hic est.* Resp. retorq. arg. Hæc argumentatio eodem modo est legitima: *Causa prima ubique operatur: ergo est ubique, cum omnibus passis intimè penetrata: ergo etiam hæc est legitima: Causa secunda hic operatur: ergo est hic, cum hoc passo intimè penetrata: quæ consequentia est aperte nulla.*

Resp. 2. cum Scotistis, & Vasquez in 1. p. disp. 28. c. 1. & seq. ac aliis. neg. ant. Argumentatio illa non est formaliter, sed tantum materialiter bona, quatenus ex omnipotentia Dei, non quidem formaliter, & immediatè, sed materialiter, & mediatè infertur immensitas Dei; vel, quia una perfectio, realiter simpliciter simplex, & infinita, qualis est omnipotentia, exigit identitatem cum omnibus aliis perfectionibus simpliciter simplicibus, inter quas etiam est immensitas: vel ex omnipotentia Dei ubique operante infertur immensitas; quia, ut habet de Benedictis, l. 4. Phys. q. 3. c. 3. s. Nomine. causa alicubi operans, saltem exigit, posse esse ibi, ubi operatur, & in

Deo, tanquam actu purissimo, idem sunt, posse esse alicubi, & actu ibi esse: formaliter autem, ut dictum, non infertur ex omnia potentia, vel etiam actuali operatione Dei, ubique ejus præsentia, sicut non infertur compenetratio.

1036. Dices. S. Paulus Actor. 17. v. 27. & 28. ex omnipotentia Dei infert præsentiam ejus ubique; sic enim ait: *Quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus:* ergo. Resp. neg. ant. sed juxta quosdam auctores Apostolus potius ex immensitate Dei infert ejus præsentiam; juxta Vasquez in 1. p. disp. 28. c. 4. v. 17. Arriagam loc. modò cit. Hurtadum disp. 9. Phys. sec. 6. § 72. Lörinum in c. 17. Actor. v. 27. Cornelium à Lapide etiam in c. 17. Actor. v. 27. & alios, S. Paulus eo loco non agit de præsentia Dei quasi locali, sed de intentionali, respectu intellectus, seu de ejus cognoscibilitate.

Cum enim Apostolus præmisisset, Deum fecisse mundum, & omnia, atque ex uno homine produxisse genus humanum, ex hoc infert, Deum posse attractari, non utique manu, sed intellectu, seu cognitione, id est, Deum facile ex ipsis operibus posse cognosci, adeoque non longè esse ab unoquodque nostrum, seu uniuscujusque nostrum cognitione. videantur auctores citati.



ARTI.

## ARTICULUS III.

### Solvuntur Objectiones contra Secundam Conclusionem.

1037. A Nequam ad solutionem  
objectionum contra se-  
cundam conclusionem accedam,  
noto 1. eas fieri, non tam animo  
impugnandi nostram assertionem,  
quām inquirendi, in occultam cau-  
sarum ad varios effectus producen-  
dos applicationem; unde ex iis po-  
tiū confirmatur ratio à nobis ad-  
ducta, ex sensu communi; nam  
omnibus videntur isti effectus val-  
de mirabiles ideo; quia est occul-  
ta applicatio causarum: & ideo  
quilibet stimulatur ad indagandum,  
quām ratione tandem agentia  
applicentur ad passa: hoc autem est  
signum, quod omnium animis sit  
firmiter persuasum, actionem in di-  
stans naturaliter non esse possibi-  
lem.

1038. Noto 2. etiam in experi-  
mentis, contra hanc conclusionem  
objectis, causas non agere illimita-  
te in infinitum, sed tantum intra  
sphærā activitatis limitatae: sic  
e.g. magnes non attrahit Monachio  
ferrum hucūque, sed tantum ex  
loco satis vicino. Noto 3. etiam  
in his experimentis accidere, quod  
causa, si earum actio interrup-  
tur in medio, non amplius agant in  
spatio remoto (sic basiliscus, qui di-  
citur visu necare, neminem occi-  
dit, qui stat post parietem, et si ejus,

id est, basilisci, oculi versus illum  
rectissimè vertantur) hoc autem est  
clarum indicium, quod actio non  
detur in passo remoto, nisi usque  
ad istud continuetur ab agente per  
medium.

1039. Noto 4. applicationem  
causæ in tribus casibus duplicem  
ab auditoribus assignari. Quidam,  
præsertim multi ex Peripateticis,  
adstruunt qualitatem aliquam, à  
causa productam, atque per me-  
dium usque ad passum propagantem  
quæ, licet in medio non producat  
effectum, saltem talem, quam in  
passo remoto; eo quod medium non  
sit dispositum, tamen serviat ad  
actionem continuandam: sic, ut ait  
Suarez disp. 18. Metaph. sec. 18. n.  
19. objectum producit per totum  
medium aërem species visivas, que  
tamen in aëre ad aliud utiles non  
sunt, quām, ut actio per aërem con-  
tinuetur usque ad oculum; nec enim  
in aëre producere possunt visionem,  
propter ejus incapacitatem: sed eam  
producunt in solo oculo.

Hæ qualitates à quibusdam vo-  
cantur *Qualitates Occulta*: sed me-  
lius cum Cabeo dicerentur *Innomi-  
natae*; nam in suis effectibus satis se  
manifestant, quamvis nomen deter-  
minatum in particulari ipsis nec-  
dum impositum sit. Rident quidem  
Ato-

Atomistæ has qualitates, tanquam asyla ignorantie peripateticæ: at ipsi sèpe configiunt, ad similiter occultas, atque innominatas texturas, combinationes, figuræ, motus &c. quæ eadem ratione possunt argui inseparabiles, vel etiam nimis præsumptionis.

1040. Alii verò auctores (præsertim Atomistæ, quibus tamen plures Peripatetici, saltem quoad multa, nec immerito consentiunt) asserunt, applicationem causarum in similibus experimentis sèpius ponendam esse in effluvio corpusculorum, à causa agente in passum, vel vicissim emissorum. Et sane effluvia corpusculorum negari non possunt; nam, ut globus terraqueus suam habet atmosphærā permagnam, in quam vapores, & exhalationes emittit, ex quibus dein innumera meteora nascuntur: ita quodlibet corpus habet suam atmosphærā minorem, sibi proportionatam, seu spatiū quoddam, in quod corpuscula, seu effluvia sua emittit. Sic in homine ingens est expiratio per sudorem, & similes excretiones sensibiles: & testantibus celeberrimis Medicis major adhuc est expiratio insensibilis: eademque videtur esse ratio de aliis animalibus.

1041. In plantis etiam copiosa esse effluvia ex eo necesse est, quod alimenta superflua non aliter, quam per transpirationem excernant: item, quod odorem, qui probabili-

ter sine effluvio corpusculorum non propagatur, aliquando ad centena milliaria diffundant; referunt enim nautæ marini, ad centum milliaria Italica sentiri odorem cinnamomi ex Zeilano: alijs sunt, ex Molucis ad ducenta milliaria sentiri odorem ejusdem cinnamomi, & cariophylorum. Accedit, quod ligna, & alii plantæ, quin & fructus, tandem siccentur, & notabiliter macrescant, adeoque multum de sua substantia perdant.

Sed & inanimata, etiam metalla, habere magnam expirationem meritò arguitur ex Mercurio, ex quo plurimi halitus volant, & sèpe postea in auro, vel etiam in capite hominis, Mercurium tractantis, congregantur. Varios etiam liquores, ac spiritus, magnam corpusculorum copiam emittere, sufficiētissimè probant eorum odor, æ vis, in caput, & alia membra humana penetrans, item inimicia cum akis spiritibus &c.

1042. Emittuntur autem corpuscula, tum in poris, id est, minutissimis corporum foraminibus latentia, tum etiam ab ipsis partibus integrantibus corporis insensibiliiter avulsa; nam planè sèpe in homine videtur caro ipsa deficere, & non tantum sanguis, aut alijs sucus in poris latens: & de Mercurio est evidens, quod ipsemet in halitus abeat, ac diffundatur. Jam his suppositis potest probabilissimè responderi, in omnibus casibus, in quibus

quibus apparenter datur actio in distans, dari ſemper applicationem agentis ad paſſum, vel per effluvia ab agebte ad paſſum, aut à paſſo ad agens emissa, vel per aliquam qualitatem innominatam, per medium uſque ad effectum productam.

1043. Ut autem hæc responſio applicetur particularibus experimentis, h̄ic objici ſolidis, quædam adduco, non omnia, ne infinitus ſim: attamen ex responſionibus, quas h̄ic dabimus, etiam alia proportionaliter ſolvi poterunt: inſuper majoris brevitatis studio extra formam experimenta expli-co. Itaque primò avis, latine *Gal-galus*, græce *Icteros* dicta, ut ajunt, ſi ab ea, qui icterico morbo labo-rat, apieiat, eum sanat, ipſa ve-ro moritur: cauſa autem hujus ef-fectus non eſt aspectus, ſed capaci-tas avis illius ad recipienda efflu-via biliosa, quæ ſunt morbi icteri-ci cauſa; dum enim hæc effluvia, in ſubiecto tam apto recepta, ad ægrotum non redeunt, hic tandem liberatur: at avis moritur; nam, li-cet forte ei bilis per ſe non ſit ini-mica, tamen poteſt ejus nimetas ipſam occidere, ut ſæpe nimetas aliamenti, intemperanter ſumpti, occidit alia animalia.

1044. Secundò. Similiter etiam lapis, *Cobra* vocatus, dicitur exuge-re venenum ex corpo, ſi fiat in iſto modicuſ vulnus, eique appli-cetur hic lapis; quia & ipſe eſt ſub-iectum aptum recipiendis venena-

Tow. II.

tis effluviis, utpote in ſerpente In-dico natus, ſeu concretus: potest que per ſua effluvia in illis virulen-tis corpusculis cauſare aliquam fer-mentationem, aut motum, quo ad iſum ferantur. Quod autem dein laeti immiſſus iterum venenum di-mittat, ſeu quaſi expuat, denuo re-fundendum eſt in novam commix-tionem effluviorum amicorum, aut potius irritationem, & fermenta-tionem inimicorum.

1045. Tertiò. Falso eſt, quod homo ictus à *Tarantula* (quæ eſt species arenarum) tamdiu patiatur ab ejus veneno, quamdiu illa beſtia vivit; nam, ſi longè auſugit, non potest conſervare vim veneni; unde proverbium Italicum: *Mortua beſtia moritur venenum*: inteligen-dum eſt in hoc ſenſu, quod ipſa oc-ciſa proſit homini, ab ea iicto, ferè ut *scorpius*; eoquod forte vulni imposita, vel attrahat venenum, vel oppofitiſ corporuſculiſ aliter re-medium afferat. Quod autem muſi-ca currentur à tarantula iicti, inde eſt, quod muſi-ca excitentur ad fal-tum, & iſto ad ſudorem, quo ve-neum exudant: & hinc pro diverſitate veneni, vel etiam tempera-menti hominiſ iicti, ſæpe mutanda eſt muſi-ca, donec veneno infectus excitetur ad saltum.

1046. Quartò. Quando piſciſ *Torpedo* dictus, qui dicitur habere figuram raize, longitudinis circiter duorum pedum, dorſo plano con-vexo, quando, inquam, mordet hamum,

G g g

hamum, & sàpe, ut referunt, stu-pefacit manum pescatoris, ità, ut obrigescat, sufficienter applicatur pescatori, si non per qualitatem, certè per emissâ corpuscula, nervos instar opii stupefacentia, quæ pi-scis, per hami dolorosam infixio-nem irritatus, atque commotus, emitit. Interim D. Valentini l. 3. *Musai musacorum c. 33.* scribit, esse falsum, quod Plinius afferit, nem-pe torpedinem stupefacere pescato-re, si fune, vel remo, ab ipsis tang-gatur: & hunc effectum tantùm attribuit tactui immediato pescis. Idem testatus est etiam D. Reaumur in Academia Parisiensi, ut habent *Mémoires pour l'histoire des scienc-es à Trevoux.* tom. 4. an. 1718, Octobr. n. 47. pag. 699. quamvis addiderit, quòd, si tactum subtile aliiquid mediet, stupor adhuc aliquis, licet remissior, sentiatur: & insuper dixerit, pescem hunc caudâ impunè prehendi.

Quintò. *Bufo*, dum aperto ore lusciniam, aut serpens *Trabs* dictus, simili modo cervum attrahit, vero-similius utraque bestia emitit corpuscula, quæ cerebrum lusciniæ, ac cervi, vehementer perturbant, adeò, ut illa sui impos ex uno ramo in aliud, ac tandem in rectum bufo-nis descendat: hic verò sibi ipsi fugâ consulere nesciat, adeòque de-voretur.

1047. Sextò. Pariter emitunt corpuscula feles, quæ quibusdam homi-nibus, ob speciale eorum tempera-

mentum, suam valde inimica, eos-que ad sudorem, & vix non ad de-liqua adigunt. Similiter basiliscus venenatos halitus emittit, quibus necat eum, quem dicitur aspectu necare. Quædam etiam vetulæ, dum aspiciunt teneros infantes, emitunt putridos halitus, vel spi-ritus, ex corruptissimo earum san-guine ortos, quibus tenellos pusio-nes pessimè afficiunt: sicut aliquan-do etiam, ut fertur, specula, quæ inspiciunt, sanguineis notis infi-ciunt: & hæc sinè omnibus præsti-giis fieri possunt. Addo tantùm, quòd Diemerbroeck l. 3. *Anatom.* c. 13. non malè probet, hos spi-ritus, vel halitus, specula inficienes, vel aliter malignos, non tam ex oculis, quæ ex ore, emitte-

1048. Septimò. Si sanguis, è ve-nis emissus, & soli ferventi expo-situs, calorem etiam extraordinarium causat in phlebotomo, causa esse debet reditus corpusculorum sanguinis, à sole intensè calefacto-rum, ad corpus, unde emissâ sunt: quod fieri potest, si phlebotomus sit in vicinia, & sanguis adhuc satis recens. Cæterum scio, phleboto-mum quendam nil mali sensisse ex eo, quòd post aliquod tempus san-guini ejus superinfusa sit aqua for-tis, quæ utique nos minorem al-terationem facit, quæm calor solis.

Octavò. Canes dominos, sat diu prægressos, ex odore sentiunt; nam-que corpuscula ab istis relitta sag-cessimis naribus excipiunt.

Nonò.

Nonò. Quòd fervescant vina in doliis, dum florent vites, quòdque sàpē turbida fiat cerevisia, dum floret hordeum, non oritur ex effluvio corporisculorum; sàpissime enim nimis temotæ sunt vites à vino, in alias regiones avecto (& ratio eadem est de cerevisia) sed oritur ex influxu solis, & syderum, ac anni tempestate, effervescentiam aliqualiter similem, in paucis similibus causante. Eodem modo explicandum est, quòd, dum cæpe, & allia, in hortis florent, etiam in cellis, & cryptis germinent.

1049. Decimò. Si cadaver hominis occisi aliquando ad præsentiam occisoris sanguinem, e. g. è naribus, effundat, id extraordinarium est, ac sàpē casuale; & hinc istud non est indicium sufficiens ad torquendum, minùs ad condemnandum aliquem: de quo videatur Schmalzgrueber L. 5. sit. 35. de Probas. vulgari. n. 8. item Pichler eod. n. n. 4. Si tamen aliquando naturaliter talis effusio sanguinis contingueret, id est fieret, quòd ex diu durante inimicitia, & effervescentia bilis, in occisore, & occiso, enati fuissent inimici, & venenati spiritus: ex quibus ii, qui in cadavere erant, à contrariis præsentis occisoris spiritibus irritati, ac fermentati, impetuose prosilirent, simulque sanguinem protruderent. Illud autem, quod refert Dechales som. 4. Curs. Marsh. tr. de Meteor. aqu. prop. 3. nempe (dum ipse Lug-

duni Mathesin doceret) cadaver filii, ibidem in Rhodano submersi, accidente patre induisse ruborem, & eo recedente iterum amississe, sed ipso denuo accidente rursus recuperasse, potius videtur refundendum in spiritus amicos, seu consimiles patris, & filii, ita, ut effluvia patris provocaverint effluvium aliquale similium spirituum in filii cadavere.

1050. Undecimò. Fertur pulvis sympatheticus sanare vulnera in loco valde remoto. Sed respondet recentior quidam Lugdunensis in primis eruditus, in manuscriptis dictatis, se experientiâ doctum fuisse, multa esse falsa, quæ de pulvere illo narrantur: nec eum sanare vulnera, nisi in distantia valde modica, & ita quidem, ut pulvis debeat applicari, vel ipsi vulneri, vel linteo sanguine imbuto, quod tamen linteum, vel penes ipsum saucium, vel certè in eodem cubiculo asservetur, ut adeò, cum pulvis ille plurimos spiritus emittat, facile per horum effluvium applicatio ejus ad vulnus possit explicari.

Quodsi aliquando aliqui in remotiorem distantiam curati fuerint, ait hic auctor, id factum esse, non virtute pulveris hujus, sed curâ ab ægroto adhibitâ; nam præcipit ut ægrotis, ut vulnus diligenter tergant, & mandum servent, qua sola industria adhibitâ potest vulnus naturaliter sanari: & sanè hoc contingit in innumeris feris, quæ

sine alio remedio curantur. Addic dictus Lugdunensis, hujus pulveris auctorem, vel potius divulgatorem, fuisse celebrem Anglum Kennelnum Digbzum, qui ejus usum, ac etiam modum conficiendi, didicerit à quodam Religiosa Carmelite.

1051. Duodecimò. Eodem modo respondendum, si objiciatur unguentum armarium: circa quod tamen addo, quod, si, ut quidam volunt, eonfici debeat ex adipe, cruento, aut cerebro, hominis in patibulo suspensi, videatur non carere superstitione; nam similia exigere dæmones ad beneficia solent: si insuper debeant arma, quæ læserunt, ineptè, vel ridiculè unguento illo inungi, e. g. gladius à cuspidé ad capulum, si homo punctum læsus fuerit: at verò enīs ab acie ad tergum, si cæsim vulneratus fuerit: adhuc majora indicia sunt superstitionis. Sed & auctor hujus unguenti, qui Paracelsus fuisse dicitur, homo non optimæ certè famæ, illud suspicione superstitionis non eximit.

1052. Decimotertiò. Quando succinum, cera Hispanica, resina, ac similia, affictu aliquo calefacta, ad se trahunt paleas, minutæ festuccas, aut frustula exigua chartæ, id juxta aliquos faciunt per qualitatem quandam attractivam, electricis talibus inhærentem: sed melius videtur dici, causam esse effluvia corpuselorum, calore per affiectio-

nem causato excitatorum, quæ dum ab ære ambiente impediuntur, quo minus longius progrederantur, determinantur ad motum circularem, seu reflexum ad corpus unde emissæ fuerunt; hinc fit, ut in festuccas, paleas, aut similia levissima incurvant, eaque, partim sua viscositate, partim impulsu, secum abripiant ad corpus electricum: sed ei non firmiter affigant; nam facilimè iterum removentur, quin sponte decidunt.

1053. Decimoquartò. Experiens præcipue de magnete, nempe ejus conversio ad polos, & attractio ferri (de quibus suprà ann. 30.) ab antiquis communiter, & adhuc à multis recentioribus, explicantur adstruendo quandam qualitatem magneticam innominatam, tam, vel geminam, qua magnetæ vertantur ad polum mundi, quaque ad se attrahat ferrum. Hanc qualitatem volunt à magnete propagari per totum medium usque ad ferrum, ita tamen, ut in aliis corporibus effectum attractionis, vel conversiois ad polum, non operetur: quia nempe solum ferrum est subiectum dispositum, & aptum ad eum motum recipiendum.

1054. Eadem dispositio, sive convenientia ferri cum magnete, vel imperfecta, aut inchoata virtus ferri, facilit, ut ipsi à magnete possit communicari plenè, atque perfectè, virtus convertendi se ad polum: item virtus attrahendi ad se aliud ferrum:

ferrum : quin etiam facultas huic communicandi iterum virtutem attrahendi denuo aliud ferrum : quæ tamen virtus aliis corporibus intermediis, vel æquè magneti applicatis, propter ipsorum indispositionem, communicari non potest. vide dicta n. 1039. Hanc qualitatem in magnete (hic enim ibi intelligi debet per adamantem, nisi sit error typi; nec enim adamas, gemmarum princeps, habet virtutem attrahendi ferrum) adstruit S. Thomas. *quest. de Anima. a. 1. in corp. aitque, eam esse participationem quandam virtutis cœlestis. & quest. 5 de verit. seu de provid. a. 10. ad 5. ait, esse causatam à corporibus cœlestibus.* S. Doctorem sequitur Suarez *disp. 18. Metaph. sec. 8. n. 37. & alii antiquiores plurimi: inter multos etiam recentiores Benedictis l. 7. Phys. q. 5. c. 4. §. 1.*

1055. At verò plures recentiores, præsertim Philosophi corpuscularii, mirabiles hòs effectus magnetis, volunt oriri ab effluvio corpusculorum, tum ex magnete, tum ex ferro, tum ex terra, seu potius ex latentibus in ea ferri, ac lapidum magneticorum fodinis, emissorum: quibus insuper varias figuræ, acuum, aut striarum, item variis motus à polis, & ad polos, vel assignant, vel affingunt: quæ si omnia huc afferenda essent, opus foret, non unum librum implere. Præ aliis tamen systematibus corpusculariis fors probabilius est sy-

stema Cardinalis Prolemæi, *in Phys. pars. de mixt. inanis. diff. 4. sec. 5. & seq. qui ex Cartesio, ac P. Fabri, atque etiam ex Peripateticis aliquid assumit, insuper de suo aliquid addit.*

1056. Itaque attractionem ferri, seu, ut ipse eam vocat *cis. diff. sec. 6. n. 1. impulsionem*, seu protrusionem ferri ad magnetem, explicat per hoc, quod, ut asserit *cis. sec. 6. n. 13. tam à magnete, quam à ferro, emitantur corpuscula, quæ dum in se invicem impingunt, aliquam fermentationem efficiunt, sèque mutuò alterant, attenuant, ac levissima reddunt: ex quo sequitur, quod massa illa effluviorum mixtorum, inter magnetem, & ferrum existentium, non amplius æquilibret nisi aëris, retro magnetem, ac ferrum existentis, qui proin aér suo pondere, vel elasticitate, ferrum ad magnetem, vel vicissim, ut quandoque contingit, magnetem ad ferrum protrudit. Alii in subsidium advocant ipsa corpuscula magnetica, à magnete emissæ, & ad magnetem reæuntia, ac ferrum secum revehentia,*

1057. Evidem hæc præ multis aliis sunt captu facilia, & multa explicant: attamen non videntur universaliter plenè satisfacere; nam 1. cur aér non eodem modo propellit alia, quæ e. g. scobi ferreæ commixta sunt, minutula palearum, & lignorum segmenta, quæ neutram ferro graviora sunt, iisque

propellendis aëris est æquè applicatus? 2. hac ratione nondum explicatur retentio ferri, seu hujus ad magnetem adhæsio, ut opponit Benedictus l. 7. *Physic.* q. 5. c. 4. s. 1. Reponitur quidem, eundem aërem, qui duo marmora lævigata cohædere facit, etiam facere, ut ferrum magneti adhæreat: sed est satis magna disparitas.

1058. Nam ferrum non ita arctè, & per totam superficiem, adhæret magneti, ut sibi invicem adhærent duo marmora lævigata, inter quæ nullus aëris intercipitur, qui alteri exteriùs prementi resistat: sed inter ferrum, & magnetem, excepto parvulo spatio, aut exceptis tantum quibusdam punctis, aëris liberè ingredi potest, ac alteri exteriùs prementi resistere: sicut ingreditur succinum, & paleam, quæ statim ab invicem separantur. Hoc etiam inde confirmatur, quod duo marmora nequeant ab invicem separari: ferrum autem, & magnes satis facile. Addit, quod magnes etiam intra recipientem exhaustum adhuc retineat ferrum, intra quem ea retentio non amplius potest adscribi aëri prementi.

1059. Quod spectat ad motum verticitatis, seu conversionis ad polos, cum explicat memoratus Cardinalis per hoc, quod effluvia magnetica exigant certum situm, & respectum ad polos mundi. Addit, plurima talia corpuscula infigi magneti; eoque hujus pores non ita,

ut allorum corporum, pertransire possint; hinc contingere, ut, dum haec corpuscula se ad polum aliquem vertant, ad eundem polum etiam magnetem, in libero aëre pendulum, non obstante partium ejus heterogenitate, convertant: non autem convertant alia corpora; eo quod istis non inhærent, sed eorum poros pertransirent, excepto ferro, quod quoad hunc motum ejusdem est capacitatis, cum magnete, si ad hunc fuerit affixum.

1060. Verum, si haec vis, aut exigentia, inest effluviis magneticis, (unde unde tandem in ea proueniat, velia quoqua tandem consistat, quod adhuc magis explicandum esset) cur non dicatur, eandem vim, aut exigentiam inesse jam ipsi magneti? licet enim hic, ut alia filia, partes heterogeneas secum habeat, tamen potissimum ex homogeneis, & verè magneticis partibus constat: haec autem aliis prævalere possunt, adeò, ut magnes à seipso axem suum polo obvertat. Sed utique facilius est, varias hypotheses circa magnetem impugnare, quam aliquam, quæ omnibus satisfaciat, statueré: quod minimè ausim tentare. Interim à nemine admittitur in magnete actio in distans: sed omnes dicunt, eum ferro esse applicatum: quinam autem hanc applicationem melius explicit, non est facile decidere, nec ad nostram conclusionem sustinendam necessarium.

*ARTI.*

## ARTICULUS IV.

### *Quenam requiratur, & sufficiat Applicatio Agentis ad Passum.*

1061. **M**Ultiplex datur applicatio cause, sive agentis, ad passum. 1. *Applicatio per identitatem*, quando agens, & passum sunt realiter idem: sic intellectus applicatur sibi ipse ad producendas in se ipso intellectiones. 2. *Applicatio per unionem*, quando agens, & passum sunt inter se physice unita: sic applicatur forma substantialis ad operandum in materia. 3. *Applicatio per compenetrationem*, quando agens, & passum sunt inter se compenetrata: sic dæmon est applicatus energumeno, quem variè movet. 4. *Applicatio immediatione suppositi*, strictius dicta, quando totum agens secundum omnes partes est passo immediatè contiguum: sic una candela accedit alteram sibi admotam. 5. *Applicatio immediatione virtutis*, quando agens non quidem est immediatè contiguum passo: attamen per totum medium usque ad passum producit talem effectum, qui possit dici virtus cause. 6. *Applicatio per concausam*, quando aliqua causa non quidem est immediatè contingua passo, sed est contingua alteri concause creatæ, quæ immediatè attingit passum: sive, quando una causa cum aliis constituit complexum causarum, quod saltem secun-

dum unam partem est immediate contiguum passo.

1062. Potest non malè dici, quod in duobus postremis casibus etiam detur suò modo *applicatio immediatione suppositi*, saltem latius dicta: & quidem in quinto potest dici, quod agens totum applicetur immediatione suppositi toti passo, secundum unam partem accepto: in sexto, verò applicetur immediatione suppositi toti passo totum agens secundum unam partem acceptum.

Quaritur jam, an hæ applicaciones omnes sufficient ad evitandam actionem in distans. Dico: ad evitandam actionem in distans: non autem: ad producendum quemvis effectum; non enim quilibet effectus est producibilis, posita applicacione præcisè sufficiente ad evitandam actionem in distans; sic e. g. non daretur actio in distans, et si anima rationalis produceret intellectionem in materia pedis sibi unita, & tamen hanc in ea producere non potest: econtra potest anima rationalis in ea materia producere vegetationes, aut sensationes, quas tamen non potest producere in subiecto non unito, quamvis in isto possit producere impulsum, aut motum. His præmissis.

1063.

1063. Dico 1. Ad evitandam actionem in distans sufficit applicatio immediatione suppositi, strictius dicta: non tamen est necessaria. ita communis. Conclusio quoad 1. partem est ab experientia evidens; utique enim ignis producit iguam in ligno contiguo, & homo motum, aut sonum in aere. Prob. quoad 2. partem. Sol producit ignem, vel alios effectus in terra, à qua est longissime remotus: item, quando magnus ignis, vel calor ingens magni ignis, producit, vel immediate, vel mediately, intensum calorem in aere, etiam partes interiores ignis, vel caloris, concurrunt, quamvis non sint contiguæ aeri: item magnus ignis producit quoque ignem citius, & etiam in remoto spacio, quam, si non esset tam magnus: adeoque etiam in hoc casu partes interiores concurrunt, quamvis ista passio non sint strictè applicatae immediatione suppositi: similia alia possent plura afferri: ergo ad evitandam actionem in distans non requiritur, ut agens sit strictè applicatus immediatione suppositi; cum, ut probatum fuit n. 1027. & seq. creature non possint agere in distans. Quando autem Scientæ quidam similes actiones vocant actiones in distans, faciunt questionem de nomine, in qua contra se habent communem aliorum.

1064. Dico 2. Ad evitandam actionem in distans sufficit etiam ap-

plicatio agentis per concavam ore-  
atam, et si hæc non pendeat physicè  
ab agente, & agens nihil agat, seu  
nihil producat, in tali concavâ (&  
hæc ex n. 1062. potest vocari *ap-  
plicatio immediatione suppositi la-  
tius dicta*) ita rursus communis,  
non tantum doctorum, sed & in-  
doctorum. Prob. Experientia mul-  
tiplex huic assertioni suffragatur:  
ergo. prob. ant. sic duæ faces qua-  
rum neutra est accensa ab altera, &  
neutra in altera, utpote, ut ponit  
tur, prorsus simili, quidquam pro-  
ducit, plus, & remotius illuminant  
in omnem partem, quam una: item  
ignis maximus agit in omnem par-  
tem majore vehementia, quam, ut  
solis particulis, in superficie existen-  
tibus, possit adscribi.

Certè, si charta in longum, & la-  
tum, ad altitudinem, & latitudi-  
nem domus extensa, etiam oleo il-  
lita, tota arderet, nunquam tantum  
effectum produceret, quantum pro-  
ducit tota domus ardeos: præ-  
fertim autem actio solis vehemen-  
tissima, & in immensum quasi spa-  
tium diffusa, solis particulis super-  
ficialibus, terræ obversis, adscribi  
non potest: sed etiam provenire  
debet ab interioribus: quæ ramen  
in exteriores, saltem non omni-  
extimas, adeoque quoad intensio-  
nem omnino similes, agere non pos-  
sunt: ergo particulæ interiores  
sufficienter applicantur per exterio-  
res, tanquam per tales concavas.

1065. Dico 3. Ad evitandam a-  
ctio

Actionem in distans sufficit, si agens passo sit applicatum immediatione virtutis: hoc est, per aliquem effectum, à se in medio productum, qui, licet sit diversus ab effectu remoto, tamen ad hunc producendum physicè concurrevit. ita satis communiter auctores Prob. Sol e. g. producit ignem in terra per vitra caustica (non autem per actionem in distans, ex dictis n. 1025. & seq.) & tamen non est applicatus passo, nisi per calorem, quem, vel mediate, vel immediate, producit in medio: ergo ad evitandam actionem in distans sufficit applicatio per calorem, qui est diversum quid absigne.

Jam sic. Vel calor etiam physicè influit in productionem ignis, vel non: si primum, habetur effectus in medio productus, physicè concurrens ad effectum remotum: si secundum, tunc sufficit etiam applicatio per effectum, qui non influat in effectum remotum, sed tantum ad hunc disponit: ergo multò magis sufficiet applicatio per effectum physicè influentem; quia hic est etiam concausa, & potest hæc applicatio etiam dici applicatio per concausam.

1066. Dico 4. Ad evitandam actionem in distans sufficit applicatio agentis ad passum, per effectum intermedium ejusdem rationis cum effectu remoto, et si ille in hunc physicè non influat. ita Suarez *disp. 18. Metaph. sec. 8. n. 21. & 22.* & nostri communiter. Prob. In hoc

*Tom. II.*

casu datur applicatio immediatione suppositi, saltem latius dicta ex n. 1062. quia agens applicatur toti passo, secundum unam partem accepto, in quo toto producit unum effectum continuum: atqui hæc applicatio sufficit ad evitandam actionem in distans: ergo. prob. mi. in primis negative; quia non potest probari necessitas majoris applicationis.

Dein probatur positivè. Ut non detur actio in distans, sufficit, si indentur actiones continuatæ, & non interruptæ: sed hoc fit in dato casu, in quo supponitur, quod producantur in una continua serie semper ulterius actiones, productivæ entium similium effectui remoto, donec per ultimam actionem, praecedentibus etiam continuam, producatur ipse effectus remotus: ergo. Exemplum hujus applicationis Suarez *cit. sec. 8. n. 22.* adducit objectum visus, quod per totum aërem producit species visivas usque ad oculum; quamvis, ut videtur velle, una species non influat in alteram: alii adducunt in exemplum lumen, quod volunt non esse productivum alterius luminis: sed de his alio loco nobis erit agendum.

1067. Dico 5. Ad evitandam actionem in distans sufficit etiam applicatio agentis ad passum, per effectum intermedium, diversum ab effectu remoto, et si ille in hunc physicè non influat, modò ad eum sit dispositio. ita illi, qui defendunt,

H b b.

sub-

substantiam produci à sola substantia. Prob. In tali casu adhuc dantur actiones sufficienter subordinatae : ergo non datur actio in distans. conseq. probatur ex eo, quod communiter admittatur, sufficere ad evitandam actionem in distans, si detur series actionum subordinatarum : sancè probari non potest plus requiri. ant. prob. actiones in tali casu præstunt ab eadem causa, & per eas producuntur in passo dispositiones, quæ juvant causam in ordine ad producendum effectum remotum: ergo actiones sunt sufficienter ad se ordinatae, seu subordinatae ; gratis enim ad earum subordinationem requiritur influxus physicus effectus intermedii.

1068. Quæres, si effectus, in medio productus ab agente, esset diversus ab effectu remoto, & simul ad hunc non concurreret dispositivè, an tamen per eum sufficienter applicaretur agens. Respondent quidam negativè, ex hæ ratione, quod sic sol, utpote causa necessaria, & ubique per lucem applicata, combureret omnia. Sed hæc ratio non videtur esse efficax ; nam, ut dictum n. 1062. non quævis applicatio, quæ sufficit ad vitandam actionem in distans, etiam sufficit ad producendum quemvis effectum. Interim tamen in tali casu videtur actio intermedia tantum disparatè, & impertinenter se habere, ad actionem in passo remoto ; nec appetet, quomodo istæ actio-

nes sint sufficienter subordinatae ; licet enim sint ab eadem causa, & hinc sint subordinatae ipsi cause, tamen non sunt ad se invicem ordinatae, coæquenter nec sibi invicem subordinatae : quales tamen actiones requiruntur ad evitandam actionem in distans.

1069. Ob. i. contra i. conclus. Aristoteles 7. *Physic. text. 10. & seq.* probat, quod movens, & motum, seu agens, & passum, debeant esse simul, ita, ut nihil mediet : ergo debet agens semper esse passo applicatum, per applicationem immediatione suppositi strictè dictam. Resp. dist. ant. ita, ut nihil mediet inter agens, & passum totale. conc. ant. nihil mediet inter agens, & passum partiale. neg. ant. & conseq. Aristoteles ad summum vult, aut probat, quod beat dari applicatio immediatione suppositi latius dicta, de qua n. 1062.

1070. Certè non probat, quod agens beat secundum omnes partes esse applicatum immediatione suppositi passo, etiam in motu rationis, seu locali : nec exempla, quæ ibi affert de pulsione, tractio- ne &c. id probant ; nam e. g. to- tum brachium pellit alium loco, & tamen non est secundum omnes partes ei applicatum. Ne autem dicas, Aristotelem ibi faltem esse contrarium quinæ conclusioni ; eoquod juxta illam agens nec secundum unam partem deberet esse applicatum passo, respondeo, per agens

agens intelligi posse, tam agens physicè, seu producens effectum, quam agens dispositivè, seu disponens ad effectum: & istud in casu quintæ conclusionis esse applicatum passo immediatione suppositi, saltem secundum unam partem.

1071. Ob. 2. contra 2. conclus. In casu hujus conclusionis daretur actio per saltum; ergo daretur actio in distans. prob. ant. causa partialis remotior ageret in remoto spatio, producendo effectum, quin ageret in spatio intermedio, quod occupat concausa independens: ergo ageret per saltum. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Actio per saltum strictè dicta, juxta communem sensum auctorum (exceptis Scotistis, qui in hac questione nominis sine necessitate recedunt ab aliis) tunc datur, quando causa totalis agit in remoto, quin agat in medio: neque actio per saltum dicetur, respectu cause partialis, conjunctione alteri concause partiali, cum qua constituit unam causam totalem.

1072. Ob. 3. Potest dici, quod magnus ignis plus agat, quam possit adscribi solis particulis superficialibus, ideo; quia partes interiores agunt in exteriores, vel defendendo eas à frigido ambiente, vel conservando earum calorem: ergo non est admittenda applicatio per concausam independentem, sive tantum, in quam altera causa remotior non agat. Resp. neg. ant. non e-

niam potest dici primum; tum quia partes paulò interiores non funk expositæ frigido ambienti, adeoque intimæ, nec debent, nec possunt, eas defendere; tum quia interiores partes non possunt defendere exteriores à frigido ambiente, nisi agendo in frigidum ambiens, e. g. in ærem: in hunc autem agere in tali casu non possunt, nisi sufficiat applicatio per concausam, in quam non agunt: hoc est, per particulas intermedias, in quas non possunt agere partes interiores, ut modò probatum.

1073. Sed nec secundum dici potest; quia partes interiores non possunt agere in partes exteriores similes. Nec dicas, partes exteriores ignis esse minus calidas; præterquam causa, quod hoc difficuler sit perceptibile; eoquod singulis quasi instantibus dentur novi igniculi, prioribus evolantibus: saltem non potest probari, quod partes interiores, seu intermediae, sint minus calidae intimis: adeoque saltem intimæ nihil possent agere ad extra: quod est contra experientiam. Minus adhuc dici potest, quod ignes mutuò in se agant, & unus conservet calorem alterius; nam, cum accidentia illa, quæ possunt sibi similia producere (inter quæ etiam est calor) non producantur ad extra substantia, saltem sola, ut communiter docent, deberet etiam unus calor conservare alterum, & ab hoc vicissim conservari: qua ratio-

ne daretur mutua naturæ prioritas inter causas physicas, quæ ex dictis à n. 136. implicat.

1074. Dices. Potest dici, quod magnus ignis ideo plus agat; quia ab eo longè majus oritur effluvium corpusculorum, in ipsam superficiem, imò in ipsum ærem ambientem emissorum: ergo. Resp. neg. ant. Hoc universaliter dici non potest: & in primis calor solaris non est effluvium corpusculorum, ut alibi probavimus. Dein est incredibile, quod partes centrales, vel propiores centro solis, emittant semper corpuscula usque ad superficiem solis per spatium quasi immensum: & tamen etiam ab illis debet provenire calor solis, in spatium ætheris quasi infinitum diffusus. Rursus ingens cumulus prunarum ardentiū emittit minus effluvium corpusculorum, quam flamma non adeo magna: & tamen ille majorem calorem parit, quam ista. Pariter etiam ingens copia glaciei, vel nivis, emittit non magnum effluvium corpusculorum: & tamen causat magnum frigus.

1075. Ob. 4. Milites plures, post se invicem stantes, non magis impellunt adversarium se opponentem, quam unus solus, si posteriores non agant in primum, adversario proximum: item lapides, post se invicem in linea horizontali positi, non gravant magis in terram, primo lapidi subjectam, quam hic solus: at, si milites retrò stantes ur-

geant primum, vel lapides omnes primo imponantur, tunc adversarius magis impellitur, & terra primo lapidi subjecta magis premitur: ergo, ut una causa plus agat cum altera, debet in istam agere. Resp. neg. conseq. universaliter acceptam. Jam dictum est n. 1062. non ad omanem effectum servire eandem applicationem: ad effundum calorem, vel frigus, aut similia, sufficit applicatio per concusam independentem, ut ab experientia hucusque ostensum: at verò ad majorem impulsionem alterius, vel majorem gravitationem, hæc applicatio non sufficit, ut patet iterum ab exemplis, in objectione adductis.

1076. Nempe impulsio fieri non potest, nisi per aliquem impetum, aut pressionem: hæc autem non potest dari, nisi attingatur corpus, vel immediatè in se, vel mediater in alio corpore, quod impellatur versus ipsum; quare, nisi posteriores milites attingant, & impellant primum, neque impellent adversarium. Similiter gravitatio fit, quando corpus sua gravitate, vel impetu innato, nititur in aliud corpus subjectum: quod iterum fieri non potest, nisi nitatur, vel immediatè in ipsum corpus, quod cum aliis gravet: vel in aliud corpus, quo mediante in illud nitatur. Econtra ignis ad producendum calorem, vel ignem, non indiget aliqua pressione &c. sed tantum indiget

*Quanam requiratur, & sufficiat applicatio agentis ad passum.* 4:9  
get subiecto apto, & applicato, intra sphæram activitatis.

1077. Ob. 5. Si sufficeret applicatio per concusam, tunc 1. aqua Danubii hic existens frigesaceret Constantinopolis 2. calor fornacis hic accensæ, conjunctus calori solari calefaceret Romæ. 3. candela hic accensa de die una cum sole illuminaret Parisis: hæc sunt incredibilia: ergo. Resp. supposita veritate minoris neg. ma. propter ipsum sensum communem, istis se quibus contrarium, cuius tamen rationem dare non est sat facile. Videtur tamen posse dici, hos effectus esse extra sphæram activitatis istarum causarum, & ideo istis communiter negari influxum. Evidem negari non potest, quod sphæra activitatis per additionem concavarum extendatur; hoc enim patet, e. g. in igne, cuius unica scintilla sola, nec calorem, nec lucem, propagare potest eousque, quo usque propagat, si aliis ignibus jungatur: attamen non potest, etiam per additas concavas, sphæra activitatis extendi ultra omnem mensuram.

1078. Videtur itaque quodlibet ens habere duplēm sphæram activitatis, unam, in quam agat se solo, alteram, eamque majorem, in quam agat conjunctum cum aliis concavis: quæ tamen etiam habeat suos limites, extra quos non possit quodlibet ens suam activitatem extendere, quibuscumque causis jungatur. Addendum, hanc

alteram sphæram activitatis minorem esse in causis particularibus, quam in universalibus. Sic partes solis videntur posse in longè maiorem sphæram extendere suam activitatem, ob additionem aliarum partium solem constituentium, quam possint extendere partes aliarum causarum particularium.

Et hoc ipsum videtur desumi ex sensu communi, qui nobis objicitur, & ex quo habetur, quod causæ universales, & earum partes, habeant longè majorem, & universaliorum vim agendi, adeoque etiam vim agendi in spatium remotius, quam causæ particulares, aut earum partes. Id solum adhuc nota circa tertiam sequelam, videri candalam hic accensam etiam ex eo capite non posse illuminare Parisis; quia luminosum non potest producere lumen, nisi per lineas sensibiliter rectas: quæ à candela dicta non videntur posse, etiam per refractionem, aut refractionem, inventi usque Parisis.

1079. Ob. 6. contra 4. conclus. Effectus intermedius semper concurret ad effectum remotum, si uterque sit ejusdem rationis: ergo naturaliter debet concurrere: ergo non sufficit applicatio per effectum non influentem. Resp. ant. esse valde dubium; quia dubium est, an lumen intermedium sit actuum: & idem est de speciebus visivis intermediis, si sint distinctæ à lumine: sed om. ant. & i. consèq. neg:

H h h 3 2dam,

adam. Supposita veritate antecedentis, ratio, quare effectus influat, non est, ut altera causa applicetur, sed, quia effectus, utspte causa necessaria, & potens agere, etiam debet agere. Sicut, si duo ignes applicentur eidem ligno, ratio, cur ignis A urat, non est, ut applicetur ignis B : sed, quia causa necessaria rite applicata debet agere.

1080. Dices 1. Causa in hoc casu, neque esset applicata immediatione suppositi, neque immediatione virtutis, neque per concausam: ergo nullo modo. ant. quoad 1. & 3. p. patet. quoad 2. p. prob. effectus intermedius, non influens in effectum remotum, non est virtus causæ: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. In primis talis causa est applicata immediatione suppositi, latius dicta *ex n. 1066.* quæ sufficit: dein potest dici, quod in hoc casu etiam detur applicatio immediatione virtutis; quia effectus intermedius est virtus causæ, quatenus ab ea productus est, & juvat ad continuandam actionem: ferè sicut, quando substantia conservat suas proprietates tribus instantibus, conservatio in secundo instanti juvat ad conservationem in tertio instanti, quatenus juvat ad conservationem non interruptam; non enim posset dari conservatio in primo, & tertio instanti, nisi etiam in secundo, continuata fuisset.

1081. Dices 2. Effectus isti in pafso totali non producuntur per u-

nam actionem indivisibilem: ergo non coalesceunt in unum effectum totalem. prob. conseq. causæ, quæ non influunt per eandem actionem indivisibilem, non coalesceunt in unam causam totalem: ergo neque effectus, qui non producuntur per unam actionem indivisibilem, coalesceunt in unum effectum totalem. Resp. neg. conseq. ad prob. neg. ant. Plures partes animæ divisibilis in bruci constituunt simul causam totalem ejusdem sensationis etiam divisibilis, nec tamen influunt per actionem indivisibilem, sed divisibilem, utspte identificatam cum ipsa sensatione divisibili. Sanè, ut effectus dicatur unus unitate continuationis respectu unius causæ, sufficit, si causa in omnes actiones productivas effectus totalis influat, & hic effectus per actiones non interruptas producatur.

1082. Ob. 7. contra 5. conclusionem. Ad evitandam actionem, in distans requiritur saltum series actionum subordinatarum: sed, si effectus intermedius, diversæ rationis à remoto, ad hunc tantum dispositivè concurrit, non datur series actionum subordinatarum: ergo hæc applicatio non sufficit ad vitandam actionem in distans. prob. mi. in tali casu actio ultima non dependet à prima: ergo non est illi subordinata. Resp. neg. mi. ad prob. neg. ant. Non quidem actio ultima dependet à prima essentia: atamen dependet ab ea, tan-

*Quoniam requiratur, & sufficiat Applicatio Agentis ad Passum. 432*

tanquam habeat prioritatem naturae, ferè sicut effectus externus dependet à causa morali: & hæc subordinatio est sufficiens, atque ex ea satis ostenditur, quod prima actio, ponendo dispositionem, & præparando passum, juvet causam ad producendum effectum remoto. Quod autem quidam Scotistæ talem actionem vocent actionem in distans, non obest; quia faciunt questionem de nomine: certè talis actio non est actio in distans strictè dicta, quam n. 1025. diximus naturaliter impossibilem esse.

1083. Dices 1. Nec experientia, nec positiva ratione, potest probari, quod talis applicatio sufficiat: ergo gratis dicitur sufficere. Resp. om. ant. neg. conseq. Non est nostrum positivè probare, sed adversariorum, qui plus adstruunt. Experientia monstrat, quod causa naturaliter agat in passo remoto, dummodo in spatio intermedio producat effectum, diversè etiam rationis ab effectu remoto: adeoque monstrat, quod causa per talem effectum intermedium sufficienter applicetur: & in hoc adversarii nobiscum convenient: sed ipsi ulterius asserunt, quod talis effectus intermedius habeat physicum influxum in effectum remotum: nos autem hoc negamus: consequenter ipsi plus positivè asserunt, idque debent positivè probare.

1084. Dices 2. Ergo etiam poterit dici, quod causa applicetur per

dispositiones intermedias, ab ipsa nullo modo productas: quod videtur esse contra sensum communem. Resp. neg. illatum, ex hoc ipso capite, quod sit contra sensum communem, qui fundatur in alio sensu communi auctorum, secundum quem ad vitandam actionem in distans requiruntur actiones continuæ, quæ sint, aut ejusdem rationis, aut subordinatae: neutrae autem darentur in casu objectionis. Et ex hac etiam ratione videtur communiter censi, quod, licet in aprico ardente sole accendatur candela, tamen sol non concurrat ad eam accendendam.

Si tamen aliqua causa saltem inadæquatè influat in dispositiones, et si non continuetur cum altera concausa, pariter inadæquatè influente, etiam poterit physicè influere in effectum; quia jam dantur actiones sufficienter subordinatae: sic, si quid ponatur in medio trium, aut plurium ignium, non continuatorum, sèpe comburetur, & quidem influentibus omnibus ignibus, etiam juxta eos, qui negant, quod accidens producat substantiam, quamvis nullus eorum ignium adæquate produixerit dispositiones, e. g. calorem in passo.

1085. Ob. 8. Puræ dispositiones non sunt instrumentum, aut virtus causæ: ergo ratione istarum non habetur applicatio immediatione virtutis. Confir. Substantia probabiliter non producit accidentis ad

ex-

**extra** : ergo non producit dispositiones in passo : ergo per has non applicatur ad passum. Resp. dist. ant. non sunt instrumentum, aut virtus, physicè producens effectum. conc. ant. non sunt instrumentum , aut virtus disponens passum. neg. ant. & conseq.

Hoc ipso, quod passum disponatur, causa non potens in passum non dispositum agere, juvatur , & quidem per suum effectum, nempe per dispositionem à se productam. Ad confir. dist. 1. conseq. substantia non producit dispositiones immediate. om. conseq. non producit mediatae. neg. 1. & 2. conseq. sufficit enim mediata productio ad requisitam subordinationem actionum. Quod autem causa remota nihil agat immediate in medio, non obest; quia etiam, quando applicatur per concausam , à se independentem , nec mediatae aliquid agit in medio : & tamen non censetur dari actio in distans: sicut autem in eo casu causa remota , & propinquia , constituunt unam causam totalem, sic in isto casu causa , & dispositiones, constituunt unam cau-

sam totaliter expeditam, seu unum actum primum proximum totalem, & quidem ita, ut una pars sit alteri subordinata.

1086. Dices. Sæpe passum non indiget ulla dispositione: e. g. crypta subterraneæ non indigent ulla dispositione ad recipiendam lucem: ergo non possumus dare rationem, quare sol , iis applicatus per calorem , non possit in ipsis producere lucem. Resp. 1. quærendo , cur calor non sit causa instrumentalis ad producendam lucem? si dicatur, id patere ab experientia. Resp. 2. neg. conseq. & dico , pariter patere ab experientia , quod ad unum effectum requiratur alia applicatio, vel etiam aliud medium, per quod actio propagetur , quam ad alterum : & sic, ad producendam lucem in spatio remoto, requiruntur actiones continuae ejusdem rationis per lineam rectam , & medium diaphanum : linea autem recta à sole usque intra cavernas terræ interrupitur per ipsam terram interjectam , tanquam medium valde opacum, & minimè diaphanum.

## ARTICULUS V.

### *Quid sit Substantia.*

1087. **F**initis hucusque quæstionibus, magis universalibus de causa efficiente erata, pertractandæ modo veniunt quæstiones

magis particulares de causa produtiva substancialiæ, & accidentis: sed, antequam de his agamus , videtur conveniens, ut prius statuatur definitio

Definitio substantiaz (nam de accidente sat jam egimus supra à n. 232.) Debet autem hæc definitio convenire in primis Deo; nam, dum S. Augustinus l. 7. de Trinit. c. 5. § 1. de Cognition. vera vita c. 3. negat, Deum esse substantiam, per hanc intelligit subjectum physicum aliquorum accidentium, quod utique Deus esse non potest: at defacto per substantiam hoc non intelligitur, & Deum esse substantiam, communissime admittitur. Dein debet definitio convenire Angelis, animalibus rationalibus, & irrationalibus: item formis, tam mixtorum, quam elementorum: atque etiam materiaz primæ; de his enim communis consensu judicant auctores, quod sint substantiaz: de unione autem inter materiam, & formam, non ita consentiunt. vide n. 1091.

1088. Econtra definitio substantiaz non debet convenire quantitatii: item qualitatibus, tam primis, quam secundis: rursus operationibus vitalibus: ulterius ubicationi, durationi, & actioni, etiam producenti substantiam, si sit distincta ab unione, ut defendimus n. 620. ista enim auctores communiter accentuant accidentibus.

Communissime quidem dicitur substantia *Ens per se*, sicut accidentis dicitur *Ens in alio*: sed hæc definitiones, quam sunt breves, tam sunt obscuræ; hinc Philosophi variis alias clariiores producere conati sunt, quarum plures legere est reproba-

*Tom. II.*

tas ab Arriaga *disp. 4. Metaph. sec. 2. & seq.* quibus omissis, una cum illa, quam ipse Arriaga *cit. disp. sec. 6.* amplectitur.

1089. Dico cum Oviedo *Contra. 6. Metaph. punct. 1. n. 10.* & aliis, præsertim recentioribus multis. *Substantia est ens, quod non exigit inesse alteri, tanquam fini cuius adquatur a se distincto.* Prob. concl. Hæc definitio est clarior definito, simulque convenit omni, & soli: ergo est bona. conseq. non debet negari; quod enim hæc definitio sit negativa, aut non observet alias similes minutias regularum logiarum, non est curandum; nam etiam in plurimis aliis definitionibus non curatur. ant. quoad 1. p. patet; quia hic conceptus intelligenti terminos est omnino clarus. prob. quoad 2. p. hæc definitio convenit in primis Deo, qui nulli enti potest quomodo cunque inhærent, multò minus tanquam fini cui; cum ipse sit finis ultimus omnium.

1090. Dein etiam Angeli nulli rei inhærent, sed potius ipsis tanquam fini cui inhærent eorum operationes vitales. Animaz rationales, licet uniantur materiaz, tamen non ei inhærent, tanquam subjecto sustentationis, & quod magis hue facit, non ei inhærent, tanquam fini cui; nam in primis materia longè magis est propter animam rationalem, quam hæc propter materiam: dein finis cui, à natura intentus in productione animæ rationaliis

*I i*

*n alis*

nalis, est ipsum compositum huma-  
num, quod non est adæquate distin-  
ctum ab anima rationali, ut patet.

Hæc ultima ratio probat, etiam  
animas brutorum, vel alias formas  
mixtorum, aut elementorum, esse  
substantias; quia, licet inhærent  
materiæ eas sustentanti, tamen, cùna  
finis à natura intentus non sit ma-  
teria, sed compositum, formæ illæ  
non inhærent materiæ, tanquam fi-  
ni cui: & quamvis suo modo inhæ-  
rent, vel insint composito, tamen  
non inhærent ei, tanquam adæqua-  
tè à se distincto. Accedit, quòd  
hæc formæ sint radix determinate  
exigitiva operationum, quæ in ipsa-  
rum formarum bonum à natura in-  
tenduntur: consequenter ipsæ sunt  
finis cui principalis, præ materia pri-  
ma, quæ ex se non exigit determina-  
tè has potius operationes, quam  
alias. Est tamen materia prima etiam  
substantia; quia nulli alteri inhæ-  
ret, sed potius ipsi tanquam subje-  
cto inhærent alia.

1091. In controversiam à qui-  
busdam trahitur, an etiam unio in-  
ter materiam, & formam, sit sub-  
stantia: communius tamen censem-  
tur esse substantialis, non tantum  
in hoc sensu, quòd uniat substantias  
(quo in sensu etiam actio pro-  
ductiva substantiarum, & ejus ubica-  
tio, sunt substantiales) sed in hoc  
sensu, quòd ei verè conveniat de-  
finitio substantiarum, atque ipsa sit re-  
vera substantia; nam verè est pars  
compositi substantialis, quod te-

tum est finis cui, à natura intentus;  
adeoque non inest alteri, tanquam  
fini cui, adæquate à se distincto. Ad-  
ducent aliqui, quòd, licet unio stri-  
ctè loquendo non sit natura, tamen  
sit radix, non quidem productiva,  
attamen exigitiva operationum; cùm istæ necessariæ sint ad conser-  
vationem unionis; neque enim pos-  
set conservari unio, nisi forma pos-  
set operari; quia ipsum compo-  
sum destrueretur. vide Benedictis  
*L. 2. Metaph. q. 1 c. 1.*

1092. Jam prob. 3. p. ant. five,  
quòd nostra definitio conveniat soli.  
Reliquæ omnia, ut quantitas,  
qualitates, operationes, ubicatio-  
nes &c. inhærent composito, tan-  
quam fini cui, in cuius scilicet bo-  
num intenduntur: & insuper com-  
positum est ab ipsis adæquate distin-  
ctum; nam ista omnia non sunt par-  
tes compositi, sed tantum ei super-  
veniunt, adeoque accidentaliter in-  
hærent: ergo.

Confirm. conclusio. Accidens,  
ut n. 236. dictum est, ex commu-  
ni definitur ens, quod exigit inhæ-  
rere alteri, tanquam fini cui adæqua-  
tè à se distincto: ergo, quod non  
est accidens, consequenter omnis  
substantia, debet esse eas, quod  
non exigit icà inhærente; adeoque  
definitio convenit omni: cùmque  
non detur ens medium inter, acci-  
dens, & substantiam, definitio con-  
venit etiam soli: ergo est bona.

1093. Dividitur jam substantia,  
& alia dicitur *Completa*, quæ non  
ordi-

ordinatur à natura ità ad alteram comprehendem, ut necessariò cum ipsa faciat compositum substantiale, sed potest naturaliter sola existere, etiam in prima sui productione: talis substantia est Deus, Angelus, & quodlibet compositum substantiale, etiam ex materia prima, & formis partialibus, si hæc dentur, constitutum: alia verò dicitur *Incompleta*, quæ ordinatur ità à natura ad alteram comprehendem: talis est materia prima, & forma substantialis quælibet, etiam anima rationalis, quæ in prima sui productione non potest naturaliter sola existere. Alia est substantia *Spiritualis*: talis est Deus, Angelus, anima rationalis: alia *Mati-*

*serialis*, seu *Corporalis*: talis est c. g. ignis, aqua, arbor, equus. &c.

Alia dicitur *Substantia Prima*, alia *Secunda*. Prior, vel est substantia singularis, vel, ut alii volunt, est suppositum. Posterior, vel est substantia universalis, seu conceptu universalis à singularibus abstracta, vel est accepta sine sua subsistentia: de qua subsistentia, cum ea primum innötuerit ex mysterio SS. Incarnationis, videtur agendum Theologis potius, quam Philosophis: certè ejus intelligentia, ad intelligentias præcisè quæstiones philosophicas, minime est necessaria: egimus tamen de ea, quantum sufficit p. 2. *Phys. part. A. v. 1125.*

## ARTICULUS VI.

### *An Substantia Creatu sit immediatè Operativa.*

1094. **D**ico. Substantia creata est immediatè operativa. ità S. Thomas, Scotus, Cajetanus, Suarez, Hurtadus, Arriaga, & alii communissimè contra Thomistas. Prob. conclus. i. auctoritate S. Thomæ, qui 1. p. q. 77. n. 6. in corp. sic ait: *Subjectum* (id est, substantia) *in quantum est in potentia*, est *suscipitivum* *formæ accidentalis*: *in quantum autem est in actu*, est *eius productivum*: intelligendum autem est *accidens*, quod est *proprietas substantiaz*; nam de aliis accidentibus, quæ S. Doctor vocat *extranea*, statim addit: *Respectu accidentis ex-*

*tranei subjectum est suscipitivum tantum*: *productivum verò talis accidentis est agens extrinsecum*.

Quando autem ad 2. dicit, quod subjectum sit *causa proprii accidentis*, & *finalis*, & *quodammodo activa*, per hanc intelligit verè *principium activum*, ut *ibi* vocat, sed ad intrà, sive, ut ad 3. ait per *aliquam naturalem resumptionem*, seu productionem ad intrà; nam emanationem, & resultantiam, esse verè *physicas efficientias* ad intrà, rectè probat Suarez. disp. 13. Metaph. sec. 3. à n. 3. usque ad 13. videatur etiam Cajetanus in hunc locum s. Thomas.

*Thome.* Hinc, ut recte tradit Hurtagius *Disp. 9. Phys. sec. 3. s. 12.* quando Angelicus videtur docere, quod substantia non sit immediatè operativa, intelligendus est, quod velit, substantiam naturaliter non operari immediatè, antecedenter ad omnes dispositiones, quod est verum; nam ignis non producit aliud ignem, nisi mediaz interveniant dispositiones, calor, siccitas &c. & in hoc sensu ignis non agit, nisi ut calidus.

1095. Prob. conclus. 2. Substantia libera, qualis est anima rationalis, debet immediatè influere in productionem suorum actuum liberorum: ergo aliqua substantia debet esse operativa, adeoque omnis; quia rationes adversariorum, vel probant, nullam substantiam posse esse operativam, vel nihil probant. prob. ant. si anima non producit, sed tantum passivè recipit actus liberos, tunc isti non possunt animæ imputari ad laudem, vel vituperium, ad præmium, vel poenam: atqui ipsi animæ rationali ita imputantur ejus actus liberi: ergo.

Major est innegabilis; quia, quod tantum recipit, & non determinat ad actum, & in cuius potestate non est, habere, vel non habere actum, ei iste non est imputabilis, sive eum habeat, sive non habeat; unde etiam Tridentinum *scff. 6. can. 4.* anathematizat dicentes, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excusat, nihil cooperari... sed velut

*inanime quoddam nihil omnino agere, merique passivè se habere.* Minor etiam non videtur posse negari; nam ipsa anima, aut præmatur, & fit filia, ac amica Dei, donatur lumine gloriæ, aut beatitudine: vel econtra punitur, & fit filia diabolii, ac inimica Dei, punitur gehennæ &c.

1096. Nec dicas, tantum potentias ab anima distinctas operari; nam in primis ista distinctio potentiarum ab anima probabilius non datur, ut sue loco dicemus. Deinde saltem debet anima cum potentias concurrere ad actus liberos; nam, si operarentur solæ potentias, distinctæ ab anima, sine ullo istius influxi, non possent actiones imputari animæ, utpote, quæ ad eas neutiquam determinaret, nec etiam eas impedire posset. Ulterius saltem debent ab anima istæ potentias immediatè ad intrâ emanare: hoc est, dt n. 1094. ex Suarezio dictum, produci, aut conservari: ergo jam anima immediatè operatur; si enim ab anima non emanarent istæ potentias, tunc nulla prorsus, etiam apparente tantum ratione, possent animæ imputari actiones potentiarum: præterquam, quod non satis philosophicè recurreretur ad Deum, pro conservandis accidentalibus potentias.

1097. Prob. concl. 3. Substantia immediatè conservat suas proprietates, aut eas deperditas reparat: e. g. ipsa aqua conservat suum frigus,

frigus, aut, si istud à calore quoad aliquos gradus destructum est, postea sibi iterum relicta reparat: ergo est immediatè operativa. ant. prob. proprietates accidentales non possunt conservare seipſas: recurrere autem ad Deum non est philosophicum, si conveniens causa creata possit haberi: dein residui gradus frigoris non possunt reparare gradus deperditos; quia juxta communem qualitas non potest seipſam intendere in suo ſubjecto: ergo.

Nec dicas, quod qualitas ſe intendere poſſit in bonum ſui ſubjecti, & uſque ad mensuram ipſi debitam; nam etiam hoc eſt contra communem: & poſito, quod substantia debeat conservare gradus aliquos, poſteſt etiam conservare alios, & conſequenter etiam primò producere; quia conservatio eſt ſecunda productio, quæ quoad perfectionem cæteris paribus non diſſert à prima. Accedit, quod pauci gradus residui frigoris, e. g. tres, videantur non poſſe vincere quinque gradus caloris, niſi faltem juuentur à ſubstantia aquæ.

Nec dicas, gradus frigoris perditos poſſe reparari à frigore aëris ambientis; nam aqua ſepiuſ reducit ad majus frigus, quām ſit in aëre: dein, juxta antiquiores præſertim Peripateticos, aër exigit calorem: ergo non reparat frigus aquæ: ſi autem dicatur exigere frigus, debet hoc ipſe reparare ſeipſo, quando illud ob calo-

res ſolis perdidit; alia enim cauſa non adeſt: ergo ſubstantia aëris debet eſſe immediatè operativa. Quodſi autem immediata activitas conceditur aéri, non videtur ſuper-elleſe ulla ratio, eam negandi aquæ. Et utique melius conceditur utri-que, quām, ut recurratur ad Deum; hoc enim in ſimilibus caſib⁹ non decet Philosophum. Nec confu-gias ad qualitatem occultam; haec enim in primis gratis configitur: dein debet ipſa immediatè conſer-vari à ſubstantia; nam ad Deum non decet recurrere: ergo melius, omiſſa ea qualitate, dicitur aqua imme-diatè producere, vel conſervare frigus.

1098. Confirm. 1. Substantia non poſteſt adæquatè produci à ſolis accidentibus, ut in frā fuſiūs n. 1123. probabimus: ergo debet ſubstantia eſſe immediatè operativa, & productiva alterius ſubstan-tiæ; nam in omni productione ſub-ſtantia recurrere ſemper ad Deum, planè non eſt philosophical. Confir. 2. ratione Scoti apud Suarez disp. 18 Metaph. ſec. 2. n. 8. Ac-cidens poſteſt immediatè producere aliud accidens ſibi ſimile: ergo etiam ſubstantia prob. conseq. non videtur negandum perfectioni, quod conceditur inferiori, niſi detur ſpecialis ratio negandi, qualis datur e. g. in Angelis, qui non poſſunt producere alios Angelos; quia iſti debent produci per creationem, quæ excedit naturales vires crea-turæ;

turæ: atqui nulla datur specialis ratio, negandi cuilibet substantiæ potentiam producendi aliam sibi similem: quin, ut patebit ex objecti-  
nibus, rationes in contrarium, vel nihil probant, vel probant, etiam accidens non posse aliquid immediate producere: ergo.

1099. Ob. 1. Est axioma philosophicum: *Actus, & potentia sunt in eodem genere:* sed substantia, & accidens non sunt in eodem genere: ergo substantia non potest producere accidens: ergo neque substantiam, consequenter nihil. Resp. 1. consequentiam ultimam non esse legitimam; nam sœpe ab aliquo potest produci aliquid perfectius, non tamen imperfectius: sed hoc omisso retorq. arg. in accidentia, quæ etiam non sunt in eodem infimo genere cum substantia, & tamen juxta Thomistas producunt substantiam. Resp. 2. dist. ma. actus, & potentia, hoc est, forma substantialis, & materia prima, sunt in eodem genere. conc. ma. omnes actus, seu operationes, & potentiaæ earum productivæ, sunt in eodem genere. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Ut rectè ait Hurtadus *disp. 9. Phys. sec. 3. §. 17.* sic neque omnipotencia divina posset producere accidens. videatur de hoc axiome Georgius Reeb in *Axiom. philos. axiom. 13.* & præsertim Suarez *disp. 14. Metaph. sec. 2. n. 15.* & seq. ubi ostendit, non esse univeriale hoc, ut ajunt, axioma.

1100. Ob. 2. Nihil est aptum agere, quod non habet contrarium: sed substantia non habet contrarium: ergo. Confirm. In creatis operari sequitur ad esse, & sunt inter se distincta: ergo etiam potentia operandi sequitur potentiam essendi, & istæ potentiaæ sunt inter se distinctæ. Resp. 1. retorq. arg. in accidentia perfectiva, quæ non habent contrarium, & juxta adversarios debent agere. Resp. 2. dist. ma. nihil est aptum agere, quod non habet contrarium etiam mediately. om. ma. quod non habet contrarium immediately. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

Substantiæ habent contrarium mediately, quatenus habent qualitates, seu proprietates, immediately inter se contrarias; unde, dum aliquæ prævalent, substantiæ sœpe spoliantur suis proprietatibus, adeoque destruuntur. Id autem facile admitto, quod substantiæ in se invicem non agant, nisi quando habent qualitates contrarias; nam sine qualitatibus non possunt substantiæ naturaliter existere, consequenter neque agere: item, nisi etiam earum qualitates sint contrariae; nam simile non agit in simile: & hoc solum vult Aristoteles, dum *l. de Sensu, & sensil. c. 4.* ait: *Quoniam igitur ignis, & qua terra, nihil natum est agere, vel pati, nec aliud quicquam: qua autem inest contraries in eis, hoc omnia agunt: & patiuntur.* Ad confir. iterum retorq. arg. in accidentia; dein neg. conseq. Non debet

debet dari omnimoda similitudo inter effectum, & causam, praesertim æquivocam, qualis sœpe datur. Dein nullatenus probatur, quod potentia agendi sit separabilis ab essentia substantiae: adeoque probabilitas est ei identificata: at vero operatio est separabilis ab essentia, tum substantiae, tum accidentis, adeoque est distincta.

1101. Ob. 3. Modus agendi perfectissimus competit soli Deo: sed modus agendi immediata, & principaliter, est modus agendi perfectissimus: ergo competit soli Deo, & nulli creaturæ: sed, si substantia esset immediata operativa, esset etiam operativa principaliter, seu tanquam causa secunda principalis: ergo prob. mi. triplex est modus operandi, nempe instrumentaliter, principaliter mediatæ, principaliter immediatæ, ex quibus hic tertius modus est perfectissimus: ergo. Resp. i. retorq. arg. iterum in accidentia; nam ista producunt alia sibi similia accidentia immediata, & principaliter: e. g. calor immediata, & principaliter producit calorem.

Nam *Causa principalis physica*, ut bene probat Suarez *disp. 17. M. sapb. sec. 2. n. 17. § 18.* est illa, quæ immediata producit effectum non nobiliorem, quam ipsa sit, nec ultra mensuram suæ perfectionis, ita, ut vel formaliter, vel eminenter, contineat omnes perfectiones effectus. Addo, quæ etiam habet virtutem naturalem influendi in ef-

fectum, seu fœcunditatem respectu illius; nam, licet Angelus e. g. contineat formaliter omnes perfectiones alterius Angeli; quia tamen non habet fœcunditatem, seu virtutem naturalem producendi alterum Angelum, et si supernaturaliter à Deo elevaretur ad producendum aliud Angelum, tamen non esset causa principalis respectu istius, sed tantum instrumentalis.

Etsi autem aliquando causa partialis se sola non præcontineat omnem perfectionem effectus, tamen potest esse causa principalis inadæquata, quando cum altera concausa, cuius concursus ipsi est naturalis, constituit unum complexum, quod totum simul acceptum præcontinet perfectionem effectus, & ipsa causa partialis alteri concausæ non subordinatur. Econtra *Causa instrumentalis physica* est causa subordinata, quæ vel producit effectum se nobiliorem, & cujus perfectiones, nec formaliter, nec æquivalenter, in se continent: vel influit physicè, tantum ut elevata à causa superiori. Ex hac gemina autem descriptione utriusque causæ habetur, quod accidens, e. g. calor, sit causa principalis physica alterius caloris. vide etiam dicenda n. 1397.

1102. Nec dicas, sic etiam instrumenta artificialia fore causas principales artefactorum, quod nemo dicit; nam, ut bene colligitur ex Suarezio modò citato, isti effectus, quatenus sunt artificiosi, hoc est.

per rationem, & ad regulas artis coordinati, sunt nobiliores, quām, ut profluere possint ab instrumentis inanimatis: & in hoc sensu etiam substantia, e. g. ignis, tantum est causa instrumentalis ad alium ignem artificiosum. Resp. 2. retorq. arg. iterum sic. Modus essendi perfectissimus competit soli Deo: sed modus essendi spiritualis est perfectissimus: ergo competit soli Deo: ergo implicat Angeli. prob. mi. triplex datur modus essendi, purè materialis, mixtus ex materiali, & spirituali, & purè spiritualis, ex quibus hic tertius modus est perfectissimus: ergo.

1103. Resp. 3. dist. ma. modus agendi absolute, & simpliciter in omni genere perfectissimus, competit soli Deo. conc. ma. tantum secundum quid, & in aliqua ratione generica perfectissimus. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Modus agendi absolute perfectissimus, qui Deo soli competit, est talis, ut operans, vel agens, possit adæquatè quemcunque effectum absolutum, quantumvis perfectum, vel quamcunque determinatam collectionem effectuum absolororum, quando, & ubi ipsi placuerit, liberrimè se solo producere.

Dices. Quæ in Deo sunt identificata propter ejus excellentiam, sunt distinctæ in creatis: atqui essentia, & potentia operandi sunt in Deo identificatae propter ejus excellentiam: ergo sunt distinctæ in

creatis: adeoque etiam in substantia creata. ma. fundatur in illo principio: *Quæ sunt unita in superioribus, sunt divisa in inferioribus:* sicut scilicet potestas conjuncta in rege, est divisa in ministris. Resp. 1. retorq. denuo arg. in accidentia, in quibus essentia, & potentia operandi, etiam juxta adversarios sunt idem. Resp. 2. neg. mi. non enim potentia operandi, & essentia divina sunt idem ratione excellentiæ divinæ infinitæ, & illimitatæ, sicut nec ob eam identificata sunt prædicata divina; nam etiam gradus metaphysici in creatis identificantur: axioma autem adductum tantum intelligendum est de identificatis in Deo ratione excellentiæ infinitæ, e. g. de intellectu, & intellectione, de essentia, & duratione, siue potius æternitate &c.

1104. Ob. 4. Potentiæ specificantur, & distinguuntur ratione suorum actuum: ergo potentia essendi, & potentia operandi, quæ habent diversos actus, ab invicem specie differunt, adeoque distinctæ sunt. Resp. retorq. iterum arg. in accidentia. Resp. 2. dist. ant. hoc est, quando aliqua potentia potest elicere actum, specie, vel numero diversum, quem altera non potest elicere, tunc istæ potentia inter se distinguuntur, vel specie differunt. conc. ant. hoc est, quoties dantur actus specie diversi, etiam dantur potentia distinctæ, vel specie diversæ. neg. ant. & conseq. Jam

diximus in Logica n. 405. quod sepe eadem potentia, in eodem supposito, possit producere actus specie diversos, & utique eadem voluntas potest elicere volitionem, & nolitionem. Accedit, quod potentia essendi sit tantum potentia metaphysica, aut logica, quæ non distinguitur à suo actu, seu essentia: & huic etiam est identificata potentia operandi.

1105. Ob. 5. Qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse, ut habet commune axioma: ergo causa, quæ producit substantiam novam, vel eam conservat, producit, aut etiam conservat ejus proprietates, adeoque probatio n. 1097. adducta est nulla. Resp. dist. ant. qui dat esse, dat etiam consequentia mediata, vel immediata. conc. ant. dat semper immediata. neg. ant. &

conseq. Sic causa, quæ producit viventia, non etiam immediata producit actiones vitales eorum; alias pater peccaret, quando peccat filius; unde causa tantum mediata producit, vel dat consequentia, quatenus producit, vel dat virtutem, illa consequentia producendi. Adde, quod sepissime causa productiva non amplius adsit: e. g. dum juxta adversarios (quod interim omittimus) calor flammæ produxit ignem, statim cum flamma avolat; hinc, licet omittatur, eum causâesse primitus calorem, qui sic novæ flammæ proprietas, tamen non potest eundem conservare: nec adest alia causa conservativa, nisi flamma nova, si non velimus recurrere ad Deum, quod non esset satis philosophicum.

## ARTICULUS VII.

1106. Dico 1. Accidentia aliqua ad intra, seu intrinseca, producuntur immediata à substantia. ita contra Thomistas alii autores communissime. Hæc conclusio jam probata est supra n. 1095. Et seq. ubi probatum est, substantiam immediata producere actus vitales liberos, & suas proprietates. Dixi autem in conclusione, à substantia immediata produci aliqua accidentia intrinseca; nam nolim di-

*Il. Tom.*

cere, quod influat in omnia: & praesertim videtur difficulter posse probari, quod substantia influat in omnia accidentia sibi violenta, & in omnia, quæ ex his sequuntur: e. g. quod influat aqua in calorem, & consequentem motum sursum, seu evaporationem in auras. Verum quidem est, quod anima influat physicè, etiam in sensationem sibi summè doloriferam, adeoque sibi violentam: attamen in hoc casu

K k k

casu est specialis ratio, desumpta ex vitalitate sensationis, quæ non pugnat pro omnibus accidentibus violentis non vitalibus: & hinc dixi, non videri, substantiam influere in omnia accidentia sibi violenta &c.

1107. Dico 2. Accidentia ad extra, similia accidentibus ad intra, producuntur ab ipsis solis, si tamen ista sunt activa, seu secunda. ita Suarez disp. 18. Metaph. sec. 5. n. 4. & 5. Hurtadus disp. 9. 1 his sec. 3. 5. 20. Rassler Contra. phil. an. 1688. contra. 2. n. 20. Comptonus, & complures alii ex nostris, atque Scotistis, omnésque Thomistæ. Dixi autem: si accidentia ad intra sunt activa; nam aliqua accidentia, e. g. quantitas, & forte etiam lumen, non sunt activa, seu producuntia sibi similium. Prob. conclusio. Accidentia, quæ sunt activa, possunt se solis producere simile accidens ad extra: ergo probabilius illud se solis producunt. prob. aat. calor e. g. in aqua se solo producit calorem in manu: quin imò in omni subjecto, quod est intra sphæram activitatis illius caloris: eodem modo species vini in SS. Eucharistia producunt se solis calorem, & frigus in lingua &c. prout vel calidæ, vel frigidæ sunt (quo in casu non debet gratis adstrui miraculum, quod nec fides, nec ratio datur) ergo.

1108. Prob. etiam conseq. Quando adest causa univoca, seu omnino similis effectui, potens se sola

producere effectum, non debet admitti etiam influxus causæ æquivocæ, sinè gravi ratione, quam adversarii non possunt afferre: ergo, cum ad productionem accidentis ad extra, in casu conclusionis, semper adsit accidens ad intra, tanquam causa univoca, non debet admitti influxus substantiarum, tanquam causa æquivocæ. ant. prob. negativè. non a sunt gratis multiplicandæ causa influentes, & multò minus perfectiones causarum: atqui, si in tali casu admitteretur influxus causa æquivocæ, multiplicarentur influxus, & perfectiones. causa æquivocæ, sive, in nostro casu, perfectiones substantiarum, & quidem gratis, sive, quin sufficienter parentur: ergo.

1109. Minor, in quantum dicit, influxus, & perfectiones non sufficienter probari, patebit ex solutione objectionum: in quantum dicit, multiplicari causas influentes, est per se clara: in quantum vero dicit, multiplicari etiam perfectiones causarum, probatur. si substantia, e. g. ignis, non influit in calorem producendum ad extra, tunc tantum debet posse producere, seu conservare suum calorem ad intra, hoc est, octo, vel septem ejus gradus: si autem etiam influit in calorem ad extra, debet insuper simul posse producere alios sex gradus ad extra, imò non tantum sex, sed longè plures, in variis passis, per totam sphæram activitatis ipsi apli-

plicatis : quæ est apertè major virtus, atque perfectio : ergo.

1110. Respondebis 1. etiam non debere gratis, & sùm ratione, adstrui majorem perfectionem in accidente. Contra est. Id à nobis non fit; nam jam probavimus, accidens posse in absentia substantiaz producere se solo aliud accidens, e. g. calorem. Respondebis 2. probabile esse, quòd accidens, e. g. calor, non possit se sole producere, tam citò, vel tantum calorem, quàm citò, & quantum potest producere eum igne. Contra est. Hoc prorsus gratis fingitur: dein sit, quòd calor in igne producat aliquanto citius, vel etiam aliquanto majorem calorem ad extra, quàm calor in aqua: hoc inde provenit; quòd calor in aqua sit minor : at, si posset in alio subiecto dari tantus calor, quantus in igne, tuac etiam posset, tam citò, & tantum calorem se solo, sive extra ignem existens, producere, quàm citò, & quantum potest producere, existens in igne: certè, que major est calor in aqua, eo majorem, & aliquando etiam eo citius, producit calorem in manu: ergo, si tantus esset, quantus est in igne, etiam produceret tantum, & tam citò, quantum, & quàm citò producit calor in igne; quia juxta commune axioma: *Us se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

1111. Respondebis 3. in aqua latere corpuscula ignis, & ista produ-

cere calorem. Contra est. Nos alibi probabimus, calorem esse accidens, & non consistere in effluviis igniculorum: quamvis autem negare nolim, aliquos igniculos aquam ingredi, dum ab igne calefit, tamen illi tot non sunt, ut ab iis preveniat totus calor aquæ ferventis diu durans; cum igniculi, ut plurimum statim avolent. Dein probabimus infra, calefactionem aquæ, à radiis solaribus mediante speculo caustico causatam, non posse stare in igniculis, intra eam immissis. Quare, cum hic calor sit ejusdem speciei eum calore, per ignem terrestrem producto, etiam calor ignis terrestris non stabit in effluvio igniculorum.

Nec dicas, calorem solis esse identificatum cum lumine: non verò cum isto esse identificatum quemlibet alium calorem, adeoque illum specie ab aliis caloribus distingui; nam contra est. Non omnis calor à sole, etiam per specula caustica causatus, habet secum lumen; nam, si per specula caustica calefiat, e. g. sphæra cuprea intus vacua, calor etiam isteriæ sentietur, ubi meræ sunt tenebræ. Hinc, licet verosimiliter omne lumen sit coniunctum cum aliquo calore: non tamen omnis calor est coniunctus cum lumine: adeoque non datur connexio mutua, nec propterea debet adstrui inter lumen, & calorem identitas.

1112. Ob. 1. contra 2. conclus.

K-kk 2

Sub-

Substantia producit adæquatè accidens ad intra, & huic dat virtutem producendi accidens ad extra : ergo etiam ipsa debet habere hanc virtutem. prob. conseq. nemo potest dare, quod non habet, vel formaliter, vel eminenter : ergo etiam substantia, quæ dat accidenti hanc virtutem, debet eam habere, seu continere, vel formaliter, vel eminenter : atqui non potest eam continere eminenter : ergo debet eam continere formaliter.

Prob. subsumpt. Virtus producendi accidens ad extra est perfectio simpliciter simplex ; nam reperitur in Deo : ergo non potest contineri eminenter. prob. conseq. eminenter contineri, vel est contineri aliquid melius, vel contineri deemptis imperfectionibus : atqui non potest contineri aliquid melius perfectione simpliciter simplici ; quia ipsa definitur, quod sit melior ipsa, quam non ipsa, (sumendo particulas *non ipsa* infinitanter : non negativè ; alias enim quævis perfectio esset simpliciter simplex ; eo quod melior sit sua negatione) hoc est, melior, quam omne cum ipsa non identificabile, vel in se, vel in tertio : neque etiam potest ipsa contineri deemptis imperfectionibus ; quia nullæ in ipsa dantur ; alias non differret à perfectione mixta : ergo.

1113. Resp. neg. conseq. ad prob. om. ant. (quia aliquando potest sufficere, si causa contineat effectum æquivalenter : hoc est, aliquid

æquò perfectum ) neg. subsumpt. ad prob. neg. ant. nam 1. virtus ista, prout reperitur in accidente, nempe producendi accidens in pafso naturaliter non penetrato, non reperitur in Deo ; quia hic cum omnibus passis est naturaliter penetratus. 2. Etsi hæc virtus in sensu præcisivo esset perfectio simpliciter simplex, tamen non esset talis in sensu reali ; quia realiter est identificata cum omnibus imperfectionibus accidentis ; unde realiter potest contineri eminenter, sive potest contineri aliquid realiter perfectius, vel aliquid deemptis imperfectionibus accidentis : & utique substantia est aliquid realiter perfectius accidente : itenque est exempta imperfectionibus accidentis qua talis. ad prob. consequent. dist. mi. non potest contineri aliquid melius perfectione simpliciter simplici realiter tali, vel deemptis hujus imperfectionibus. conc. mi. aliquid melius perfectione simpliciter simplici tantum præcisivè tali. neg. mi. & conseq.

1114. Ob. 2. Substantia habet 1. foecunditatem ad producendum accidens ; quia producit illud ad intra. 2. Potest etiam agere ad extra ; quia potest ad extra producere substantiam. 3. Accidens ad extra non est majoris, inquit sèpissimè est minoris perfectionis, quam accidens ad intra. 4. Datur etiam sufficiens applicatio ad passum extrinsecum, nempe tanta, quanta datur ad produ-

ducendam substantiam : ergo nihil deest, quo minus substantia possit producere accidens ad extra. Resp. neg. 4. membrum, seu quodd detur sufficiens applicatio, aut potius nego, quodd sphæra activitatis substantiæ in ordine ad accidens se extendat extra ipsam substantiam ; est enim innegabile ; quod eadem causa habeat majorem sphæram activitatis in ordine ad aliquos effectus, quam ad alios : sic candela potest producere calorem sensibilem, & lucem : sed calorem, etiam juxta adversarios, non nisi in modicum spatum, lucem verò in valde magnum.

1115. In quo exemplo potest retorqui argumentum ; nam candela juxta adversarios 1. habet fecunditatem ad producendum calorem. 2. potest etiam agere ad extra in majorem sphæram ; nam in hanc potest producere lucem. 3. calor in spatio remoto non est majoris perfectionis, quam in propinquo. 4. datur etiam applicatio candelæ, quæ datur ad producendum lucem in spatio remoto &c. Quamvis autem detur aliqua resistentia frigoris intermedii in ordine ad producendum calorem, tamen, etiamsi nulla daretur, non posset candela parvula producere calorem sensibilem ad tantum spatum, ad quantum præducit lucem.

Quodd autem natura sphæram activitatis substantiæ, in ordine ad producendum accidens restrinxerit ad passum unitum, ratio vide-

tur esse ; quod major sphæra fuisse superflua ; cum semper adsit accidens, potens se solo producere aliud accidens ad extra ; nec enim substantia potest existere sine accidentibus, seu proprietatibus. Contra natura non ita restrinxit sphæram activitatis in accidente ; quia sèpe non adest substantia, quando producitur accidens, & tunc accidens debet habere sphæram activitatis necessariam ad producendum accidens ad extra : consequenter probabilius est, quod à natura, quæ conformitatem universalem amat, ea sphæra activitatis accidentibus universaliter attributa sit.

1116. Dices 1. Applicatio causæ ad passum tantum requiritur, ut non detur actio in distans : sed, si substantia produceret accidens in passo contiguo, non daretur actio in distans : ergo substantia non impeditur à productione accidentis ob defectum applicationis. Resp. 1. neg. ant. nam, ut dictum ». 1062. non quælibet applicatio, quæ sufficit ad vitandam actionem in distans, etiam sufficit ad quemlibet effectum producendum. Resp. 2. & adhuc melius, neg. suppositum ; nam in responsione ». 1114. data dixi, potius negari, quod adsit sphæra activitatis requisita, quam applicatio ; unde substantia non potest ad extra producere accidens ex defectu sphærae activitatis, se extendentis ad hunc effectum.

1117. Ob. 3. Ad præsentiam substan-

K k k 3

stantiæ producitur accidens ad extra : ergo etiam ipsa concurrit. Resp. recorq. arg. Ad præsentiam aëris producuntur omnia fermè entia materialia, etiam ignis, & aqua, sanguis quoque in corpore animalis &c. quin etiam aër continet perfectiones entium corporalium, in quantum hoc requiriutr in causa partiali: atque etiam est fœcundus; quia potest producere aliud aërem, & suas proprietates : ergo aër ad omnia concurrit. in forma dist. ant. ad præsentiam substantiæ producitur accidens, ita, ut etiam producatur in ejus absentia. conc. ant. ita, ut in ejus absentia non producatur. neg. ant. & conseq. si enim etiam in absentia alicujus producitur effectus, non sequitur, hoc esse ejus causam, præcisè ideo; quia etiam in ejus præsentia productur: imò neque semper illud est causa, in cuius absentia effectus non producitur; ex hoc enim tantum sequitur, quod sit aliqua necessaria conditio.

Dices. Si in absentia substantiæ producitur accidens ad extra, tunc Deus supplet ejus defectum: ergo nulla responsio. prob. ant. si Deus non supplet defectum substantiæ, quando accidens producitur ad extra, tunc neque eum supplebit in conservatione accidentium, adeoque substantia neque producet accidentia ad intra: hoc admitti non potest: ergo. Resp. neg. ant. nam hic recursus ad Deum non neceſſari-

us dedecet Philosopham. ad prob. neg. ma. Certè accidentia non possunt conservare se ipsa: ergo, si substantia non adſit, debet necessariò fieri recursus ad Deum, & hinc nemo dubitat, in aqua conservari calorem à Deo, postquam ignis remotus est: nemo etiam dubitat, accidentia evcharistica miraculose à Deo conservari, præsertim, cùm absente substantia deſit etiam eorum subjectum, consequenter ipsa non possint conservari generative, sed debeat conservari creative, quo modo solus Deus potest ea conservare.

1118. Ob. 4. Quando duæ cauſæ sunt æqualiter potentes producere effectum, & æqualiter applicatae, tunc eodem modo concurrunt: sed substantia, & accidens, sunt duæ cauſæ æqualiter potentes producere aliud accidens, & sunt æqualiter applicatae: ergo eodem modo concurrunt. Confirm. Quando datur causa necessaria, potens producere effectum, & applicata passo disposito, tunc debet producere effectum: sed ita se habet in casu nostro substantia respectu accidentis ad extra: ergo. Resp. dist. ma. si ambæ sint cauſæ univocæ, & non sit major ratio pro una, quam pro altera, tunc eodem modo concurrunt. conc. ma. secus, neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. quod autem in nostro casu non sint cauſæ univocæ, patet: quod etiam detur ratio pro una, non pro altera, ha-

habetur ex n. 1107. & seq. item ex n. 1115. Ad eonfirm. neg. ma. alii candela accensia propagaret lucem in infinitum : debet itaque etiam dari specialis applicatio, pro illo effectu specialiter requisita : vel debet passum esse intra sphæram activitatis, intra quam non est subiectum accidentis ad extra respectu substantie. vide dicta n. 1114. & 1115.

1119. Dices 1. Hac ratione etiam poterit dici, quod concausa remotior, e. g. ignis interior, non agat, & quod effectus respectu ipsius non sit intra sphæram activitatis : hoc est contra dicta superius n. 1064. ergo. Resp. neg. ma. Quod concausa remotior etiam agat, probatum est cit. n. 1064. adeoque, cum, non possit agere ultra suam sphæram activitatis, aut in distans, necessario debet effectus esse intra sphæram activitatis illius, & ipsa applicata : non ita potest aliunde probari, quod etiam substantia producat accidentis ad extra.

Dices 2. Ergo nōque Angelus, utpote substantia, poterit producere motum ad extra, in corporibus utpote accidentis. Resp. neg. illatum ; nam n. 1107. expresse diximus, substantiam non producere accidentia ad extra, similia iis, quae habet ad intra, si ista sint activa : Angelus autem in primis non habet ad intra motum corporalem : dein etiam Angeli motus ex se non est activus, seu impulsivus alterius ; quia Angelus facile compenetratur

cura corpore, & spiritu ; quare non est par ratio de Angelo respectu motus ad extra, & de alia substantia, e. g. de igne, respectu caloris ad extra.

1120. Ob. 5. Si substantia spoliatur suis accidentibus, tamen adhuc produceret accidentis ad extra : e. g. ignis spoliatus omni calore, adhuc produceret ad extra calorem : ergo debet posse producere accidentis, e. g. calorem, ad extra. prob. ant. ignis spoliatus omni calore, tamen, si applicaretur passo aliunde disposito, produceret ignem : ergo etiam produceret calorem. Resp. neg. ant. ad prob. om. ant. neg. conseq.

Hac ratione ignis haberet virtutem adæquatam producendi se solo accidentis ad extra, quam tamen virtutem nunquam posset naturaliter exerere, imò exigeret perpetuum impedimentum eam exerendi ; nam exigit substantia quævis, adeoque etiam ignis, nunquam esse sine suis accidentalibus proprietatibus, quibus tamen præsentibus nunquam posset adæquate influere in accidentis ad extra : talis autem virtus à natura non solet causis concedi. Nec est paritas à productione substantie ad extra ad productionem accidentis ad extra ; quia, ut jam dictum, ad unum effectum sufficit applicatio aliqua, non ad alterum : unus est intra sphæram activitatis, non alter.

1121. Ob. 6. Piper, spiritus vi-

ni,

ni, & similia, producunt in stomacho majorem calorem, quam in se habeant: ergo debet ipsa substantia concurrere; nam accidentia non possunt majorem intensionem producere in passo extrinseco, quam ipsa habeant. Resp. neg. ma. imò nego, quod piper, aut spiritus vini, producent calorem in stomacho; nam tantum sua acredine, aut vehementi sapore, acriter afficiunt linguam, aut stomachum; hinc eo convolant quacunque ratione excitati, vel producti, atque submissi spiritus vitales, formaliter, & qui-

dem sati intensè calidi, qui dein linguam, aut stomachum calefaciunt: & idem dicendum est de variis medicinis, quæ stomachum dicuntur confortare; hoc enim eadem ratione faciunt: & hinc quandoque noxiæ sunt, dum sic spiritus consumuntur, vel aliquando calor nimius, aut temperamento noxius excitatur. Non tamen negaverim, in similibus latere aliquos igniculos: at non puto, eos sufficere, ad excitandum tantum calorem, quantus post talium rerum ingestionem quandoque in totum corpus redundat.

## ARTICULUS VIII.

### *Quænam sit Causa Productiva Substantie.*

1122. IN hac controversia, quæ de substantia materiali generabili agitur, triplex est auctorum sententia. Thomistæ cum quibusdam ex nostris docent, substantiam produci à solis accidentibus, tanquam causa immediata adæquata, sed instrumentalis, non principali; nam causam principalem dicunt esse substantiam, et si immediatè non influat. Scotistæ econtra cum pluribus ex nostris volunt, substantiam produci à sola substantia physicè influente, & accidentibus tantum per modum dispositionum se habentibus. Suarez cum aliis etiam multis afferit, substantiam produci à substantia, & accidentibus simul influentibus, ita, ut substantia sit

causa principalis, accidentia vero sint causæ instrumentales.

1123. Dico 1. Substantia non producitur ab accidentibus tanquam causa creata, immediata, & adæquata. Prob. argumento Scotti, quod ab aliis etiam communiter est receptum. Causa creata se sola immediatè, & adæquatè producens effectum, debet hunc præcontinerre, vel eminenter, vel formaliter, vel æquivalenter: sive debet esse, vel perfectior effectu, vel ejusdem specificæ perfectionis cum illo, vel saltem esse in alia specie æquè perfecta: atqui nihil ex his competit accidentibus comparatis: cum substantia: ergo. mi. patet. ma. prob. sensu communissimo omnium, nec eam

eam audent negare adversarii; hinc variis distinctionibus utuntur, quas mox refellemus.

Sanè Suarez, aliás ob suam erga adversarios modestiam laudatissimus, tamen *disp. 18. Metaph. sec. 2. n. 21.* cùm dixisset, nostram conclusionem niti duobus principiis, addit: *Unum est, formam instrumentariam, per se solam, & quasi destitutam ab actuali influxu principalis agentis, non posse esse sufficientem in ratione causa proxima, ad efficiendam formam se nobilorem: quod principium videtur mihi ferè ex terminis notum.* Certe communissimè omnes ex perfectione effectū colligunt perfectiōnem causæ, immediate, & adæquate efficientis: sive dein vocetur instrumentalis, sive principalis.

**1124.** Respondent adversarii 1. debere quidem causam principalem præcontinere perfectiones effectūs, vel eminenter, vel formaliter, vel æquivalenter, non autem causam instrumentalem. Quid sit causa principalis, quid instrumentalis, diximus *n. 1101.* quamvis non omnes eodem modo eas explicitent. Sed hoc omisso contra est. Sensus communis quoad hanc controversiam non distinguit, inter causam creatam principalem, & instrumentalem, sed attendit ad causam immediate, & adæquate efficientem: & hanc, sive dicatur principalis, sive instrumentalis, judicas debere præcontinere, vel eminenter, vel for-

Tom. II.

maliter, vel æquivalenter perfectiōnes effectūs; aliás ex perfectione effectū non amplius posset colligi perfectiō causæ creatæ, immediate, & adæquate efficientis: quod tamen fieri posse omnes censem, etiam adversarii in aliis occasionibus; hinc auctores complures expressè dicunt, quod causa immediatè, & adæquate efficientis, etiam si sit tantum instrumentalis, debeat uno ex dictis modis præcontinere perfectiones effectūs: certè Suarez *num. 1124.* citatus apertè loquitur de causa instrumentaria: & addit hanc rationem: *Quia, si illa forma runc non juvatur actu à superiori, tantum influit per id, quod in se actu habet: cùm ergo illud sit quid imperfectum, non potest per se solum efficere aliquid perfectius.*

**1125.** Respondent 2. sufficere, si causa instrumentalis præcontinet perfectiones effectūs virtualiter. Sed hoc est ludere in verbis; nam per virtualiter continere intelligunt, quod causa instrumentalis imperfectior, e. g. accidentis, sit virtus, à natura attributa causæ principalis, e. g. substantiæ, in ordine ad producendum effectum perfectiorem, e. g. substanciam; cùm tamen sensus communis hoc ipsum judicet non posse fieri, sive non posse instrumento imperfectiori dari talis virtus, aut ipsum ad talem finem à natura ordinari.

Respondent 3. accidentia opera-ri nomine substantiæ, & in ejus vir-  
L 11  
tute.

tute. Sed rectè replicant Suarez, & Arriaga, has esse meras denominations, aut relationes extrinsecas, quæ accidentibus non conseruant majorem vim physicam, quæ huc requiritur.

1126. Respondent 4. legatum multa posse facere in virtute, & nomine sui principis, quæ non potest facere nomine suo. Sed contra est. Dum quis constituitur legatus, hoc ipso accipit majorem vim, & virtutem moralem, & moraliter induit personam principis, atque huic in ordine ad certas actiones moraliter æquivalet: at verò accidens non accipit majorem vim physicam à substantia, neque huic in genere physico æquivalet, neque physicè induit substantiam &c. certè etiam legatus non potest nomine sui principis juvenis egredi saltare, si ipse senex habeat pedes fractos, aut podagricos.

1127. Respondent 5. alias causas, materialem, moralem, idealem &c. non debere esse tam perfectas, ac eorum effectus, adeoque neque causam efficientem instrumentalem, debere esse tam perfectam. Sed contra est. Causæ illæ etiam, quando sunt principales, non debent esse tam perfectæ, quam effectus, quod tamen nec adversarii admittunt in causa efficiente principali; unde non est paritas ab una specie causarum ad alteram: & de una habetur communiter longè aliud judicium, quam de altera.

Fundamentum hujus diversitatis judiciorum est ipse diversus modus influendi causarum; moralis enim tantum influit suadendo, materialis sustentando, idealis repræsentando: atqui videtur satis clarum, quod suavum, sustentativum, & repræsentativum, non debeat esse tam perfectum, ac est suavum, sustentatum, aut repræsentatum: econtra, quod ex propria adæquata virtute physicè efficit aliquid, eique dat omnes perfectiones, debet esse tam perfectum, quam id, quod efficit; nemo enim physicè dat, quod non habet.

1128. Respondent 6. posse instrumentum artificiale facere aliquid se longè nobilius, in virtute artificis, cui dein effectus adscribitur, e. g. penicillum posse producere imaginem, quæ dein attribuitur pectori: adeoque etiam accidens posse, tanquam instrumentum naturale, facere aliquid se nobilius, in virtute substantiarum, cui dein effectus attribuitur. Sed contra est. Instrumenta artificialia nihil producunt, nisi physicè moveantur ab artifice, vel ejus directione physica.

Verum hoc omisso: instrumenta artificialia, e. g. penicillus, nihil facit physicè perfectius seipso; nam tantum causat ubicationes coloris, quæ in genere physico non sunt nobiliores penicillo: quamvis in sensu morali, propter elegantem, & artificiosam colorum dispositionem, imago utique sit perfectior penicillo:

lo : sed etiam in eodem sensu imago est perfectior multis animalibus, quamvis ista in genere physico sint certò perfectiora.

Unde facile quidem admitto, quod accidens possit causare aliquid, in genere moris perfectius seipso : sic e. g. calor in artificiosis distillationibus, vel liquationibus, aut fusionibus, saepe efficit aliquam resolutionem, vel mixtionem, moraliter valde estimabilem : at non admitto, quod accidens possit facere aliquid perfectius seipso in genere physico. Eodem modo saepe in genere moris effectus tribuitur causæ mediatae, ut gubernatori cursus natus, architecto domus : at non ita illi tribuitur in genere physico.

1129. Respondent 7. male pro nostra sententia allegari sensum communem; cum in oppositum stet tota schola Thomistica, cum pluribus aliis auctoribus. Sed contra est. Alius est sensus communis doctorum: aliis sensus communis simpliciter talis : ille quidem desumitur ex consensu auctorum : & hunc omitto, non posse allegari pronastra sententia ; eoquod Thomistæ stent in oppositum : quamvis Scotistæ cum multo pluribus aliis, praesertim recentioribus, pro nobis stent.

Alter verò, seu sensus communis simpliciter talis, desumitur ex eo, quale judicium communiter homines, nullis rationibus scholasticis, praedictiis, sive authoritatibus

præoccupati, de re aliqua ferant, si de ea cogitent. At sanè quilibet, nec Thomistis, nec Scotistis additus, primo intuitu judicat, causam physicam, immediatè, & adæquatè efficientem, debere esse in perfectione saltem à qualibet effectui: nec possunt homines sibi imaginari, quod aliquod instrumentum, licet imperfectius, possit ex sola virtute sibi identificata, nomine alterius, nec minimum quid physicè conseruentis, producere aliquid perfectius.

1130. Inde enim est, quod, dum saepe vident effectum nobilem, eti accidentia, calorem, & similia aesse, sensu facilè percipiunt, tamen his non acquiescant, sed aliam causam effectui tali proportionatam, inquirant, &, cùm eam non inventiant, mirentur, ac causam à se ne sciri fateantur. Nee hic sensus est tantum hominum bardorum, aut debilitate ingenii laborantium, sed etiam perspicacium, quorum, eti philosophicis disciplinis imburi non sint, tamen sensum communem semper magni fecit Aristoteles, & sanè, accedente præsertim maxima auctoritate Philosophorum plurimorum, nostram sententiam amplectentium, ad minimum tantū estimandus est, ut, nisi rationibus valde efficacibus oppositum probetur, id admitti non debeat : istud autem non ita probari, patebit ex solutione objectionum.

1131. Dico 2. Probabilius substantia  
LII 2

stantia producitur adæquatè à sola substantia, & accidentia in eam nec inadæquatè influunt. ita Scotus, & Scotistæ, Ockam, & Nominales, Hurtadus *disp. 9. Physic. sec. 5. s. 53.* Oviedo *Constr. Phys. 9. punct. 4. n. 6.* Arriaga *disp. 11. Physic. sec. 2. n. 38.* ubi addit, hanc assertionem esse inter nostros valde communem: & sanè adhuc inter nostros recentiores est satis communis: quamvis opposita sententia etiam non careat magna auctoritate. Non tamen est, cur hæc in re nostræ sententiaz se præferat; nam, licet Thomistæ huic nostræ assertioni contrarii sint, tamen nec adversæ, quam hæc impugnamus, consentiunt; cum accidentibus adæquatum influxum in substantiam tribuant: dein ipsis Scotistæ, ac Nominales opponimus. Eximius *disp. 18. Metaph. sec. 2. n. 14.* quidem ait, influxum accidentium probari *ex communis sententia tot Philosphorum*; sed non dicit *ex communi omnium*: & certè non esse communem omnium, satis patet ex modò dictis.

Prob. conclusio. Quando adest causa univoca, seu formaliter continens perfectiones effectus, & necessariò debet influere, non debet ei adjungi causa æquivoca, præsertim imperfectior, de qua aliunde non constat, quod influat, nisi hic influxus efficaci ratione probetur: sed, quando producitur nova substantia, semper adest substantia alia, quæ est causa univoca, seu conti-

nens formaliter perfectiones effectus, & necessariò debet influere, ut probatum est suprà n. 1123. ergo non debet ei adjungi accidentis, quod est causa æquivoca, ac imperfectior effectu substantiali, & de quo aliunde non constat, quod influat, nisi ejus influxus efficaci ratione probetur: atqui non probatur, ut constabat ex solutione objectionum: ergo.

Prob. ma. Natura potius dat totam virtutem causæ univocæ, quam eam dispergat in plures causas æquivocas: ergo. prob. ant. natura accidenti, tanquam causæ univocæ, dat totam virtutem producendi aliud accidentis, ut probatum n. 1107. ergo. Et sanè ex hoc rectè Scotus infert, quod natura etiam totam virtutem producendi substantiam tribuat substantiaz: cur enim natura erga hanc sit parcior, quam erga accidentis?

1132. Confir. 1. Nisi dicatur, quod natura potius det totam virtutem causandi causæ univocæ, difficulter probabitur, quod aër, vel etiam materia prima, non concurrant partialiter ad efficiendas omnes formas materiales; nam semper debent adesse, sūntque etiam activæ; aër enim producit suas proprietates, & materia prima quantitatem, vel etiam suos modos (de qua re vide Suarezium *disp. 14. Metaph. sec. 3. n. 57.*) insuper etiam juvant ad productionem earum formarum, materia prima quidem immediate, aër autem ad

ad minimum mediare: sed hic con-  
cursus æris, aut materiæ primæ, à  
nemine admittitur: ergo. Confir. 2.  
In adversa sententia quibusdam ac-  
cidentibus, e. g. calori, conceditur  
virtus influendi in inumeras spe-  
cie diversas substantias: & hæc in

unum collecta est multò major,  
quàm si sit divisa in inumeras sub-  
stantias: atqui entibus tam imper-  
fectis, qualia sunt accidentia, non  
debet concedi tanta virtus,  
niñ valde efficaciter pro-  
betur: ergo.

## ARTICULUS IX.

### Solvuntur Objectiones.

3133. Ob. 1. contra 1. conclus.  
Ille modus agendi est  
concedendus substantiis, qui ad ea-  
rum finem est aptior: sed aptior est  
modus agendi per sola accidentia:  
ergo. prob. mi. finis substantiarum  
est producere alias substantias, &  
propagare speciem: sed ad hunc fi-  
nem aptior est modus agendi per  
sola accidentia: ergo. prob. mi. sic  
substantiæ possunt agere etiam,  
quando non sunt, & ubi non sunt,  
consequenter longè copiosius pro-  
pagare speciem: ergo. Resp. dist.  
ma. concedendus est substantiis mo-  
dus aptior, attamen convenienter  
limitatus. conc. ma. modus aptior  
etiam illimitatus. neg. ma. & dist.  
sic mi. neg. conseq. ad prob. dist.  
ma. finis est producere substantias,  
& propagare speciem illimitatè.  
neg. ma. intra suos limites. conc.  
ma. & dist. sic. mi. neg. conseq. ad  
prob. neg. conseq.

Hac ratione haberent substantiæ  
modum agendi, & propagandi spe-  
ciem, ultra limites convenientes;

natura autem non voluit propaga-  
ri species illimitatè; aliàs, cur non  
dedit substantiis virtutem agendi in  
distans? cur non dedit bovi virtu-  
tem generandi simul plures vitulos,  
ùt cani plures catulos? cur non de-  
dit gallinæ virtutem pariendi simul  
centum, & plura ova, uti pariunt  
pisces? certè sic copiosius possent  
propagare suam speciem.

1134. Ob. 2. Potuit Deus acci-  
dentialibus identificare virtutem pro-  
ducendi substantiam: ergo proba-  
bilius eam identificavit. ant. patet;  
quia nulla appetit in hoc repugnan-  
tia. conseq. prob. sic melius esset  
provisum substantiis, ut patet ex  
n. præc. ergo. Resp. retorq. arg. po-  
tuit Deus facere machinas, quas  
omnes actiones exhiberent, quas  
cernimus in brutis: ergo tales fecit,  
& bruta non vivunt: quod adver-  
sarii Cartesiani non concedent;  
unde dicta superius n. 490. & 491.  
huc suo modo spectant. Scilicet  
à potentia ad actum argumentatio  
affirmativa non est bona: neque  
etiam

etiam ex eo, quod tal modo esset sub aliqua ratione melius provisum substantiis, infertur, Deum ipsis eam virtutem contulisse; non enim omnem virtutem ipsis bonam illimitatè concessit, ut dictum n. præc.

1135. In forma dist. ant. potuit Deus his accidentibus, quæ defacto existunt, identificare virtutem producendi substantiam. neg. ant. potuit aliis identificare. om. ant. & neg. conseq. Non potest Deus mutare essentias rerum; unde his accidentibus, quæ defacto non habent identificatam sibi eam virtutem, non potest, nec potuit, eam unquam identificare. Si dicas, gratis dici, quod accidentia ista non habeant sibi identificatam eam virtutem. Resp. gratis potius afferi, quod eam habeant: & hinc non gratis negari, præsertim, cum sensus communis stet nobiscum.

1136. Ob. 3. Actio productiva substantiaz est tantum accidens: sed accidentia præcontinent perfectionem accidentis, & possunt istud producere: ergo etiam præcontinent perfectionem istius actionis, & eam possunt producere: ergo etiam possunt producere substantiam, quæ posita actione productiva ipsius necessariò producitur. Resp. dist. ma. actio illa est tantum accidens aliquod absolutum. neg. ma. est accidens modale, indispensabiliter post se trahens substantiam tanquam effectum. conc. ma. & dist. 2. p. mi. accidentia possunt produ-

cere aliud accidens absolutum. conc. mi. accidens tale modale, quod indispensabiliter post se trahit substantiam tanquam effectum. neg. mi. & utramque conseq.

Nunquam diximus, accidentia etiam activa posse producere quodlibet aliud accidens, sed tantum aliud sibi simile ad extra: neque etiam credo, quod accidentia possint producere ubicationes, vel durationes substantiaz, multò minus actiones productivas illius; nam agens, quod non potest producere ipsam substantiam, neque potest producere actionem ejus productivam, ut est per se clarum.

1137. Ob. 4. Actio productiva substantiaz, utpote modus accidentalis, atque ideo imperfectior effectu, non præcontinet ejus perfectiones, & tamen istas ei tribuit: ergo nostra probatio n. 1123. adducta est nulla. Resp. neg. 2. p. ant. Actio non tribuit propriè loquendo perfectiones effectui; non enim est causa habens se ut quod, sed tantum est causalitas, transitus, via, & tendentia, seu datio, & communicatio, habens se ut quo, per quam causa communicat perfectiones effectui: sicut usio est tantum via, seu communicatio ut quo, per quam forma communicat suas perfectiones materiaz: & hinc unio non est tam perfecta, quam forma.

1138. Dices. Etiam accidentia perfectiones effectui tantum dant ut quo: ergo non debent eas præcon-

continere. Resp. dist. ant. tantum dant ut quo, sicut actio. neg. ant. dant ut quo, sicut natura dat ut quo. conc. ant. & neg. conseq. Dare ut quo aliquando significat, dare quidem ut virtutem activam, non tamen ut totum suppositum, cui tanquam principio ut quod adscribuntur actiones: & sic ut quo dat natura, quæ debet esse æquæ perfecta, ac effectus; alijs non potest eum tanquam virtus activa producere; sic autem etiam in sententia adversa dant accidentia perfectiones effectui. Aliquando autem dare ut quo significat tantum, dare ut viam, transitum, aut ipsam formalem communicationem: & sic ut quo dat actio, quæ non debet esse tam perfecta, ac effectus, ex dictis n. præc. sic autem non dant accidentia, quæ juxta adversarios verè sunt ipsa virtus productiva substantiæ.

1139. Ob. 5. Quando dicimus, causam debere esse proportionatam effectui, vel volumus dicere, quod debeat esse præ aliis similis effectui: & sic una imago erit proportionata ad pingendam alteram præ penicillo, quod est falsum: vel volumus tantum dicere, quod debeat habere virtutem producendi effectum: & hanc habent accidentia: ergo malè explicamus proportionem causæ ad effectum. Resp. neg. ant. volumus enim aliud dicere, nempe causam debere præcontinere perfectiones effectus, vel forma-

liter, vel eminenter, vel saltem æquivalenter, simùlque habere fecunditatem, seu potentiam agendi.

Nam, licet Angelus eminenter contineat perfectiones substantiarum materialium, tamen non potest eas producere ob defectum fecunditatis: & multo minus una imago habet fecunditatem ad producendam aliam. Non autem dicimus, causam proportionatam esse illam, quæ potest producere effectum; hoc enim esset explicare idem per idem: multo autem minus admittimus, quod accidentia habent virtutem producendi substantiam; nam oppositum hucusque probavimus.

1140. Ob. 6. Si causa adæquata debet præcontinere id, quod dat effectui, debet etiam præcontinere imperfectiones: hoc est falsum: ergo. prob. mi. siæpe causa adæquata creaturæ est Deus: sed hic non præcontinet imperfectiones creaturæ: ergo. Confir. Causa adæquata dat effectui perfectiones, à se distinctas: sed has non habet: ergo dat, quod non habet: ergo hoc non implicat. Resp. 1. retorq. erg. in causa principali. in forma. dist. ma. debet præcontinere imperfectiones eminenter. conc. ma. formaliter. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. dist. mi. ut prius, & neg. conseq.

Resp. 2. neg. ma. Facilè capitur, quod aliquis possit dare minus, quam ipse habeat: non autem, quod pos-

possit dare plus : atqui etiam Deus, quando suo modo dat imperfectiones, seu potius perfectiones limitatas, tantum dat minus, quam ipse habeat. Ad confirm. dist. mi. causa non habet perfectiones à se distinctas in individuo. conc. mi. non habet eas in specie, seu formaliter, aut in aliquo meliore, seu eminenter, vel saltem æquivalenter. neg. mi. & conseq. Causam dare perfectiones effectui, non significat, eas quasi ex marsupio extrahere: sed significat, per generationem physicam eas producere, de qua generatione vide dicta n. 117.

1141. Ob. 7. Sæpe producuntur substancialæ, quando non adest ulla causa substantialis, à qua possint produci: ergo, vel debet dici, quod producantur ab accidentibus, vel debet recurri ad causas universales, solem, aut alia astra, vel omnino ad Deum: atqui astra inanimata etiam sunt imperfectiora viventibus: recurrere autem ad Deum non decet Philosophos: ergo debet dici, quod producantur ab accidentibus. ant. prob. quando generantur ex putri, vel similibus inanimatis materialiis, varia animalia, præsertim imperfecta, aut insecta dicta, quæ etiam appellantur sponte nascentia, saepissime, imò ordinariè, nulla adest causa substantialis vivens, à qua producantur: ergo. Similes adducuntur aliij effectus, & præsertim frequens productio ignis, quin adsit alijs ignis, à quo ille producatur.

1142. Hoc argumentum est adversariis præcipuum: sed, uti facile est, pro quolibet tali effectu assignare accidentia tanquam causam, ita difficile est intellectui, causæ tali contra, communem persuasionem assignata, acquiescere: nec videatur magis decere Philosophum, recurrere tanquam ad machinam, ad accidentia vagè accepta, quam ad Deum: & sane magni viri cum Suarezio *disp. 18. Metaph.* scc. 2. & n. 39. malunt in similibus recurrere ad Deum, cuius officium est, supplere defectum causarum secundarum, quando ipsæ adesse non posunt.

1143. Certè omnes Philosophi sine dedecore recurrunt ad Deum, in conservatione substancialium: quidni etiam aliquando similiter recurrant ad eundem in productione aliquarum substancialium, in iis tantum circumstantiis, in quibus nulla apparet causa creata proportionata? Non tamen propterea talis substancialia producta dicenda esset miraculosa; cùm Deus eam produceret, ut auctor naturæ ad exigentiam dispositionum &c. videatur etiam Ulloa *Phys. Specul. disp. I. c. 2. n. 42.*

Sed quidquid sit de recursu ad Deum, aut ad causas universales, neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. nam longè credibilius videtur, quod in generatione, vel potius perfectione talium animalium, semper adsit semper, jam instructa anima

vivente, quæ deinde adgeneret sibi novam materiam, & perfecta tandem organa, seu corpus efformet: sed quod sequenti articulo pluribus confirmabimus. Quod spectat ad ignem, & similia, iis jam causam aliquid habimus supra n. 202. & poterit similis assignari pro aliis, majori facile credibilitate, quam si assignentur accidentia.

1144. Ob. 8. contra 2. conclus. In nostra sententia gratis multiplicantur perfectiones substantiarum: ergo non debet admitti. prob. ant. gratis admittitur, quod substantia possit adæquatè producere substantiam: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. Non in nostra, sed potius in adversa sententia, multiplicantur perfectiones; nam illam perfectionem, quam nos dispergimus in plurimas substantias, adversarii colligunt in unum, idemque accidens, e. g. calorem; nam calor, & quidem quodlibet caloris individuum, juxta adversarios potest influxum inadæquatum praestare in innumeratas, & specie diversissimas substantias; cum tamen nos præter influxum inadæquaturn, quem etiam adversarii substantiarum concedunt, non admittamus in quacunque substantia alium influxum inadæquatum, nisi in substantias suæ speciei, vide etiam dicta n. 1732. Adde, quod, si debeant admitti perfectiones, istæ convenientiùs admittantur in causa substantiali univoca, quam in

causa accidentalí æquivoca, & longe imperfectiori.

1145. Dices 1. Non solus calor juxta adversarios præstat totum illum influxum, quem nos addimus substantiarum, sed tantum omnia accidentia simul sumpta: ergo nulla responsio. Resp. neg. conseq. In primis ista accidentia sunt valde pauca; quia pauca sunt activa. Dein ista eadem pauca in individuo accidentia habent virtutem influendi, in diversissimas species substantiarum inumerarum, qualis virtutem nos nulli substantiarum in particulari, excepta fortè una, aut altera causa universalis, concedimus. Insuper hoc semper manet, quod convenientius multiplicentur perfectiones, seu admittatur virtus influendi, in causa univoca, quam in æquivoca.

1146. Dices 2. Juxta nos accidentia in omnes substantias influunt dispositivè: ergo etiam in his multiplicantur perfectiones. Resp. dist. conseq. aliquo modo, conc. conseq. eodem modo, quo ab adversariis neg. conseq. Utique est aliqua perfectio accidentis, posse disponere passum: sed, quæ ab omnibus debet admitti, nec tanta est, quanta est posse physicè influere; nam dispositivè influere aliud non significat, quam producere dispositiones, seu accidentia, e. g. calorem, vel frigus, nec in se est aliud (nisi forte quoad intensionem) dispositivè influere in hanc, quam in aliam substantiam.

stantiam: & ad hunc influxum tantum requiritur potentia producentia accidentia sibi similia: at verò physicè influere in diversissimas substancialias est habere virtutem communicandi perfectiones diversissimis effectibus, & essentialiter respici ab actionibus productivis eorum effectuum: quod est utique aliquid longè majus.

1147. Dices 3. Instrumenta artificialia possunt physicè influere in diversissimas species artefactorum: ergo etiam instrumenta naturalia, seu accidentia, possunt physicè influere in diversissimas species effectuum naturalium. Resp. neg. conseq. In primis instrumenta artificialia nunquam producunt aliquid se perfectius in genere physico, de quo vide dicta n. 1128. Dein tamen tantum producunt novas ubicationes radicales materiarum, quæ quoad perfectionem physicam sunt quasi æquales.

Rursus influxus instrumentorum artificialium efficaciter probatur esse necessarius ad effectum; nec enim artifex sive scalpro faciet statuam, aut sive acu consuet vestem: nec acus, aut scalprum, tantum disponunt materiam, ut est per se clarum: nulla autem similis ratio probat necessitatem influxus physici accidentium in substantiam: neque etiam est paritas, inter hæc instrumenta artificialia, & accidentia; nam illa sunt substancialiæ, & nil debent efficere seipsis præstantius: in-

super sepe ipsa sola producunt totum effectum artis, artifice tantum directivè, vel mediatelye concurrente: quod adversarii secundæ conclusionis aëcentibus non concedunt.

1148. Ob. 9. Accidentia determinant, ut potius hæc, quam alia species substancialiæ producatur: ergo influunt physicè in substantiam: conseq. prob. ideo species influunt physicè in cognitionem; quia ad hanc determinant intellectum: ergo etiam accidentia influunt physicè in substantiam. Resp. dist. ant. accidentia determinant tanquam dispositiones. conc. ant. tanquam causæ physicæ. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. ant. species influunt physicè; quia determinant intellectum quomodoque. neg. ant. quia determinant curto modo, quo non determinant accidentia ad substantiam. conc. ant. & neg. conseq. Species juxta omnes se habent ut sigillum impressum, quod non est dispositio ad sigillum expressum in cera, sed est hujus vera causa: adeoque etiam species non sunt dispositiones ad cognitionem, sed veræ ejus causæ: neque tantum ad hanc determinant dispositivè, sed effectivè.

1149. Accedit, quod in productione cognitionis nulla interveniat causa univoca; nam una cognitio non producit alteram: igitur intellectui, qui est causa aequivoca, facilius potest adjungi alia cen-

concausa, nempe species, præser-tim, cùm ista habeat, aliquo modo, nempe virtualiter, prædicatum imaginis, idque possit tribuere co-gnitioni : quod prædicatum eo-dem modo intellectus non habet; licet enim hæc ratio necessaria non sit, sive, licet non sit necessarium, ut concausa semper tribuat aliquod prædicatum, quod altera concausa non habet, tamen potest esse ratio sufficiens, seu ratio meritò dicen-di, quod aliquid etiam sit concausa, maximè, si altera concausa tan-tùm æquivoca sit, & illud prædica-tum eodem modo non habeat.

1150. Adde, quod habitus intel-lectuales probabilius, ut suo loco dicemus, sint identificati cum spe-ciebus multiplicatis, & rite coor-dinatis : atqui habitus juxta omnes physicè influunt in actus : ergo etiam species multiplicatae : si autem influunt species multiplicatae, etiam influunt solitariè acceptæ : at verò nullà similis ratio pugnat pro influ-xu physico accidentium in substaniam : ergo. Neque tamen pro-pterea accidentia dantur substantiis tantùm ad ornatum ; nam eorum officium, idque sufficiens est, ut sint proprietates necessariae ad conser-vationem antiquarum, & sint di-spositiones ad productionem nova-rum substantiarum. Et quia ad pro-ducentam unam formam requiri-tur intensior dispositio, quam ad alteram, e. g. intensior calor ad producendum ignem, quam ad ge-

nerandum animal ; hinc saxe ne-cessa est, accidentia in passo inten-di : & sic e. g. debet per specula caustica intendi calor, ut accenda-tur aliquod subjectum.

1151. Ob. 10. Illud, quo præ-sente constanter producitur effe-ctus, & quo non præsente non pro-ducitur, est causa : sed ita se habent accidentia : ergo. prob. ma. ex hoc capite infertur, quod unus ignis sit causa alterius : ergo. Resp. 1. re-torq. arg. in materia prima, imò & in aëre, de quibus vide n. 1117. & n. 1132. Resp. 2. neg. ma. ad prob. neg. ant. Ex hoc tantum probatur, quod aliquid sit requisi-tum ad actum primum : neque ex hoc solo probatur, quod unus ignis sit causa alterius, sed insuper ex eo, quod contineat omnes perfectio-nes alterius ignis, tanquam ei o-mnino similis, quodque non adsit alia causa creata, cui convenienter possit adscribi productio ignis; cùm tamen effectus, substantialiter ex materia generati, producantur ab aliqua causa creata, ut communi-ter supponunt Philosophi.

1152. Dices 1. Ignis non produ-cit aliud ignem, nisi ut calidus : ergo etiam calor producit. Resp. om. ant. neg. conseq. nam ex hoc tantum probatur, quod calor sit aliquid necessarium, non verò, quod sit causa : neque etiam termi-nus, super quem cadit reduplicatio (ut hic est calor) semper est capax prædicati, quod propter ipsum al-teri

460 *Philos. Peripat. Pars II. Disp. III. Quaest. III. Art. IX.*  
teri tribuitur, ut s<sup>e</sup>pe diximus. vide in Lögica n. 578.

Dices 2. Substantia non potest naturaliter existere sine accidentibus: ergo neque operari; nam est commune axioma: *Operari sequitur ad esse.* Resp. neg. conseq. acceptam in hoc sensu, quod substantia non possit operari sine accidentibus tanquam concausis; nam sine ipsis cœxistentibus, aut disponentibus, non potest agere. Axiomatici sensus præcipue est, quod inter causam, & effectum, debet dari aliqua proportio, & pro majori perfectione cause detur etiam exteris paribus perfectior operatio.

1153. Dices 3. Si ignis e. g. spoliaretur supernaturaliter suis accidentibus, & applicaretur immediatione suppositi passo aliquade disposito, non posset producere ignem: atqui non ex defectu dispositorum, quæ adessent: ergo ex defectu concausæ: ergo accidentia sunt concusa. prob. ma. sensus communis ita judicat; nemo enim timet, se comburendum ab igne non calidorego. Resp. bene dictum: si ignis applicaretur immediatione suppositi; nam alia applicatio in hoc casu dari non posset, de quo vide dicta n. 1068. & 1084. supposita autem hac applicatione neg. ma. ad prob. neg. ant. Sensus communis ordinariè non solet ferre judicium de ea sibus miraculosis: dein, eti<sup>m</sup> forte negaret, subjectum frigidum, & indispositum accendi ab igne non

calido, tamen non etiam negaret, subjectum jam dispositum accendi: certè, si quis in se jam seatiret sepsim gradus caloris, meritò sibi timeret ab igne qualicunque applicato.

1154. Quin etiam videntur adversarii debere dicere, quod tali ignis in tali subjecto producat ignem; cum accidentia in passo recepta juxta ipsos essent concausæ ad producendum ignem; gratis enim diceretur, quod tantum accidentia passo extrinseca sint concausæ; cum accidentia passo intrinseca, cooperando ad productionem substantiarum, neque intenderent seipsa, nec agerent in malum universi, nec in destructionem sui subjecti sustentationis, sed tantum informationis, in cuius destructionem accidentia violenta s<sup>e</sup>pissime agunt: adeoque nihil obster, quo minus concurrant. Quodsi tamen adversariis lubeat, aut liceat dicere, quod sola accidentia passo extrinseca, per causam agentem producta, possint esse hujus concausæ, licet etiam nobis eadem probabilitate dicere, quod sola accidentia, per causam agentem producta, tanquam dispositiones constituant eam primum proximum, ab ea causa ad agendum requisitum, adeoque ista causa in casu objectionis non possit agere.

1155. Ob. 11. S<sup>e</sup>pe substantia producit substantiam in passo valde remoto: ergo debet juvari ab ac-

accidentibus, tanquam concausis. prob. conseq. substantia non habet tantas vires in ordine ad passum remotum, quantas habet in ordine ad passum propinquum: ergo, si agit in passo remoto, debet juvari ab aliqua concausa: alia nos adest, quam accidentia: ergo debet juvari ab ipsis, tanquam concausis. Resp. neg. conseq. ad prob. dist. ant. substantia non habet tantas vires in ordine ad producendum effectum quoad substantiam. neg. ant. quoad modum, vel intensio- nem. conc. ant. & dist. conseq. debet juvari quoad substantiam. neg. conseq. quoad modum, vel intensio- nem. om. conseq. & om. subsumpt. neg. 2. conseq.

1156. Causa respectu passi remoti, attamen adhuc existentis intra sphæram activitatis, habet tantas vires, quantæ requiruntur ad producendum effectum quoad substantiam: at non habet tantas vires, ut possit in passo remoto effectum producere tam celeriter, quam in passo propinquo, vel etiam in tanta intensione, si effectus sit capax intensionis, cuius tamen capax non est substantia: sic ignis non potest tam celeriter producere aliud ignem in ligno remoto, quam in ligno propinquo: neque etiam calor tam intensem calorem; quare non debet substantia, e. g. ignis, juvari ad producendum ignem quoad substantiam: quoad modum autem juvari potest per solas disposi-

tiones, celerius, vel intensius pro- ductas, absque eō, quod acciden- tia influant phisicè in substam- tiā.

1157. Ob. 12. Si substantia ade- quatè produceret aliam substantiā, non posset simul conservare ac- cidentia sibi intrinseca: atqui hoc est falsum: ergo. prob. ma. sub- stantia deberet totam suam virtutem impendere novæ substantiæ producendæ, tanquam effectui, vi- ribus suis commensurato: ergo non posset simul conservare acci- dentia. Confirm. Accidens non potest se solo producere accidentem perfectum, quam est ipsum: ergo neque substantia potest se sola producere substantiam.

Resp. neg. ma ad prob. neg. ant. & omissis aliis responsis dico, quod saltem concursus Dei, quo adjuvat substantiam agentem, tantus sit, quantus à substantia requiritur ad conservanda sua accidentia. Ad confirm. dist. ant. non potest produce- re accidentem, tam perfectum quoad essentiam, quam ipsummet est. neg. ant. tam perfectum quoad inten- sionem. om. ant. & neg. conseq.

1158. Essentia accidentis, tam producentis, quam producti, est ejusdem perfectionis (supposito, quod producens sit causa univoca, quod debet supponi; nam etiam substantia producens equivocapote- test esse perfectior substantiæ pro- ductæ) at intensio saltem ordinariè est diversa, ut habetur ab experien- tia;

tia ; quia agens ordinariè non assimilat sibi passum, qua de re inferius n. 1524. Pariter autem essentia substantiaz producentis , & productæ , sunt ejusdem perfectionis: cumque substantia non sit capax intensionis, effectus erit omnino æqualis quo ad substantiales perfectiones, quamvis quoad accidentales , quarum causas esse accidentia non negamus, sœpe sit notabilis diversitas.

1159. Ob. 13. Deus potuit substantiis tribuere, vel virtutem adæquatam producendi substantias, vel tantum virtutem inadæquatam: ergo non habetur ratio potius dieendi unum, quam alterum. Confirm. Deus etiam potuit dare quibusdam substantiis adæquatam virtutem , aliis tantum inadæquatam: sicut aliquibus tribuit virtutem propagandi speciem , ut animalibus , aliis non tribuit , ut Angelis : ergo saltem non potest dici universaliter , quod substantiaz habeant adæquatam virtutem producendi substantiam.

Resp. neg. conseq. nam rationes sunt nostræ probations. Ad confirm. iterum neg. conseq. nam modus agendi Dei, ut authoris naturæ, est uniformis; unde, si de quibusdam constat, ea habere aliquam virtutem, rite infertur, etiam alia, in quibus videtur esse par ratio, habere eandem virtutem: & ad hanc negandam debet haberi specialis ratio ; alias nunquam in physicis posset formari judicium universale,

aut argumentum ab inductione : possitque dici , aliquem calorem esse accidens absolutum , nempe, qui datur in SS. Eucharistia , alium verò esse modalem : quæ sunt ex se absurdæ.

1160. Dices 1. Ex eo, quod substantia habeat adæquatam virtutem producendi substantiam, non sequitur, quod sola exclusis accidentibus eam producat: ergo. prob. ant. Deus, etiæ habeat adæquatam virtutem producendi omnia , non tamen omnia se solo producit: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Deus est causa libera, & voluit etiam creature agere , ut fuse probatum à n. 107. non ita liberæ sunt substantiaz creatæ, ut pro libitu possint attenuare suum influxum, ita , ut etiam accidentia physicæ influant; cum præfertim probari non possit , ista habere vim physicæ influendi.

1161. Dices 2. Sententia , concedens accidentibus partialem influxum in substantiam , saltem potest semper assignare causam partialem quorumcunque effectuum: ergo est præferenda. Resp. neg. conseq. quia hæc ipsa causa assignatur sine fundamento : certè sententia concedens accidentibus totalem influxum potest semper assignare causam totalem , nec tamen præfertur. Dein, si tantum potest assignari causa inadæquata, tamen debet recurreri ad Deum, tanquam ad causam particularem , quem recursum,

*Quæ sit Causa Sponte Nascentium, & an Semina vivant.* 463

sum, sive sit ad Deum, tanquam causam totalem, sive tanquam ad causam partialem, horrent Philosophi. Interim, admissa vita seminum, ferme in omnibus casibus potest assignari causa totalis effectuum, quin configuiatur ad accidentia: si autem

aliquando assignari non possit, in casu raro, non erit nobis indecorum recurrere ad Deum, tanquam ad causam totalem, sicut adversarii non putant sibi indecorum recurrere ad eundem, tanquam ad causam partialem.

## ARTICULUS X.

*Quæ sit Causa Sponte Nascentium, & an Semina vivant.*

1162. Dicuntur quidem *Sponte nascentia* propriè illa, quæ sinè cultura, aut industria humana, sponte nascuntur in hortis, & agris, quæque ideo etiam *Fructus naturales*, hoc est, solius naturæ beneficio orti, vocantur: at in hac quæstione appellantur *Sponte nascentia* illa animalia, aut plantæ, quæ sinè causa, saltem communiter cognita, nascuntur, adeoque rufibus quibusdam videntur, à se ipsis, seu sua sponte nasci: talia sunt insecta quamplurima, vermes, muscæ, scarabei, & similia, præsertim ex putredine provenientia animalia imperfetta: variae item plantæ in altis ædificiis, aut solis aquis, vel etiam animalium corporibus enatae &c.

1163. Horum causam multi antiqui voluerunt esse accidentia, ut dictum n. 1141. alii verò assignarunt causas universales, solem, aut alia astra, vel etiam Deum. Sed cum accidentia sint his effectibus improportionata, ex dictis n. 1123. recur-

sus autem ad causas universales, & maximè ad Deum, non videatur esse digaus Philosopho, alii aliam causam indagârunt: & quidem aliqui eam se invenisse existimârunt, in panspermia primordiali, seu in seminibus, ab exordio mundi à Deo per omnia elementa dispersis, & quidem tanto numero, ut omnibus viventibus sponte nascentibus, tam animantibus, quam plantis, sufficere possint. Hanc panspermiam adstruunt Kircher us l. 12. Mund. sub-serr. sec. 1. c. 1. itémque Fabri tom. 5. tract. de Plantis l. 2. propos. 98. & alii. Adducuntur pro ea etiam SS. Patres, præcipue S. Augustinus l. 3. de Trinit. c. 8. ac seq. item l. 3. de Genes. ad lit. c. 14. Verum quidquid sit de hac panspermia primordiali.

1164. Dico 1. cum aliis auctori-bus, præsertim recentioribus pluri-mis. Causa sponte nascentium suf-ficiens est causa panspermia minùs stricte dictæ: seu sunt causæ secun-dæ, copiosissimè semina emittere-tes.

tes. Antequam conclusionem hanc probem, prænotanda sunt aliqua. Primo. Sub ipsum mundi exordium etiam producta fuerunt aliqua animalia, similia iis, quæ ex putri, vel alia materia, sponte nasci dicuntur, e. g. vermes, muscæ &c. certè de hoc non videtur dubitandum, ut nec de eo, quod calium insectorum plures species, quæ inter aquas vivere non poterant, servatae sint intra arcam Noë, intra cujus angulos, utique muscæ, scarabei &c. delituerint: ab his autem ita servatis producta successivè fuere innumera examina insectorum, usque ad nostra tempora; nam

1165. Secundò. Hæc animalcula sunt vix non incredibilis fœcunditatis, adeò, ut facile uno quasi continuo partu quadraginta, aut quinquaginta ovula effundant: quin papilio bombyx centum circiter ovula continuatim pariendo emitit, ut ipsemet vidi. Testatur etiam Redi in *Experiment. circa generas. insectorum edit. Amstelodam. 1671.* tom. I. fol. mibi 41. ex unico minime putamine quandóque triginta, aut quadraginta culices prodire: imò fol. 61. affirmat, aliquas muscas virides adeò esse fœcundas, ut ducenta ova pariant: additque fol. 167. vidisse se araneam, quæ centum sexaginta ova pepererit. Aristotleles quoque l. 6. *Histor. animal.* c. 37. refert, murem fœminam prægnantem, in vase miliario captam, paulò post centum viginti musculos

peperisse: quin addit, in quadam parte Persia, in ventre muris aper-to inveniri fœtus, etiam ipsos jam prægnantes.

1166. Tertiò. Ex arithmeticâ demonstratur, quod, si granum frumenti seminatum primo anno unam spicam, & in ea viginti nova grana proferret, & hæc iterum seminarentur, altero anno jam quadrageinta grana colligerentur: quodsi hæc iterum, & ulterius per viginti annos semper omnia grana collecta seminarentur, tantum frumenti enasceretur, ut illud nullo modo terra, imò vix tetum cælum caperet; mille enim millions producerentur, ex quibus qualibet unitas iterum millions millionum contineret, & harum ultima ratio etiam qualibet unitas iterum millions includeret.

1167. Cogitetur jam, quam ineffabilis numerus seminum ab innumeris insectis, non tantum per viginti, sed per aliquot millia annorum prognatus sit, maximè, cum eodem anno sèpius, & aliqua vix non quotidie nova semina emitant, atque ipsa proles rursus se multiplicet: certè quocunque muscae advolant, & cibum sapidum inventi, mox ad saturitatem pastæ semina aliqua relinquunt, ut patet in melle, lacte &c. quæ à muscas non defensa mox vermiculis scatent, qui dein in muscas diversas mutantur.

1168. Sic etiam videmus sèpe in granariis ingentem copiam verium,

mium, potissimum alborum, qui grana devorant, ac tandem in mucarum, seu parvorum papilionum, integros exercitus mutantur, atque avolant, relicts denovo ovulis, ex quibus novi vermes nascuntur. Pariter videmus, insecta campestria arboribus, & fruticibus, vel etiam caulinibus, & brassicis, ubique sua semina copiose aspergere: vel etiam in materia putrida, aut excrementis variis deponere. Experimur eodem modo, pulices, aliquaque animalia sordida, intra paucos dies vestes, & capillos, ac cutem, innumeros ovulis implere. Sanè nullus ferre locus ab hujusmodi seminibus variorum insectorum est liber: saepe deprehenduntur iis scatere cortices, & folia arborum, scrobes terræ, fissuræ murorum, crines, & pelles animalium.

1169. Evidem, nisi millions ovulorum, antequam foetus excludantur, perirent, nisi etiam ipsa insecta ab aviculis, vel aliis bestiis, tanquam cibus copiosissime absumerentur, & nisi insuper à natura vitam brevem sortita essent, jam mundus omnis, vermbus, muscis, aut scarabeis, esset oppletissimus, ut aliis rebus locus non esset. Interim videmus tamen, ovulorum infinitam quasi multitudinem fœtum excludere; tum, quod ex natura sua ordinariè involuta sint, ut ait Malpighius, quasi secundinis quibusdam, nempe aliquâ crustâ, sufficien-  
te ad arcenda contraria; tum, quod

frigoris, ac variaz tempestatis, valde patientia sint; tum etiam, quod natura ipsis insectis instinctum aliquem dederit, ut aliqualem seminum suorum curam habeant; unde ea talibus in locis, aut eo modo deponunt, ut non ita facile possint perire.

Hinc diversi papiliones, cum semina in folio quodam deposuerunt, hoc suo modo complicant, ne vento, aut pluviis semen pateat: hinc plerique insecta iis in foliis, aut plantis, semina deponunt, quibus animalculum novum, cum ex ovo prodierit, mox queat nutriti: quin *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom. 3. an. 1711. livellet. a. 113. pag. 1307.* referunt, quod musca *Lepus* dicta, alterius insecti, *Pediculus Brassica* dicti, ventrem suo aculeo terebraverit, & in eum ovulum immiserit: ex quo natu-  
rus vermiculus devoraverit huac suum nidum, seu ventrem insecti, & prodierit musca plenè formata. Quandisque etiam muscae, aut papiliones, ovula sua in floribus arborum, antequam folliculi indurescant, tanquam in tuta matrice relinquunt; unde postea fit, ut includantur in fructibus, & in istis nascantur vermiculi.

Quæ autem de seminibus inse-  
ctorum hic dicta sunt, pariter, aut adhuc magis intelligenda sunt de seminibus plantarum; cum plantæ adhuc multò magis fœcundæ sint, quam sensitiva; & semina in longè

majore copia proferant : certè unum granum papaveris aliquot centena nova granula, & quælibet arbor, aut vītis, multa millia seminū profert. Accedit, quodd plantæ, non tantū per feminā formaliter talia, sed etiam per virtualiter, seu æquivalenter talia, id est, per radices, virgulta, aut palmites, se se facillimè propagent.

1170. Quartò. Hæc semina, cōpissimè emissa, variis postea de causis, in omnem orbem sparguntur, & abditissima quæque, forte etiam ipsos poros quorundam corporum, magis patulos, subintrant; nam iaprimis ventis hinc inde disperguntur: dein aquarum eluvionibus, sive à pluviis, sive alia ex causa ortis, in varias plagas avebuntur: cum evaporationibus terræ sursum trahuntur, & postquam in aëre diu vagata fuere, per pluvias, nives, aut etiam grandines, diversissimis in locis demittuntur.

Rursus animalia, volucres præsertim, dum semina ipsa, vel herbas, seminibus plenas, aut etiam animalcula seminibus prægnantia, devorant, inde necdum corrupta, sed adhuc germinationi apta, inter excrementa iterum emitunt: vel aliquando, nescio quo, in rostris deferunt, & alicubi deponunt, aut si bi excidere permittunt semina, vel alia seminibus grāvida.

1171. Unde facilè capit, quodd terra, & aqua, & aēr, his seminibus scateat: & quomodo sēpe in al-

tissimis ædificiis, maximè in vetustioribus, nascantur variae herbæ, quin & arbusta varia: nempe semina, vel à vento, vel ab avibus, aut alia causa, in altum elevata, in putrem aliquam materiam, aut pulverem inciderunt: inde frequentes pluviae supervenientes massam aliquam constituerunt, in qua radices agi potuerunt, & planta enasci. Sic etiam explicari potest, unde sēpe superficies aquæ herbis obducta sit, quæ ad fundum usque non porrigitur: scilicet semina, unā cum pulveribus variis illuc quoquaque casu delata, & vel ob aquæ motum, vel minorem gravitatem ibi hæretia, in illa pulverulenta massa, tanquam in aliqua terra, radices agunt, & germinant. Item sic explicatur, qua ratione ex terra profundissimè effossa nascantur germina, non, quodd in visceribus intimis terræ sint semina, sed, quodd in talem terram, aëri expositam, facilè aliqua variis viis advehantur.

1172. Sic etiam explicatur genesis visci in arboribus: scilicet tardus semen visci, à se prius devoratum, inter excrementa sua depositum, in certæ arboris fissuris, quod dein ex arboris illius succo non alter crescit, quam frondes aliae, diversis arboribus insitæ. Est autem hoc singulare visco, quodd semen eius non germinet, si terræ immittatur, sed tantum, si arbori immittatur, & non qualicunque, sed, vel quercui, vel robori, aut ilici, quibus

bus addunt alii primum sylvestrem, ac terebinthum: scilicet, ut natura aliis plantis, aut animalibus, certas matrices assignavit, ita & visco certas arbores: quin observat Plinius, semen visci non, nisi domitum ventriculo turdi, esse fœcundum.

1173. Ulterius, cum semina ista, vel certè escæ seminibus infectæ, ab animalibus, etiam hominibus, sapissimè comedantur, aut etiam per respirationem attrahantur, non est mirum, quod sèpe tot vermes intra homines nascantur, maximè intra pueros, qui delestantur dulcibus, quibus cum etiam delestantur insecta, ea seminibus inficiunt. Hinc quoque fit, ut ex anate mortua quandoque nascantur bufones; quia, cum iis vescatur anas, etiam cum iisdem deglutit eorum semina, ex quibus dein, in putri anate remanentibus, utique naturaliter nasci possunt novi bufones.

Quamvis autem ab auctore quodam hæc nativitas bufonum ex anatabus videatur negari; eo quod ipsi experientia non successerit, non propterea est rejicienda; nam, et si experientia non successerit in anatabus illis, quas forte hic auctor putrefieri curavit, potuit non successisse, vel, quod anates illæ non devoraverint bufones, vel, quod hi semina non habuerint, vel, quod ista ob alias causas infœcunda fuerint, aut perierint; nec enim dicitur, universaliter, ex omni anate putrefacta nasci bufones. Similis ratio-

dari potest, cur ex fimo equino scarabei nascantur; nam una cum herbis semina istorum devorantur ab equis, & quia foventur calore vitali, atque inveniunt alias dispositiones sibi congruas, vim suam exercunt, ac scarabei prodeunt. His prænotatis.

1174. Prob. jam conclus. Ex huc usque adductis habetur, quod detur incredibilis quasi copia seminum, quæ à causis secundis generantur, & quod ista ubique possint esse præsentia, ubiunque nascitur aliquod vivens: ergo probabilius dicitur, quod omnia viventia, adeoque & sponte nascentia, nascantur ex semine, consequenter omnium istorum causæ sint illæ, quæ fuerunt causæ seminum. prob. conseq. utique probabilius est, quod substantiae creatæ, quas probavimus esse activas n. 1094. tanquam causæ secundæ particulares, & proportionatae, producant alios effectus substantiales, quam, quod eos producant accidentia, valde improporationata: aut, quod natura ipsis effectibus non providerit de causa particulari, sed recurri debeat ad causas universales, vel ad ipsum Deum: ergo.

1175. Replicant hic adversarii, non esse absurdum, recurrere ad causas universales, vel Deum, quando nulla conveniens causa creata occurrit, ut ipsi non diffitemur n. 1142. semina autem, vel eorum causam, non esse causam convenientem

Nnn 2

sponte

ſponte naſcentium; cùm ſemina non vivant, vel faltem non vivant, vitâ tam perfectâ, qua vivunt animalia, ex iſpis prodeuincia. Sed, antequam repondeam, noto, duplicitis generis ſemina poſſe in conſiderationem venire: nempe alia ſunt *Semina viviparorum*, ſeu animalium, quæ edunt foetus, jam itâ conſtitutos, ut nūtio amplius cortice clauſi, vitam manifeſtè oſtentant: & talia animalia ſunt oves, equi &c. quorum tamen foetus non amplius vo- cantur ſemina: ſed iſtorum animalium ſemina dicuntur illa, ex quibus intra uterum maternum for- matur foetus.

1176. Alia funt *Semina ovipa- rorum*, ſeu eorum animalium, quæ non foetus jam efformatos, ſed ova pariunt, ex quibus, vel per incubationem, vel per alia media, tandem omnino perficiuntur foetus: & talia animalia ſunt aves, & pifces, ac inſecta quam plurima, quæ ova pariunt, ex quibus dein animalia prodiſunt. Nunc autem agimus præcipue de ſeminibus oviparo- rum; horum enim vita potiſſimum requiritur, ad explicandam genetin ſponte naſcentium; nam in animalibus viviparis cauſa foetus vi- ventis ſat facile assignatur, pater, vel mater: &, ſi aliquando oriatur di- ficultas cirea prolem tertiarę ſpeciei, ea communis eſt cui libet ſen- tientiæ; quia non eſt magis difficile, in eo caſu assignare cauſam animalis, quam virtutis plasticæ, ut patet

conſideranti: nunc, ut repondeam ad hanc adverſariorū replicam.

1177. Dico 2. Semina plantarum, & animalium oviparorum, faltem, poſquam à stirpe, vel matre edita funt, probabilius vivunt itâ Aristoteles l. 2. de Generat. animal. c. 1. ubi itâ habet: *Semen igitur, & habere animam, & eſſe potentiam, pa- lam eſt*: ubi iſtud palam eſt non vi- detur ſignificare idem, ac evidens; non enim existimo, quod Philoſophus voluerit, hanc ſententiam eſſe evidentem: ſed videtur tantum ſignificare, quod rite probatum ſit: quemadmodum etiama verbum *de- monſtratum* quandóque in ſenu minùs ſtricto adhibetur. Addo, quod, quamvis Aristoteles hanc ſen- tentiam judicasset evidentem, ta- men poſſent alii eam in dubium tra- here; cùm ejus auſtoritas non ſit infallibilis.

Notandum insuper, Philoſophum non dicere, ſemen habere potentiam animam, ſed dicere ſimpliciter ab- ſolutè, ſemen habere animam, & eſſe potentiam: hoc eſt, eſſe poten- tiā vivens in actu ſecundo per eli- citas actiones vitales: ſicut in eo- dem ſenu dicitur de anima, quod ſit actus primus corporis organici, potentia vitam habentis.

1178. Idem Philoſophus cod. l. 2. de Gener. animal. c. 3. ſic ſcribit: *Conceptum enim inanimatum eſt, nemo statuerit, vitâ omniſbus mo- dis privatum; quippe cùm nihilo mihi ſemina, & conceptus ani- mali-*

*malium vivant, quæm stirpes : & aliquamdiu prolifica sunt : ergo animam in iis habere vegetalem partem est : & post pauca : Principio enim hac omnia vitam stirpis vivere videntur : atqui stirpes non habent tantum potentiam ipsam animam, seu actum primum corporis organici, ut omnes concedunt : ergo potentia intelligendum tantum est in ordine ad vitam in actu secundo, seu de anima elicente actu vitales.*

Evidem verum est, hoc loco Aristotelem etiam loqui de conceptibus, seu seminibus viviparorum, etiam hominum: at, si Philosophus admittit vitam etiam in istis, multo magis eam admittet in seminibus oviparorum. Quod autem verosimiliter erraverit circa semen humanum, & animam rationalem, sive quoad hujus productiōnem generativam, aut propagatiōnem per traducem, ipsi utpote ethnico est igaoscendum. Simili ferè modo loquitur *cod. l. 2. c. 3.* ubi eum autores quidam explicant, non tantum de vita in actu primo, sed etiam in actu secundo: quod tamen nostræ sententiæ non obest; si enim semina jam vivant in actu secundo, multo magis vivent in actu primo. Eandem sententiam nostram defendunt multi ex antiquis, quos citant Conimbricenses in *l. de Gener.* & *corr. e. 4. q. 25.* *a. 2.* Plato in *Timo*, Thermistius, Galenus, Vallesius, Zimara, Pera-

matus: quibus accedunt Foroliviensis, Cardanus, Scaliger, Zabarella, Paulus Zachias, Burgundi, & plurimi alii, recentiores presertim Medici, & Philosophi.

1179. Prob. conclusio. Semina mox, ut posita sunt in circumstantiis, modicè conducentibus ad actiones vitales, istas eliciunt: ergo probabilius jam vivunt. ant. prob. semina plantarum terræ commissa, vel sœpe etiam tantum aquæ immissa, statim incipiunt emittere aliquas radices, & per intus sumptionem (quæ juxta omnes est actio vitalis) se nutrire, in omnes partes succum alimentitium debita cum proportione dispergendo.

Pariter etiam ova avium, mox, ut calore aliquo foventur, sive gallina Indica, seu Germanica, sive propriis, sive alienis, etiam alterius speciei ovis incubet, sive ova in furnum debita temperie calefactum (ut fit in Ægypto juxta dicta n. 747.) immittantur, vitaliter agunt; nam statim punctum, ut vocant, saliens, venulas alias dicit in vitellum, & albumen, & ex his alimentum congruum fugit, idque maxima cum proportione per intus sumptionem dispergit, ut vide-re est apud Malpighium in appendice anatomiae plantarum de *Ovo incubato fol. 2. & seq.* ubi etiam refert, in ovo nondum incubato jam in vitello adesse cicatriculam, seu parvum aliquod coagulum albicans: & in ejus medio carinam, seu

minimam aliquam portionem, ex qua præcipue fit pullus, & in qua suspicatur hic auctor, jam existere eorū, & aliqua vasa, seu aliqualia organa.

1180. Addit, post brevem duodecim horarum incubatum crevisse cicatriculam, & post octodecim horas visa jam fuisse rudimenta vertebrarum: dein adhuc ante trigesimam horam deprehensas fuisse fibras, & cordis structuram: post quadraginta verò horas, seu necdum exactis duobus diebus, jam observatum fuisse motum cordis: & tertio die jam visum fuisse, cor ab auricula sanguinem in dextrum ventriculum recipere, & ex hoc in sinistrum propellere. Similiter Kircherus l. 12. Mund. subterr. sec. 1, c. 5. exper. 2. testatur, in ovo post tertium diem incubationis jam apparere cordis effigiem ad instar guttae sanguineæ concretæ, mira ratione se agitantis: item fibras hinc inde emissas.

1181. Multò adhuc magis (quia longè citius) se produnt actiones vitales in ovis infectorum, ex quibus intra valde modicum tempus excluduntur animalia viventia; nam sæpe intra tres dies, quandóque intra viginti quatuor horas, aliquando etiam intra quatuor horas, excluduntur ex oculis infectorum vermiculi jam sentientes, gradientes, mox avidissimè vorantes, ut testatur eruditissimus Redi in *Experim. circa generas. infectorum*.

tom. 1. fol. mihi 37. & seq. Quare ova ista, seu semina, mox, ut ab avibus, vel insectis, partu fuere edita, & in circumstantiis utcunq; congruentibus posita, actiones vitales eliciunt: certè aliàs tam citò animalia, non tantùm viventia, sed gradientia, & comedentia, prodire non possent.

1182. Respondent adversarii, semina non operari vitaliter, nisi in iis circumstantiis, in quibus probabilius potest dici, animam aliquam esse de novo productam à virtute plastica accidentalí, quæ à generante sit semini indita, atque instrumentaliter producat, tum primam organizationem, tum ipsam novam animam. Sed in primis meritò queritur, à quo ista virtus plastica conservetur: recurrere ad Deum in conservations accidentis videtur incongruum: igitur conservabitur (hoc est, deinceps producetur) à forma seminis, adeoque hæ forma juxta adversariorum principia erit causa principalis ipsius animæ, & virtus plastica erit instrumentum formæ seminis: consequenter forma juxta adversarios imperfectior, utpote inanimata, erit causa principalis formæ perfectioris, seu animæ, quod est absurdum. Nec dicant, formæ seminis non assimilari effectum; nam neque Deo assimilantur ulli effectus creati, & tamen hic sæpe est causa principalis istorum.

1183. Directè autem contra hanc replicam sic argumentor: Si dicatur,

tur, quod semen jam vivat, tunc potest ostendati, quod causa formæ substantialis viventis sit alia substantia viveas, nempe anima generantis, quæ semper adest, & quidem passo applicata immediatione suppositi, quando generatur semen: atqui hoc est longè convenientius, & sensu communissimo conformius, quam, si assignetur effectui tam nobili, qualis est forma substantialis vivens, pro causa creata immediata, & in genere physico sola a gente, tantum accidens longè imperfectius effectu, adeoque improportionatum: ergo. ma. patet. mi. probata est *an. 1123.* Verum est, in contrarium afferri posse, quod hac ratione debeat in semine, seu in ovo, admitti jam anima illa, quæ dein in foetu perfecto, seu ipso animali, quod ex ovo excluditur, datur: quod quidem adversariis, at non aliis videtur nimium; unde.

1184. Dico 3. Semina vivunt eadem vitâ, qua plantæ, vel animalia, ex iis provenientia. ita pluri-  
mi, præsertim recentiores, & maxi-  
mè ii, qui negant successionem  
animalium in generatione animalium.  
Prob. conclus. Non est suffi-  
ciens ratio multiplicandi animas,  
& dicendi, quod una succedat alte-  
ri: ergo dicendum, quod jam in  
semine adsit eadem vita, vel ani-  
ma, quæ postea appetit in planta,  
vel animali, prodeunte ex semine.  
prob. ant. Si esset aliqua ratio mul-  
tiplicandi animas, effethæc, quod in

semine necdum deprehendantur  
plures actiones vitales, similes iis,  
quæ postea videntur in planta, vel  
animali: sed hæc ratio nihil pro-  
bat: ergo. prob. mi. ad hoc, ut di-  
catur forma aliqua adest, non re-  
quiritur, ut in omnibus circumstan-  
tiis eliciat omnes suas operationes;  
aliæ animæ rationalis ordinariæ  
non adest in homine ante septen-  
nium: ergo.

1185. Confir. Ad hoc, ut adsit  
anima, non requiritur, ut eliciat  
operationem vitalem, saltem ma-  
nifestam, aut aperte sensibilem: er-  
go multò minus requiritur; ut eli-  
ciat omnes sibi proprias. prob. ant.  
in primis de plantis. Sureuli ab ar-  
boribus recisi adhuc vivunt, & ta-  
men etiam terræ insiti per plures  
dies nullam operationem vitalem  
sensibilem eliciunt: item bulbi illi,  
ex quibus nascuntur flores Tulipæ  
dicti, adventante hyeme solent ex  
terra extrahi, & extra eam pluri-  
bus mensibus servari: quo in statu  
nihil vitale sensibiliter monstrant,  
donec iterum terræ immisii suo  
tempore denuo refloescant: quin  
etiam arbores nostrarum regionum  
ferme omnes in hyeme cessant ab  
actione vitali sensibili, aut manife-  
sta: ergo.

1186. Prob. jam idem antece-  
dens de animalibus. Hirundines,  
museæ, & insecta alia quampluri-  
ma, manent per totam hyemem  
quasi mortua, & si, ut aliquando  
fit, effodiuntur, vel ex cavis arbo-  
ribus,

ribus, aut aliis cavernis, seu latibus extrahantur, atque inferantur hypocausto calido, mox, ut ita dicam, redeunt ad se, siveque vivere satis aperte monstrant: ergo anima potest adesse, quin eliciat operationem vitalem sensibilem; utique enim adversarii non fingent, istas plantas, vel animalia, hyeme emori, & verno tempore iterum produci in iis novam animam?

Si dicant, in his casibus dari actionem vitalem insensibilem, nempe aliquam nutritionem, quamvis, ut dictum n. 587. id non facilè possit probari, tamen a nobis potest omitti, ac similiter dici, quod etiam in seminibus detur nutritio aliqua insensibilis, saltem puncti minimi, quod in plantarum seminibus vocatur *Punctum germinans*, in animalium autem seminibus vocatur *Punctum saliens*, & forte solum vivit; nam, sicut macilenteriores fiunt hirundines, ita & semina plantarum: quin & ova (nisi ista, ut saepe fit, cito putrefiant) aliquid de sua mole perdunt. Interim S. Thomas docet, animam in semine prius esse sine actione vitali; nam 1. p. q. 118. a. 1. ad 4. sic scribit de materia seminis: *In qua quidem materia statim a principio est anima vegetabilis, non quidem secundum aetum secundum, sed secundum aetum primum: sicut anima sensitiva in dormientibus.*

1187. Nec adversarii dicant, posse quidem admitti animam in hi-

rundinibus, muscis, stirpibus, arboribus &c. cum ista jam fuerint in statu suo perfecto, adeoque facilius potuerint conservare animam, jam prius habitam: non autem pariter posse admitti animam in seminibus, aut ovis valde imperfectis; nam in primis stirpes recte ab arboribus sunt in statu valde imperfecte, & tamen conservant animam. Dein semina plantarum vivunt, dum adhuc conjuncta sunt plantis; nam crescunt, & nutriuntur per intus sumptionem, proportionaliter ut aliæ partes plantarum: & praesertim ita nutritur in iis punctum germinans, quod insuper exquisitè elaboratur: & quidem vivunt tunc semina eadem in specie anima, qua vivunt reliquæ partes earundem plantarum; neque enim ulla necessitas est inducendi novam speciem animæ seminis: ergo non est necesse postea multiplicare formas, sed potest manere deinceps eadem forma, seu anima, ita, ut nunc minus, nunc magis, per actiones vitales sece exerceat. Quod autem semina plantarum sint debiliora, in primis universaliter non est verum; nam saepe semen diutius durat, quam planta: deinde hoc tantum probat, quod semina facilius corruptantur, & pereant: non autem, quod in iis detur successio formarum, aut animarum.

1188. Simili modo, saltem de seminibus oviparorum, probabilius est, quod vivant intra uterum ma-

ter-

ternum, saltem, quando jam sunt fœcundata: prius autem, etsi necdum videatur vivere punctum saliens; coquid necdum nova anima (quæ quandoque debet esse tertiaræ speciei) sit in ipso producta, tamen jam vivunt illæ pelliculæ rotundæ, quæ tandem desinunt in cortices ovoidrum; nam illæ pelliculæ sunt matri conjunctæ, prout videtur in gallinis dissectis: Insuper etiam nutriuntur per intus sumptionem, & maximè in ipsis ita nutritur post fœcundationem punctum saliens, ut dictum de puncto germinante in plantis. Adeo, quod, ut expertus est Redi, in dissectis viperis, & gallinis, ova, quando nondum sunt partui matura, in-

veniantur sanguineis lineis striatim variegata, quæ lineæ verosimiliter sunt venæ quasi capillares, quibus advehitur nutrimentum: ergo, quod modò dictum de seminibus plantarum, nempe, non esse necesse, in iis multiplicare formas, idem dicendum est de seminibus animalium oviparorum. Confirm. Ut dictum est n. 1181. intra brevissimum tempus ex ovis saepe prodeunt animalia viva: ergo non videntur Deus, & natura, ad suum scopum tendentes via breviore, ob tantillum spatii temporarii, multiplicare animas, aut formas, sed statim in ovo producere illam, quæ dein in animali perduret.

## ARTICULUS XI.

### Solvuntur Objectiones.

1189. O. B. 1. contra 1. conclus. Per semina non potest explicari origo insectorum tam diversorum, muscarum, culicorum, vermium, papilionum, scarabeorum, saepè ex eadem putredine enatorum, præsertim, cum inter ipsas muscas, scarabeos &c. iterum diversitas maxima sit, aliis existentibus nigris, aliis cæruleis, aliis viridis, item aliis majoribus, minoribus, glabris, pilosis, cornutis, aculeatis &c. ergo conclusio non subsistit.

Resp. neg. ant. Sicut oriuntur diversissima nova animalcula, ita

*Tom. II.*

diversissima etiam sunt semina; nam ista deponuntur ab animalculis, quæ sunt ejusdem speciei cum novis prolibus: quamvis non negem, ex duabus diversæ speciei parentibus posse saepius nasci insectum, seu animalculum tertiaræ speciei: sicut inter animalia majora nascitur mulus, aut leopardus. Quare cuilibet intellectui capaci potest fat facile ad captum per semina explicari generatio insectorum tam diversorum.

1190. Addendum 1. saepe insecta, apparenter diversa, non essentialiter, aut specie inter se differre; nam

O o o

ne-

neque magnitudinis, neque coloris, aut similium diversitas, statim infert differentiam specificam in insectis, ut non infert in aliis animalibus, e. g. canibus, aut equis: certè muscæ initio virides, furculis quibusdam turmatim adhærentes, paulò post contracta pelle, vertuntur in nigras: immo Redi *som. I. fol. 325.* ait pulices, dum ex ovis prodeunt, esse candidos, & postea insensibiliter pedentem fuscum colorem assumere.

Dein, si erucæ, vel alii vermes, aliquando non inveniunt abunde alimenti, citius, quando sunt adhuc aliis magis pastis minores, in ova, sed minora, se restringunt, ac dein muscæ, culices, vel papilioes minores prodeunt, dum alii magis pasti prodeunt majores: & qua magnitudine, vel parvitate prodeunt, eadem semper manent, ut habetur ab experientia, & millies se vidisse testatur Redi *som. I. fol. 53.*

Dubium etiam est, an scarabei, qui habent pennas quasi corneas, differant specie ab aliis omnibus volatilibus insectis, tales pennas non habentibus; nam bruchi, mensse Majo infesti, postea non tantum colorem, sed etiam exteriores cornæ pennas videntur perdere, & instar aliorum papilionum circumvolare. Insuper propter accidentales circumstantias, aut dispositiones, sæpe novus foetus valde differre potest à parentibus, aliquando etiam nasci quasi monstrum. Hinc,

et si vermes, nati extra animalia, ab aliis natis intra stomachos, vel cadavera animalium, apparenter multum differant, non ideo differunt specie: certè ex utrisque postea nascuntur similes muscæ, aut insecta similia, adeoque substantialiter non differunt. Cum autem in diversis stomachis, aut cadaveribus, sint dispositiones diversissimæ, non est mirum, progigni etiam vermes accidentaliter diversos, præsertim, cum isti vermes necdum sint integrè perfecti, sed adhuc quasi in fieri, seu in mutari in muscas, scarabeos &c.

**1191.** Addendum 2. causam, cur ex unius animalis excrementis, ordinariè prodeat certa species insectorum, & ex alterius animalis excrementis alia, esse; quod in talis animalis stomacho semina talis speciei inveniant dispositiones aptas, vel certè non valde contrarias, & postea in excrementis nutrimentum congruum: quæ non inveniuntur à seminibus alterius speciei, in talis animalis stomacho, sed in stomacho animalis alterius: & sic in fimo equino nascuntur ordinariè scarabei à Germanis, dicti equini. Quod verò ex capite, vel carnis bovis, nascantur apes, quamvis id Virgilius, & Ovidius, suis carminibus celebraverint, Redi *som. I. fol. 82.* & seq. post facta experimenta plurima, absolutè negat: additque *fol. 87.* apes non gustare carnes bubulas, saltem si habent

beant aliud alimentum: certè sine semine eas ibi nasci non crediderim.

1192. Addendum 3. vermes, & erucas, non distingui à muscis, vel papilionibus, in quos mutantur; nam, cùm muscæ, vel papilioes ova deponunt, ex his primò nascuntur erucæ, seu vermes, qui herbam, in qua ova posita erant, vel quodcunque alimentum congruum, mox depascuntur, donec post aliquot dies exaturati iterum in ovum quoddam se constringant, quod aliqui ex sua pelle contracta, alii ex filis subtilissimis quasi sericis conficiunt: & ex hoc ovo post aliquod tempus novæ muscæ, vel papiliones prodeunt.

Alii tamen vermes, ex ovis papilionum quorundam prognati, in aurelias, seu chrysalides vertuntur: id est, crustam induunt figurâ oblongâ, quæ quidem circa caput in acumen, circa caudam verdinum mobilem coit: hæc aureliae, vel chrysalides, alicui muro, vel alteri subjecto affixæ, sua sponte se non movent: at, si pungantur, mox caudam agitant, evidenti indicio, ipsas semper vivere, donec tandem suo tempore in papilioes converfa, rupto putamine, avolent.

1193. Ob. 2. In gallis, seu certis tuberculis foliorum, stirpium, & arboribus, nascuntur vermes, ex quibus postea oriuntur muscæ diversissimæ, ita tamen, ut in certis foliis ordinariè tantum certæ nascantur: hæc experientia non po-

test explicari per semina: ergo. Resp. neg. mi. Inprimis, quod attinet ad primum, seu ad diversitatem muscarum, jam satis responsum est n.

1189. & 1190. At quod attinet ad alterum, ut multi observant, & præsertim accuratè Malpighius partem altera de plantar. anatome. fol. mihi 44. plures muscæ habent acutas proboscides, vel alias suas terebras, quibus tenella folia, medullas stirpium, & arborum, partes etiam subtiliores corticis, perforant: cùmque illa proboscis, vel terebra, sit ut culicum proboscis cava, per eam muscæ succum aliquem emittunt, qui fermentationem in planta excitat, dum succum alimentitum plantæ valde alterat; unde galla, ceu pustula quedam enascitur. Hujusmodi gallis dein muscæ sua ova, id est, cuilibet gallæ unum ovum immittunt, ex quo postea vermiculus, & tandem musca nova prodit.

1194. Quod autem in certis foliis, aut surculis, vel arboribus, nascantur etiam tantum certæ muscæ, inde provenit, quod aliquæ arbores, vel folia, sint receptaculum, vel etiam alimentum, magis congruum huic, quam alteri speciei animalculorum, & quod insecta naturali ex instinctu nōrint, quænam, suis fœtibus sint aptiora. Ex eodem naturali instinctu insecta, saltum in pluribus arboribus, eligunt pro recondendis suis ovulis inferiorem partem foliorum, quæ scili-

cet terram respicte, ut tutiora sint ovula à pluviis, ac tempestatibus: item ea affigunt crassioribus foliorum filamentis, seu fibris; quia istae facilius recipiunt ovula, quæ à partibus tenuioribus, penitus perterebratis, emitterentur, & perderentur.

1195. Ob. 3. Sæpius nascuntur insecta ex ligno, ita, ut aliqua pars adhuc sit lignea, altera se jam moveat: sed horum genesis non potest explicari per semina: ergo. Resp. neg. ma. & mi. Videntur quidem ista animalcula adhærere ita ligno, quasi eorum pars aliqua esset adhuc lignea, sed re ipsa non ita est: generatio autem eorum sic peragitur. Deponuntur ovula in subtilissimis ligni surculis, ita, ut, postquam egressi sunt vermiculi, seu animalcula qualiacunque, mox pasci incipiunt tenerrimâ ligni medullâ: non autem necesse est, ut alimentum sumant per os, sed id fieri potest per alium ductum: sicut pullus in ovo pascitur vitello, non cum sumendo per rostrum, sed atrahendo per alium canalem.

1196. Cùm autem ista animalcula, sive ex hac, sive ex alia ratione, aliquam sui corporis partem immergant ipsi surculo, seu ejus medullæ, videntur esse conjuncta ligno, donec tandem decidant. Quod autem similia animalcula nascantur ex seminibus, probatut ex eo, quod Redi (ut ipse met testatur tom. I. Experim. fol. 219.) invenerit in talibus animalibus, quæ ab

Iialis vocantur *Cavallucci*, multa ova, & in uno aliquando septuaginta: additque hic auctor fol. 224. ista animalia, postquam resecta fuissent ipsis capita, tamen adhuc quinqne, vel sex dies vixisse, quia imò adhuc ova peperisse.

1197. Ob. 4. In Scotia nascuntur anates, & anseres (quæ *Bernicle* vocantur) ex putridis navium fragmentis, vel etiam putrescentibus aliis lignis: & refert P. Bapt. Hallden in *Plantario Philos. problem. 1.* ex aliis auctoriis, quod ex prægrandi trabe, fluctibus maris in Buthquaniam delata, & ibi per serram divisa, proruperit ingens animalculorum agmen, quorum alia adhuc erant rudia, alia jam melius efformata, alia jam in aves, partim adhuc implures, partim plumatas mutata. Idem auctor refert *problem. 6. in fine*, quod Belloracensis *Histor. natural. lib. 16. c. 40.* scribat, indigenas Scotiæ eas anates olim comedisse, etiam tempore jejuniorum, tanquam non prognatas ex sanguine: sed Innocentium III. Papam in Concilio Lateranensi id prohibuisse. Jam sic. Istæ aves non generantur ex seminibus, sed ex putridis lignis: ergo conclusio non subficit.

1198. Resp. neg. ant. Aves tales ex salicibus nasci, vel ex arborum foliis in terram delapsis gigni, vel ex putredine lignorum oriri, nullo modo est verum: & quidquid aliqui auctores antiquiores minus ac-

*Quæ sit Causa Sponte Nascentium, & an Semina vivans.* 477

curatè scripsierint, tamen, ut habeant  
*Mémoires pour l'histoïre des scien-  
ces à Trevoaux tom. 4. an. 1710.  
Decembr. art. 171. pag. 2073.* ho-  
die similia tanquam fabulosa, & chi-  
mætrica habentur, atque indubita-  
tò asseritur, tales aves (ive fulicas,  
sive berniclas, sive alio nomine vo-  
ces) ex ovis similium avium nasci.

Sanè scribit Kircherus de Mund.  
subterr. l. 12. sec. 1. c. 9. haberi ex  
Batavis, in extreum Septentrio-  
nem navigantibus, quod propemar-  
re glaciale stabulentur innumeræ  
anates, ac anseres, atque in glacie  
immensam ovorum copiam depo-  
nant, ut (quemadmodum ajunt)  
toti Europæ alendæ sufficerent: huic  
autem mari vicinæ sunt insulæ Sco-  
tiæ, Hyberniæ, ac Norvægiae: qua-  
re erupta per æstatem glacie ad istas  
innumeræ ova advehuntur: &, licet  
fluctibus, aut varia concussione, cor-  
tices ovorum plurimi rumpantur,  
tamen potest spermaticus humor,  
præsertim puæctum saliens, cum ali-  
mento utcunque sufficiente, ad eas  
oras devehi, & una cum fluctibus  
ad saxa, ligna, naves &c. allidi;  
ubi ex innumeris pereuntibus pos-  
sunt aliqua, fors respectivæ pauca,  
invenire aliquam rimam, & con-  
venientem stationem, in qua semen  
vim suam prodere incipiat. Et sa-  
nè, cùm aves illæ in tanto frigore  
possint perdurare, etiam semina ro-  
bustiora deponunt, quæ ad effor-  
mandâ sibi ulteriora organa non pe-  
tant dispositiones valde exactas.

Cum insuper in dissectis berniclis inventa sint ovaria, ut in gallinis, prout testatur D. Valentini in *Musae Musarum l. 3. de variss animal. c. 22.* utique ipsæ etiam ex ovis nascuntur.

**1199.** *Quod verò in generatio-  
ne talium volucrum primò nasca-  
tur aliquid fungo simile, postea ver-  
mis, et tandem avis, inde fit, quod  
in tali casu à robustiore semine id  
fiat extra ovum, quod alias intra  
ovum contingit; nam, ut videre  
est in elegantibus iconismis Mal-  
pighii, primò adest in ovo cicatri-  
cula, & carina, de quibus dictum  
**1199.** (hæc, dum adhærent saxe,  
vel ligno, & paululum crescendo  
immutantur, aliqualem fungi spe-  
ciem possunt referre) inde etiam in  
ovo fit corpus aliquod instar ver-  
mis oblongi, ut videre est in iisdem  
iconismis compluribus: paulò post  
apparent rudimenta alarum, & pe-  
dum, donec post viginti circiter  
dies pullus perfectus excludatur.  
vide *Malpighium de ovo inc. fol. 10.**

Jam, quod animalia ista quando-  
que in medio trabium putresca-  
tum inveniantur, inde accidit,  
quod pars seminum præcipua, seu  
punctum sалиens, sit valde parvum,  
adeo, ut juxta quosdam auctores  
vix octiesmillesimam ovi partem  
adæquet, conseqüenter possit, quin  
destruatur, vi repetitorum fluctuum  
intra rimas intimas lignorum putri-  
dorum intrudi, una cum aliquo ne-  
cessario alimento; vel etiam ali-

०००

quar-

quando potest ipsemet vermis sese illuc movere. Addo tamen, in trabe, de qua n. 1197. debuisse dari magnam cavitatem; cum ex ea tota animalia, & quidem aliqua jam plumata prodierint.

1200. Ob. 5. Aliquando insecta unà cum pluviis decidunt, & dicuntur etiam ranæ inter pluvias decidisse: item in Ægypto post exundationem Nili nascuntur varia animalia, ex gleba humectata, de quibus canit Ovidius *l. 1. Metamorph.* v. 429. Altera pars vivit, rudit est pars altera tellus: sed istorum generatio iterum non potest explicari per semina: ergo. Resp. neg. mi. Jam diximus n. 1170. semina etiam cum evaporationibus terræ sursum trahi: quodsi jam diutiùs inter nubes vagentur, possunt etiam ex iis aliqui parvi vermiculi, aut alia insecta excludi, & una cum pluviis decidere: quod autem ita deciderint ranæ, negat Dechales *tom. 4. Curs. Mash. tract. de Meteor.* *Aqu. prop. 8.* ajens, nunquam ullum fide dignum hominem dixisse, quod ranæ deciderint in tecta domorum, quod tamen aliquando accidere debuisset, si cum pluvia decidissent: negant & alii, & præsertim Redi *tom. 1. fol. 208.* ajens, eas priùs natas, & terræ concolores, ac inter saxa, aut dumeta latentes, non vias fuisse; in cuius asserti sui evidens argumentum adducit, nempe, quod, si statim tunc, quando creduntur depluississe, fecen-

tur, inveniantur habere stomachum cibo impletum, & intestina excrementis plena. Doctus quidam recentior non malè ait, quod, præsertim in Arabia, & Lybia, ubi vehementissimi venti furunt, in amplissimis spatiis sabulo oppletis, fieri possit, ut talia animalcula, ranæ, serpentes, vermes &c. unà cum arenis, in quibus copiose stabulantur, & quarum immensam copiam, sæpe pluribus hominum millibus necandis, & sepeliendis parem, venti avehant, abripiantur, ac posse in aliis locis instar pluviarum, vel etiam unà cum veris pluviis decidant. Idem dicendum, si aliquando visa sunt talia insecta cum nivibus decidisse.

1201. Memoratus Redi recenset *fol. 202.* inter fabulas, & non immitiò, quod inveniantur animalcula adhuc semiterrea, atque, ea membra, quæ terra esse videntur, esse tantùm luto, aut limo inquinata. Quod autem aliquando similia animalcula ab initio pedes non habeant, nil refert; nam, ut ait Fabri *tom. 5. tract. de plantis, & generat. animal. l. 5 propos 83.* his insectis adnascuntur pedes, ut novæ plantæ, vel ut nova cornua cervis: similiter etiam aliquando aliquod membrum deperdunt. Sic, ut quivis potest facile videre, vel legere apud Redi *tom. 1. à fol. 206.* ranæ nascuntur sinè pedibus, sed non sinè cauda, eaque longa, & quasi bifida: qua figura per multos dies

dies natant: tum primum exerunt pedes anteriores: & post aliquot iterum dies exerunt posteriores: tandem caudam deperdunt; non enim, ut quidam volunt, hæc in posteriores pedes dividitur; nam videntur ranæ aliquaradiu quatuor pedibus, & simul caudatæ incedere: & potest simile quid contingere in aliis animalculis.

1202. Ob. 6. Sæpe nascuntur vermes in medio fructuum, nucum, pomorum, item in medio casei, vel lactis coagulati: sed illuc non possunt penetrare semina: ergo. Resp. neg. mi. In primis, quod attinet ad fructus, e. g. nuces, aut poma, possunt semina in floribus deponi, & dein fructibus includi, ac intra hos suo tempore ex iis excludi animaleula, eaque materia fructuum nutrita, donec perfecta prodeant: vel possunt animalcula, jam extra exclusa, fructus adhuc valde teneros, mollèmque corticem habentes, erodere, ac in eorum interiora penetrare; hinc in talibus nucibus, aut pomis, ordinariè apparet foramen, per quod irrepit animalculum, vel aliquando erupit. Ad lac, sive adhuc recens, & fluidum, sive coagulatum, copiose advolant varia infecta, ibique ovula sua deponunt, ex quibus dein in caseo vermes excluduntur, qui dein eodem caseo tanquam alimento sibi congruo nutriti crescunt, ac tandem in muscas mutantur.

Redi tom. 1. Experim. fol. 189.

ait, caseos, saltem suæ regionis, seu Hetruriæ, non verminare, nisi priùs rimas agant, & in has rimas penetrare muscas, ac ova deponere, & ex his vermes nasci: quin etiam possunt isti vermiculi rodendo in interiora casei magis penetrare. Addit, partem casei verminosi adhuc sanam, à se separatim asservatam, nullis vermis fuisse infectam. Idem priùs fol. 37. jam dixerat, se pluribus experimentis (quorum aliqua adducit) doctum fuisse, quod, nec carnes, nec pisces (& par est ratio de caseo) vermis inficiantur, nisi ab advolantibus insectis ovula ibi ponantur; hinc ait, carnes, velo Neapolitano subtilissimo circumexpanso inclusas, nunquam verminasse.

1203. Dices 1. Saltem per semina explicari non potest, quomodo vermiculi nascantur, in sanguine, in corde, in hepate, in pulmonibus, vel in capitibus cervorum, aut arietum &c. ergo. prob. ant. est imperceptibile, quomodo semina illæsa permaneant in caloribus stomachi, vel acidissimis ejus humoribus: item, quomodo transeant per venas capillares, aut alios minimos meatus, per quos sanguis, vel chylus debet penetrare: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. In primis calor stomachi neutiquam est tam intensus, ut aliqui putant: & ab acredine humorum possunt semina aliqua (nam innumera perent) defendi, vel suo cortice, vel aliis

aliis particulis ambientibus, non adeò contrariis. Certè experientia monstrat, quandóque in puerorum stomachis stabulari plurimos vermes vivos: &, si isti conservari possunt, poterunt etiam conservari semina.

1204. Quod spectat ad angustias meatuum, quos pertransire semina debent, ut unà cum sanguine, ad internas illas animalium partes, deferantur, potest in primis dici, animalcula ista non in stomacho, vel intestinis gigni, sed extra animal, e. g. in ejus capillis, vel extima cutte nasci, & primò adhuc medicissima esse, at postea alimento devorato augeri: incipere autem à foris cutem animalis rodere, ac tandem intra cutem, & carnes, ac ossium junc turas penetrare: & hoc de quibusdam Indicis insectis, cutem infimam plantæ pedis perforantibus, & intra eam stabulantibus, sèque multiplicantibus, atque gravissimum dolorem causantibus, habetur ex nostrorum epistolis, inde ad nos missis. Sic *11. Iulii an. 1724.* ex civitate Gran Parà scripsit R. P. Aloysius Buccarelli, S. J. frater Francisci Buccarelli, S. J. qui Apostolatum suum Tunkinensem *codem anno 1724.* suo sanguine gloriose insignivit, scripsit, inquam, P. Aloysius, P. Marcum Arnolzini cæcum multa millia talium animalculorum, infra cutem pedum stabulantium, diu tolerare debuisse, donec forfæcutis searetur, & animal-

cula è scrobibus in carne factis extraherentur.

Et sanè tali modo videtur mihi explicandus morbus foedissimus pedicularis, quo infecti videntur execute sua pediculos gignere, vel etiam aliquando è manu, certo motu inflexa, aut ad sudorem concitata, subito eos producere; nam & isti pediculi longè probabiliùs prodeunt ex lendibus, quæ, ut experientia docet, in infinitum multiplicantur, & nec in aquis calidissimis, dum industria linea &c. lavantur, nec in calidis fornacibus etiam, semper destruuntur, de quo vide *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom. 2. an. 1718. Avril. Dissertation de Mathurin Gr. pag. 182.* quarum lendium insuper seminarium copiosissimum homines, folido illi morbo obnoxii, secum circumferunt: latere autem possunt, vel in rugis, aut cavitatibus plurimis cutis externis, vel etiam saltet puncta salientia innumera in ipsis poris: quin etiam possunt femina à pediculo jam grandiore intra cutem mortuæ arrosam deponi, ut *n. 1193.* diximus, ovula deponi à muscis in foliis arborum: quin etiam possunt pediculi parvi aliquando intra cutem penetrare (ut de insectis Indicis diximus) ac intus crescere, & postea rursus prodire.

1205. Si ad quosdam casus hæc responsio non videatur posse aptari, dicendum est, semina quædam minutis

nutissima esse, ita, ut etiam venas capillares possint transire; si enim de Lanis, ut ipse meminit *Magisteris art. & nat. tom. 1. sp. 1. l. 1. c. 1. observat.* vidit per microscopeum animalculum tam parvum, ut vix gaudi septem milliones talium animalium vix sequassent granum tritici, certe centies tot milliones seminum ejus tale granum non adsequassent: utique autem tam parva quantitas, immo millies major, potuisse transire venas quas cinque capillares cervorum, arietum, heminum. Similiter Redi *sens. 1. fol. 315.* ait, quod etiam formicæ pediculos alant, ad quos videndos acuminæ oculorum, & exquisitissimo microscopeo opus sit; cum tam minuti sint, ut ferme atomis annumerari possint: jam verè horum semina, cum sint adhuc aliquot centenis vicibus minora, facile posseant per venas capillares cervorum &c. transire, ac ad eas partes, ubi postea vermes deprehenduntur, defiri.

Addo 1. quod videatur natura siepe alias vias occultas, vel extraordinarias facere, per quas sicutem sensim promovere possit semina in varias partes corporis animalis: si-  
-ent quandoque promovet ossium confractorum fragmata ad exti-  
-mam cutem: quin, ut habent *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom. 1. an. 1725. Turib. n. 24. pag. 382.* ad coquendam monialis cutem extimam pedum, & allarum

*Tom. II,*

partium corporis, promotæ sunt viginti, & plures acus, seu, ut ab aliis etiam vocantur, spilliæ, quas jam in infantia devoraverat, & quartum capita ob longitudinem temporis, jam erant penitus detrita, seu crosa.

1206. Addo 2. quod, si semina etiam sint majora, non tamen necesse sit, ut tota per eas venas transirent, sed sufficiat, dummodo eas pervadant puncta salientia, quæ ut dictum n. 1199. sunt multis milles vicibus minora, quam ipsa semina. Verum quidem est, semina post ruptum corticem plurima peri-  
-re, nec puncta salientia, cortice nuda, ordinariè in vermem, aut animalculum crescere: at, licet plurima pereant, tamen aliqua remanent, quæ experientiis etiam raris, & respectivè paucis, explicandis sufficiunt. Ex his autem semini-  
-bus, sive punctis salientibus, si loco congruo prodeant vermiculi, isti possunt, vel per se, vel per acci-  
-dens, ob alimentum valde con-  
-gruum, aut alias circumstantias, vel maximè crescere: certè vermes, qui ex ovis bombycum nascuntur, ita crescunt, ut plus quam millies majores fiant ovulis, ex quibus prodierunt.

Simili aliqua ratione explicanda est nativitas vermis in capite cuiusdam mulieris in Gallia, sex digitos longi, quem ipsa, post acerbos capitis per quadriennium integrum dolores, tandem post sumptionem

P p p tabaci

tabaci è naribus , istas purgando , excernere conspecta est , ut referrunt *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux. tom. 4. ab. 1710. Novembr. a. 159. s. anatom. pag. 1875.* Simili aliqua ratione etiam explicandum est , si objiciatur , in cuiusdam hominis capite natura esse bufonem , vel scorpionem : quod tamen posterius (de priore non meminit) Redi *fol. 109. tom. 1. experiment. incredibilibus nugis annumerat.*

Neque tamen propterea etiam in hominibus , comedentibus ova gallinarum , & piscium , debent nasci pisces , aut pulli gallinarum ; neque enim talia semina intra corpus humanum inveniant sibi congruas dispositiones : sicut non inveniunt semina plantarum &c. quorum plurima certò comedimus , & sàpè cruda , ac integra deglutimus : ut nihil dicam , quòd ista ova ordinariè jam per elixationem , aut aliam coctionem , sint destructa : quin neque alia semina in humano , vel alio etiam stomacho , semper inveniunt debitas dispositiones ; unde , ut jam dictum *n. 1198.* innumera pereunt.

*1207.* Dices 2. Generatio fungorum fit absque semine : ergo per semina non potest explicari origo plantarum , saltem oronium. prob. ant. fungi nascuntur ex saxis , præsertim Neapoli intra quatuor dies , si saxa illa stillicidio vini supponantur : atqui in saxis illis non adsunt semina : ergo. Resp. neg. ant. ad

prob. neg. mi. nam adsunt semper semina æquivalenter talia , quæ explicata sunt *n. 1169.* nempe fungi illi non nascuntur ex quolibet laxo , sed tantum ex certa specie saxisorum , quæ scilicet apta sunt recondendis fungorum seminibus , & in quorum rimis , aut cavitatibus , occultari possunt semina ista , sive formaliter , sive æquivalenter talia , id est , partes , seu fibrillæ , aut quasi radices fungorum : quæ semina , si dein calore vini , fimo equino , aut simili medio , exexitentur , novos fungos progenerant , à quibus iterum novæ fibrillæ , seu radices , aut partes iñfimi trunci fungorum , in cavitatibus saxisorum relinquuntur , et si oculis non facile pateant , quæ denuo futuris generationibus serviunt. Quando autem in aliis locis sub caelo aperto fungi post pluvias celerrimè crescant , vel jam adfuere ibi qualiacunque semina , vel per ventos , aut pluvias illuc adveni potuerunt. videatur etiam D. Joan. Christiana. Buxbaum *Dissert. de Propag. Fung. tom. 3. Comment. Acad. Petropol. pag. 264.*

*1208.* Solent etiam hic objici hedera , inter cornua cervi enata , & spina , inter costas Hispani cujusdam excrescens , ac tandem mortem ei afferens ; item spica , è naribus mulieris cujusdam pregerminans : sed & ista rectè dicuntur ex sensinibus ortum habuisse : scilicet semen hederae cervi capiti tenaciùs quacunque de causa adhaerit : inde in massa

qua-

quadam lutea, inter pilos ex pulvere, pluviis, aut sudore concreta, germinare incepit: tum rigatum pluviis, aut sudoribus, vel aliis transpirationibus cervi, semper altius crevit. Pariter spina casu collis infixa, sanguine, vel aliis corporis humoribus quasi rigata, incrementum semper majus, ac majus fecit.

Simile quid dicendum de spica, è naribus progerminante, nisi hic, ut quidam suspicuntur, beneficium aliquod intercesserit. Ceterum, sicut in his, & similibus raris casibus, non sine difficultate explicantur experimenta per semina, ita etiam difficulter adversarii eadem explicitant per accidentalem virtutem plastica, quam in his casibus debent assignare, etiam extraordinariam, vel extraordinariè agentem: quod quidem videntur facere longè minore credibilitate, quam nos assignemus semina.

1209. Ob. 7. contra 2. conclus. Sanguis non vivit: ergo neque semina vivant. prob. conseq. ideo sanguis non vivit; quia in eo non dantur operationes vitales: sed etiam in seminibus non dantur operationes vitales: ergo. Resp. 1. retoq. arg. sanguis non habet in se virtutem plasticam, productivam novi animalis: ergo neque semina eam habent. in forma neg. conseq. ad prob. neg. ma. non enim hæc est tota ratio negandi vitam sanguini; nam, licet præsentia actionum

vitalium sit signum animæ, seu vitæ, non tamen etiam absentia actionum vitalium est necessariò signum negationis animæ: sicut quidem hedera appensa domui est signum vini vendibilis, non tamen vicissim negotio hederae est necessariò signum negationis vini vendibilis; potest enim in domo dari vinum vendibile sine appensa hedera.

1210. Ratio autem tota negandi vitam sanguini est; quia, præterquam quodd non dentur in eo operationes vitales, non dantur aliae rationes pro vita sanguinis, quales tamen dantur pro vita seminum: quod idem dicere debent adversarii de virtute plastica. Scilicet longè majorem, & arctiorem connexionem cum actibus vitalibus habent semina, quam sanguis, & ex hoc à venis separato nunquam prodit vivens, ut tamen prodit ex seminibus: rursus, si ex sanguine per ejus adgenerationem fit caro animata, semper adeat causa sufficiens, productiva novæ animæ, seu vitæ: at quando ex seminibus fiunt animalia, nulla talis causa adeat. vide dicta n. 1179. & seq. Sed neque minor probationis est certa, & multi admittunt, in seminibus dari aliquam nutritionem vitalem per intus sumptionem, qualis non datur in sanguine. vide n. 1186.

1211. Ob. 8. Aristoteles l. 1. de Generat. animal. c. 19. ait: Constat, semen esse excrementum alimenti sanguini: adeoque est tantum sanguis

guis corruptus : ergo non vivit. Confir. Juxta eundem Philosophum semen non manet, sed evaporat, & abit in auras : atqui juxta nos maneret : ergo. Resp. neg. conseq. sanguis enim duplique modo dici potest corruptus 1. ut significet idem, ac putrefactus : & in hoc sensu semen non potest esse sanguis corruptus, ut patet, vel ex ipso Aristotele, qui lib. cit. c. 18. ait: *Uttius excremen-  
ti pars aliqua semen est*: adeoque non est putrefactum; nam tale esset inutile : 2. ut significet idem, ac sanguis, priore forma privatus.

In hoc autem sensu potest semen dici corruptus sanguis, quatenus forma prior sanguinis in efformatione seminis fuit destructa, & in illa materia productæ alia formæ partiales, ac nova anima: sed sic etiam caro, & ossa, possunt dici sanguis corruptus. Ad confir. Evaporare strictè loquendo est abidere per effluvia corpusculorum, qua ratione neque juxta adversarios evaporat semen; cum maneat ejus materia; unde non evaporat, nisi partialiter, atque impropriè, quatenus crassiores partes ejus, seu distinctæ à punto saliente, quod solum juxta nos vivit, per nutritionem absunt, & in substantiam viventem mutantur.

1212. Ob. 9. Sententia nostra est contra sensum communem: ergo non est admittenda. Resp. dist. ant. est contra sensum communem doctorum, neg. ant. est contra sen-

sum indoctorum. subdist. & tamen probatur efficacibus rationibus. om. ant. non ita probatur. neg. ant. & conseq. Certe jam Aristoteles, ut probatum n. 117. nobiscum sensit, atque etiam alii antiqui ex n. 1178. moderni vero docti, qui experientias magis examinant, pluri-mi defacto nobis adstipulantur.

Sed neque contra sensum communem indoctorum quidquam dicimus, quod non probamus. Sanè, si cuicunque intellectui rudi, hec est, scientia philosophica non instructa, sed etiam nulla opinione preoccupato, proponerentur ex una parte nostræ rationes, & experientiaz, pro vita seminum hucusque adductæ: ex altera vero parte eidem proponerentur rationes adverzæ, pro influxu accidentium in substantiam, longè probabilius nobis assentiretur. Ceterum omisi tantum, quod sensus communis indoctorum sit nobis contrarius; nam videtur rude vulgus communiter nihil hac de re positivè judicare, sed tantum subsistere, & dubitare, ac quid sentiat, nescire.

1213. Ob. 10. Juxta nos plura semina conservarent vitam per plures annos, in magno frigore, & aliis circumstantiis valde contrariis: hoc est incredibile: ergo. Resp. 1. restorq. arg. in virtute plastica. Resp. 2. neg. mi. Non est hoc incredibile de iis seminibus, ex quibus post annos aliquot primum ori-tur planta, vel animal: sicut non est

est iuxta adversarios incredibile, quod in iis maneat virtus plastica. Sanè non qualibet accidentia, seminibus sunt statim ita contraria, ut quidam existimant. Certè frigus non debet statim, aut multum nocere ovis anserum, aut anatum, pròpè mare glaciale depositis, de quibus n. 1198. Dein plura semina sunt munita suo cortice, sunt viscosa, sunt etiam parva, ut faciliùs intra rimas abscondi queant: neque etiam, ut ait Du Hamel, indigent magno apparatu ad sui custodiam. Hoc tamen negari non potest, aliquorum seminum vitam citius, aliorum tardius interire. Sic agris seminandis triticum recens adhibendum est: sic non omnium frumentorum semina servari diutiùs possunt, præsertim extra terram. Insuper jam diximus n. 1169. innumerata semina perire, quod præsertim de seminibus animalium, maximè insectorum, verum est.

1214. Ob. 11. contra 3. concl. Christus *Ioan.* 12. v. 24. § 25. ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fueris, ipsum solum manes: si autem mortuum fueris, nullum fructum affert:* ergo semen, antequam aliquid ex eo nascatur, moritur, adeoque nova planta non vivit anima seminis, sed alià novâ. Resp. dist. conseq. semen moritur moraliter. conc. conseq. moritur physicè, neg. conseq. Scilicet debet granum frumenti, antequam fructum ferat, plurima

pati, & valde immutari, non tantum quoad materiam, puncto germinanti in alimentum additam, quæ novam formam accipit: sed etiam debet mutari, seu saltē valde alterari, quoad ipsum punctum germinans, (quamvis hoc substantialiter maneat) & sic moraliter mori, seu destrui. verbo: debet granum mori, sicut homo debet animam suam perdere; nam inter mortem grani, & inter perditionem animæ, *tac. ciss.* instituit Dominus paritatem: homo autem debet animam tantum moraliter perdere, ut est clarum, adeoque etiam granum tantum moraliter mori.

1215. Dices. Juxta nos generatio, e. g. pulli, esset mera ejus nutritio, aut augmentatio: hoc est falsum: ergo. prob. ma. pullus essentialiter acceptus jam esset in ovo, & tantum se nutriri, ac augeret, donec excluderetur: ergo. Resp. dist. ma. generatio pulli physicè accepta esset mera nutritio. neg. ma. generatio moraliter accepta. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. dist. conseq. ut priùs,

Pullus non generatur physicè, quando prodit ex ovo, ut nec ipsi adversarii, si sunt Philosophi, dicunt, licet id quidam ex vulgo existiment, qui non ad physicam, sed moralem tantum generationem attendunt, dum tamen plures etiam ex vulgo ova generari dicunt: sed pullus physicè generatur, quando punctum saliens animatur, quan-

docunque, aut quomodo docunque id contingat : hæc autem animatio non est mera nutritio, vel augmentatio ; nam istæ non tendunt ad propagandam speciem, sed ad conservandum, & perficiendum proprium individuum : ad quod non tendit animatio puncti salientis, sed ad speciem propagandam, ut patet.

1216. Ob. 12. Sæpe nascuntur animalia perfecta tertiaræ speciei, e. g. ex asino, & equa, nascitur mulus, ex lupo, & cane lycisca, ex pardo, & leæna leopardus : & videtur innegabile, quod idem contingat in variis insectis, & quidem ita, ut unum infectum gignat ovula, ex quibus nascantur infecta tertiaræ speciei : ergo semina non vivunt eadem vi-  
ta, seu anima, qua animalia ex iis orta. prob. conseq. talis anima non potest produci à producente semen, utpote imperfeciōre : ergo. Resp. 1. Hoc argumentum saltem æquè premit adversarios accidentium pa-  
tronos ; nam ipsi fortè adhuc mi-  
nus poterunt assignare congruam causam virtutis plasticæ, aut cau-  
sam principalem, in cuius virtute accidentia agant, ut patet conside-  
ranti.

1217. Resp. 2. neg. ant. (ad prob. infrà respondebitur) non enim vi-  
detur posse probari, quod illa ani-  
malia inter se physicè differentant spe-  
cie (quamvis non negem, differre speie in estimatione morali) nam  
canes e. g. incomparabiliter magis

inter se differunt, quam equus, &  
mulus : imò magis inter se differunt leo, & leæna ; unde vero simile est,  
illa animalia, quæ dicuntur tertiaræ  
speciei, esse physicè essentialiter si-  
milia matris, & tantum accidentaliter  
ab ea differre : quod confir-  
matur ex eo, quod celeberrimus  
Medicus Paulus Zachias l. 7. Quæst.  
*Medicolegal. tisul. 3. q. 1. n. 25.*  
afferit, nempe, quod, quando cum  
que ex diversæ speciei animalibus  
nascitur proles, non tertiaræ speciei,  
nascatur saltem ordinariè ejusdem  
speciei cum matre ; similia refert  
*Delrio Disquisit. magic. l. 2. q. 14.*

Quare probabiliter posset dici,  
quod etiam, quando proles in mor-  
ali estimatione est tertiaræ speciei,  
tamen physicè sit ejusdem speciei  
cum matre, quamvis accidentaliter  
multum differat. Nec ex eo, quod  
e. g. mula sit sterilis, probatur dif-  
ferentia physicè specifica ; nam in  
eadem specie multæ individua sunt  
sterilia. Adde, quod Tirinus in  
*Levist. 19. v. 19.* citans plures au-  
tores, dicat, mulas in Syria, &  
Cappadocia parere : & Vasquez in  
1. p. tom. 2. disp. 113. c. 1. n. 8. ex  
Theophrasto tradat, mulas in Asia  
frequenter parere : quin imò pri-  
mùm anno tertio hujus sæculi Pa-  
normi in Sicilia mula triennis pul-  
lum peperit, cùmque proprio lacte,  
quo abundabat, nutritivit, ut fidem  
faciunt *Mémoires pour l' histoire des  
Sciences à Trevoux.* tom. 4. an.  
1703. Octobr. n. 179. pag. 1882.  
sed

*'Quid sit Causa Materialis, & Quenam Ejus Causalitas.* 487

sed quia videtur antecedens longè communius omitti.

1218. Resp. 3. om. ant. neg. conseq. ad prob. neg. ant. nam nullo ex capite probari potest, in tali casu prolem esse perfectiorem generante: & leve videtur argumentum cuiusdam ex eo ductum, quod leopardus sit simul leo, & pardus, ad eoque habeat utriusque perfectiones: quasi verò, si quis appelletur duobus nominibus, ideo etiam habeat duplices perfectiones; unde in tali casu verosimiliter anima matris, utpote saltem & quæ perfecta, vel sola, vel cum aliis concavis, producit aliam specie animam in embrione, aut semine: ad quam, licet non habeat fecunditatem per se, habet tamen per accidens, seu ut determinata ab extraordinariè concurrentibus tunc dispositioni-

bus, circumstantiis, vel fortè etiam concavis.

Excipe tamen casum, quo ex bruto tanquam matre nascetur homo, qualem refert Delio *Disquis. magic. l. 2. q. 14.* nam tunc utique in ordine ad productionem animæ rationalis recurrentum es- set ad Deum, à quo omnes animæ rationales debent creari: non autem à productione animæ rationalis est paritas ad productionem animarum irrationalium, ut per se cuique patet: quodsi verò adver- sarii in ordine ad productionem animarum irrationalium tertie speciei ostenderint meliorem causam principalem, cujus nomine virtus plastica accidentalis agat, eadem nobis serviet pro cau- sa talium seminum, seu animarum.

## QUÆSTIO QUARTA.

*De Reliquis Causis Creatis.*

### ARTICULUS I.

*Quid sit Causa Materialis, & Quenam Ejus Causalitas.*

1219. **D**ico 1. *Causa materialis* est *Subjectum materialiter prius, in quo immediatè essentialiter recipitur actio generativa.* ita Peripatetici communissimè; nam valde pauci dissentunt. Dicitur 1. *Subjectum ma-*

*teria prius*, ut excludatur effectus generatus, qui, sicut non potest esse causa sui ipsius, ita neque potest esse natura prior ad seipsum, vel actionem productivam sui, quamvis ista etiam in ipso, tanquam in sub- jecto informationis, recipiatur.

DI-

Dicitur 2. In quo immediatè essentialiter recipitur actio generativa: ut excludatur actio creativa; nam ista, e. g. actio productiva animæ rationalis, in primis non immediatè recipitur in materia, seu non immediatè unitur materia, sed tantum mediata, quatenus recipitur in anima, quæ dein unitur materia: dein hæc actio non debet essentialiter recipi in materia; nam anima potest per eandem actionem, qua conservatur, dum est unita materia, etiam conservari post mortem, separata à materia: quo casu, nec anima, nec ejus actio conservativa, recipitur in materia.

1220. At vero actio generativa ex sua essentia indispensabiliter exigit recipi in subjecto naturæ priori, ut paulò post pluribus dicemus. Quare, quando effectus, alias generabilis, producitur per actionem non receptam in talis subjecto, e. g. quantitas in SS. Eucharistia, per actionem non receptam in materia (quia nulla adest) eo ipso producitur, aut conservatur creative. Conclusio probatur ex eo, quod hæc definitio, vel potius descriptio, conveniat omni, & soli, & sit satis clara, quæ magis patet, partim ex conclusione tertia, partim ex solutione objectionum.

1221. Dividitur Causa materialis in extrinsecam, & intrinsecam. Prior, seu Extrinseca est, quæ causat effectum, & se adæquatè distinctum; talis causa est materia pri-

ma respectu formæ materialis substantialis: altera, seu Intrinseca est, quæ causat totum: talis causa est materia prima respectu compositi substantialis: & de hac videtur maximè loqui Aristoteles variis locis, præsertim 2. *Physic. text. 38.* ubi causam materialem dicit esse illud, ex quo sit aliquid, cum insit, ut status: sive, ut clarius adhuc habet textus Græcus: *Ex quo inexistente sit aliquid.*

Quidam Atomistæ contendunt, Aristotelem omnino non agnoscere causam materialem extrinsecam: attamen eam satis agnoscit, dum frequentissimè docuit, quod materia sit subjectum formæ, realiter adæquate ab ista distinctum, adeoque non constitutiva formam tanquam ejus pars: quod subjectum est ipsissima causa materialis extrinseca, quam asserimus. Si dicas, Aristotelem non admittere formam distinctam à materia; eoquod dicat, formam non fieri, respondeo, formam quidem non fieri in sensu restricto Aristotelis: attamen fieri in alio sensu vero, & proprio, de quo vide dicta n. 99. Adde, quod ipse Aristoteles sèpius, & maximè 1. *Physic. text. 60.* & 66. ac 67. item 7. *Metaphys. text. 27.* aperte inter se distinguit materiam, & formam, tanquam duo ab invicem separabilia, adeoque realiter distincta.

Licet autem modò citata verba Aristotelis: *Ex quo sit aliquid, cum insit:*

*infra*: videantur tantum convenire causæ materiali intrinsecæ, tamen nostra descriptio causæ materialis convenit, tam causæ materiali intrinsecæ, quam extrinsecæ, ut patet consideranti. Addendum, quod idem noster conceptus, non tantum conveniat materiae primæ, sed etiam aliis; non enim tantum materia prima, sed multa alia sunt subjectum naturæ prius ad actiones generativas; nam e. g. etiam Angeli, & animæ rationales, non possunt creare actiones suas vitales, ex dictis n. 26. adeoque debent eas ex seipsis, tanquam ex subjectis, generare.

1222. Dico 2. Causalitas causæ materialis extrinsecæ in actu primo est ipsa virtus sustentandi, seu recipiendi actionem generativam, tanquam subjectum naturæ prius. ita Peripatetici communiter. Prob. Causalitas causæ in actu primo nihil est aliud, quam virtus causandi: ergo, cum causa materialis sit idem, ac subjectum sustentationis, seu potens recipere actionem generativam, tanquam subjectum naturæ prius, hæc ejus causalitas nihil aliud est, quam potentia, seu virtus sustentandi actionem generativam. Hanc virtutem à materia prima, saltem respectu formarum substantialium, distinctam esse, docent Thomistæ: sed nos supra n. 361. probavimus, eam esse ipsi identificatam.

1223. Dico 3. Causalitas causæ *Materialis*.

materialis extrinsecæ in actu secundo est ipsa actio generativa, seu passio (nam ex n. 939. sunt realiter identificatae) essentialiter recepta in causa materiali. ita Peripatetici communiter. Prob. Causalitas causæ in actu secundo est forma denominans causam actu causantem, ut patet: ergo causalitas causæ materialis in actu secundo est forma denominans causam materialem actu sustentantem, aut patientem: sed hæc forma est actio generativa, aut passio: ergo. mi. videtur satis clara, & probatur à pari; nam, sicut hæc ipsa actio ut actio causam efficientem denominat agentem, & producentem, & propterea est causalitas causæ efficientis in actu secundo, ita ut passio causam materialem denominat patientem, adeoque etiam est causalitas hujus in actu secundo.

1224. Noto, me in secunda, & tertia conclusione dixisse *Causalitas causæ materialis extrinseca*; nam, si sermo sit de causa materiali intrinseca, seu de ea, tanquam de parte compositi, tunc de ejus causalitate discurrendum, sicut infra discurremus de causalitate aliarum causarum intrinsecarum; cum enim istæ influant in totum, communicando seipsis toti, causalitas earum in actu primo est potentia, seu aptitudo constitutiva totum: causalitas vero earum in actu secundo est ipsa unio partium, qua de repulso plura inferiū n. 1236.

Q. q. q.

1225. D.

1225. *Dicē 4.* Actio generativa, seu passio, prout distinguitur à creatione, est actio essentialiter exigens immediate recipi in subjecto, pro priori naturæ præsupposito. ita rursus communissima, etiam Theologorum, non tantum Philosophorum : quæ ipsa auctoritas est maximè ponderis, ita, ut ab ea siq[ue] gravi ratione, qualis in oppositum afferri non potest, non sit recedendum. *Prob.* conclusio etiam ratione. Debet ex definitione actionis generativæ posse ostendī, quod actio creativa sit intrinsecè fortior influxus, quam generativa ; ita enim communissimè sentiunt Theologi, & Philosophi, de qua re vide supr[em]a n. 26. atqui hoc ostenditur ex nostra definitione ; nam juxta nos actio creativa paucioribus, generativa autem pluribus adminiculis indiget, scilicet etiam subiecto sustentationis, de quo videantur dicta n. 27. & 118. econtra hoc non ita bene ostenditur in aliis definitionibus, ut patebit ex solutione objectionum : ergo.

1226. *Confirm. 1.* Per hunc conceptum actionis generativæ etiam benè explicatur, quod juxta omnes debet explicari, quare nempe formæ, seu animæ materiales, adeoque generatae, specialiter dependant à materia, tam in fieri, quam in conservari : non autem ita dependeat anima rationalis, seu spiritualis : ergo. *prob.* ant. tam productio naturalis illarum formarum,

aut animarum, quam conservatio (quæ re ipsa non est aliud, quam continua earum productio) essentialiter dependet à materia, tanquam à subiecto, pro priori naturæ præsupposito, eamque ut tale subiectum essentialiter respicit : non autem ita ab ea dependet, aut eam respicit productio, aut conservatio animæ rationalis : ergo.

1227 *Confirm. 2.* Ex hoc conceptu etiam habetur, quod materia sit causa formarum materialium, non vero animæ rationalis ; nam ad illas ex propria virtute determinat, (de quo vide n. 805. & seq.) non vero ad istam ; neque enim materia essentialiter respicitur ab actione productiva animæ rationalis, etiam naturali : neque etiam ex merito proprio movet Deum ad ponendam animam, sed potius anima movere Deum ad ponendam materiam ; nam hanc Deus creavit propter animam : ergo materia se tantum habet, tanquam pura conditio ad animam rationalem : ad alias vero formas se habet ut causa ; unde non est paritas inter materiam primam recipientem formas materiales, & pauperem pure recipientem eleemosynas ; nam non, ut productio formarum essentialiter respicit materiam, ita datio eleemosynarum, physicè sumpta, respicit pauperem, & hinc pauper non est causa materialis physica eleemosynarum, sicut materia est causa materialis formarum : integrum

:

rim tamen s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> pauper est verè causa moralis dationis eleemosynæ; quia s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> ad hanc dandam ex merito suo movet.

1228. Ob. 1. contra 1. conclus. Juxta nos causa materialis esset causa efficiens: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. causa efficiens est illa, quæ essentialiter respicitur ab actione productiva effectus: sed juxta nos ab ea ita respiceretur causa materialis: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ma. causa efficiens est illa, quæ quomodounque essentialiter respicitur. neg. ma. quæ certo modo respicitur, conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Causa efficiens tantum est illa, quæ respicitur ab actione, tanquam aliquid ex abundaria sua tribuens, seu quasi effundens perfectiones in effectum, illūque executivè, & s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> extra se producens, nec per se exigens, ab effectu perfici.

At causa materialis purè talis respicitur tantum, tanquam aliquid passivè concurrens, potius ex indigentia, ad effectum ex natura rei sibi intrinsecum, & tanquam aliquid ab isto perfectibile, ac exigens perfici &c. Dixi, causam efficiensem per se non exigere ab effectu perfici; quia hæc exigentia non est de ratione cause efficientis: si tamen hæc causa sit identificata causæ materiali, ut coingit e. g. in intellectu respectu cognitionum, tunc per accidens exigit perfici ab effectu,

1229. Dices 1. Si causa materialis elevaretur supernaturaliter ad efficiendum effectum, non aliter resipiceretur ab actione, quā nunc respiciatur: ergo etiam nunc est causa efficiens, Resp. neg. ant. tunc enim resipiceretur, ut tribuens effectui perfectiones, saltem instrumentaliter, non autem ut exigens ab eo perfici, atque actio esset intrinsecè alia: verbo: tunc causa materialis influeret etiam activè, & non tantum passivè, inter quæ magnum discrimen esse, apertè patet ab experientia; longè enī aliter te habes, si verberas, quā, si verberaris. Addo, quod, si eadem causa sit simul efficiens, & materialis, e. g. intellectus respectu cognitionum, dupli ratione, saltem formaliter distincta, respiciatur ab actione, nempe, tanquam activè producens, & tanquam passivè recipiens actionem, vel etiam effectum.

1230. Dices 3. Ex dictis saltem sequeretur, quod materia prima esset causa physica infinitarum formarum materialium: ergo esset infinitè perfecta. prob. conseq. deberet præcontinere perfectiones infinitarum formarum: ergo deberet esse infinitè perfecta. Resp. dist. ant. esset causa physica efficiens. neg. ant. materialis. conc. ant. & neg. conseq. vide dicta à n. 367. ad prob. neg. ant. materia non executivè tribuit, sed tantum passivè recipit perfectiones effectus, aut formæ: neque per suum influxum plus uni-

Q 99 3

formæ confert, quām alteri ; cūm cuilibet tantūm offerat seipsum, tanquam subjectum sustentativum.

Jam verò præcontinere perfectiones effectus, propriè loquendo, per se tantūm debet causa physica efficiens, utpote quæ effectivæ, &c, ut dictum, ex abundantia sua, tribuit perfectiones effectui : & quidem juxta multos debet perfectiones effectus tantūm præcontinere causa physica principalis ; nam, an, & qualis in causa physica instrumentalí requiratur præcontinentia perfectionum effectus, adhuc valde dubium est. In sensu tamen alio quo minùs proprio fortè potest dici, quod materia præcontinet perfectiones formarum, quatenus habet potentiam ad omnes passivæ concurrendi.

1231. Dices 3. Juxta nos materia influeret in conservationem omnium formarum materialium : hoc est nimium : ergo. prob. mi. hic influxus non tribuitur causæ efficienti : ergo multo minùs debet tribui causæ materiali, seu ipsi materia, enti vilissimo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. conseq. Causæ efficienti non potest tribui hic influxus ; quia ex una parte ordinariè non est applicata formæ conservandæ, imò sàpe non amplius existit : ex altera parte, etsi causa efficiens non amplius influat in conservationem formæ, tamen hæc potest conservari actione sibi connaturali, nempe ge-

nerativa, procedente à causa prima, sive Deo.

At verò, præterquam, quod influxus passivus longè imperfectior sit influxu activo ex n. 1228. insuper ex una parte materia semper est applicata per unionem formæ conservandæ : & ex altera parte, nisi ipsa concurrat, non potest forma conservari actione ipsi connaturali, seu generativa, sed debet conservari actione creativa ; quare longè potior ratio est tribuendi materiæ primæ dictum influxum passivum, quām cause efficienti actionem.

1232. Ob. 2. contra 3. conclus. Indispensabilis dependentia, & essentialis respectus actionis ad subjectum naturæ prius, gratis à nobis configitur : ergo non debet admitti. Confirm. 1. Per hanc indispensabilem dependentiam actionis à subjecto denominatur quidem actio essentialiter recepta : at non actio generativa : ergo nil rite explicatur. Confirm. 2. Juxta nos actus vitales, & actiones generative, non possent creari ; quia essentialiter dependerent à subjecto, nempe ab anima : hoc non potest admitti : ergo. Resp. neg. ant. Utrumque non gratis admitti patet ex nostris rationibus, à n. 1225. adductis, quæ non sunt contemnendæ. Ad 1. confirm. neg. ant. nam, cùm actio sit productio effectus, & simul essentialiter dependens à subjecto natura priori, denominat ef-

fe-

fectum productum dependeater à tali subiecto : hoc autem idem est, ac denominare generatum : sicut actio, non dependens à tali subiecto, denominat effectum productum independenter à subiecto, ad eoque creatum : consequenter talis actio dependens est forma concreti generatum, adeoque est generatio, seu actio generativa.

Ad 2. confir. neg. mi. sicut enim adversarii debent admittere, quod nostri actus vitales non possint produci à solo Deo ; quia essentialiter exigunt procedere à nobis, per eos viventibus, ita nos meritò dicimus, actus vitales, & actiones generativas, non posse produci, nisi ex subjecto ; quia etiam essentialiter exigunt ita producā : id quod desumitur ex nostris probationibus. Suppono autem, actus vitales esse identificatos cum actione productiva sui, ut nostri communiū docent; si enim essent qualitates productæ per actionem distinctam, ut aliqui volunt, aliter esset de iis discurrendum. Quidam hīc etiam objiciunt, non posse à nobis dari rationem, cur anima rationalis non possit generari : sed de hoc jam satis dictum supra n. 140. & seq.

1233. Dices 1. Juxta nos Deus non posset creare formas materiales, quæ defacto generantur : sed hoc est falsum : ergo. prob. ma. Deus non posset supplere defectum causæ materialis : ergo non posset

cas creare. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. Deus non posset supplere defectum causæ materialis in eodem genere. conc. ant. in diverso genere. neg. ant. & conseq. Deus quidem non potest supplere defectum causæ materialis in eodem genere, sive ita, ut ipse fiat subjectum formarum : potest tamen supplere illum defectum in alio genere per hoc, quod ponat actionem, seu influxum fortiorē, ita, ut forma nou amplius indigeat subiecto ad suam existentiam. Sic equus potest supplere pedes hominis itinerantis, non ita, ut ipse fiat pes, sed, ut hominem portet ad locum, in quem alias pedibus ire debuisset. videantur dicta in simili n. 390.

1234. Dices 2. Deus non potest supplere defectum causæ materialis in alio genere : ergo nulla solutio. prob. ant. Deus non potest tanquam causa efficiens per fortiorē influxum supplere defectum intellectus recipientis cognitionem : ergo. Resp. dist. ant. Deus non potest hoc universaliter, etiam casu, quo effectus essentialiter exigit subiectum. conc. ant. non potest id sèpissime, in innumeris casibus, in quibus effectus quidem naturaliter, non tamen essentialiter exigit subiectum. neg. ant. & conseq. ad prob. neg. conseq. Tales autem effectus, non essentialiter exigentes subiectum, sunt omnia entia absoluta, adeoque etiam formæ materiales.

1235. Ob. 3. Melius diceretur,  
Q 99 3 quod

quod actio generativa sit productio formæ, habentis pro semper naturalem connexionem cum materia, & simul unionem cum eadem: creatio vero sit actio productiva formæ, vel non habentis pro semper naturalem connexionem cum materia, vel non habentis unionem cum ipsa: ergo non debet admitti nostra sententia. Resp. neg. ant. Hæc assertio est re ipsa sententia Lessii l. 3. de sum. bon. c. 4. n. 49. ubi docet, quod accidentia, dum sunt in SS. Eucharistia sine subiecto, non conserventur per aliam actionem, quam conservata fuerant, dum adhuc erant in subiecto, nempe pane, & vino. Addit quidem, quod actio conservativa accidentium sine subiecto sit supernaturalis; eo quod in talibus circumstantiis supereret omnes vires creatas: attamen tantum admittit, quod sit supernaturalis quoad modum, non vero quoad substantiam, ut aperte scribit n. 54. sicut communiter dicitur productio ratione in hyeme esse supernaturalis quoad modum, non vero quoad substantiam.

1236. Hæc autem opinio non est admittenda; quia juxta eam plura debent admitti contra communem Scholasticorum; nam primò juxta ipsam non datur discrimen intrinsecum, seu essentialie, sed tantum extrinsecum, & accidentale, inter generationem, & creationem; graciæ enim differunt extrinsecè

per hoc, quod generatio sit conjuncta unioni, creatio vero non sit ei conjuncta; cum tamen auctores communissime inter eas actiones statuant discrimen intrinsecum, & dicant, creationem esse intrinsecè fortiorum influxum: atque inde propter intrinsecam ejus majorem perfectionem, & non tantum propter circumstantias extrinsecas, ad ipsam requiri fortiorum virtutem agendi, quam requiratur ad generationem: quæ scilicet virtus possit supplere defectum subjecti, etiam influentis in generationem. Sancte communissime dicitur, quod conservatio creativa accidentium eucharisticorum extra subjectum sit intrinsecè fortior actio, quam fuerit prior eorundem conservatio generativa intra subjectum.

1237. Secundò. In hac sententia Lessii non potest ostendti, quod materia prima sit vere causa formarum materialium (quod iterum est contra communem sensum auctorum) nam materia prima, neque ex eo, quod eam actio productiva illarum formarum essentialiter respiceret, neque ex alio capite, posset dici, ad eas formas determinare ex propria virtute. Nec dicas, posse dici, actionem productivam illarum formarum esse identificatam unioni eorundem cum materia, & consequenter hanc essentialiter respicerre; nam hoc Lessius nullatenus potest dicere; sic enim essentialiter different inter se actio productiva

extra, & actio productiva intra subjectum, ut patet.

Tertio. Hic auctor difficulter ostendere potest, quid materia plus faciat respectu animæ materialis, quam respectu animæ spiritualis; cum etiam ista naturaliter non possit primò produci extra materiam, & hæc etiam sit conditio ad productionem naturalem animæ rationalis. Taceo, quod supposita sententia Lessii non posset totum compositionem materiale creari, quod videtur esse saltem contra communio rem.

1238. Ob. 4. Potest dici cum P. Friderico Inninger, quod actio generativa sit illa, quæ vel est identificata, vel saltem essentialiter conexa, cum actione productiva unionis: creatio vero sit actio, quæ nec est identificata, nec essentialiter conexa cum actione productiva unionis: ergo nostra sententia non est præferenda. prob. ant. sic habetur discrimen intrinsecum inter generationem, ac creationem, & insuper habetur, quod creatio sit fortior influxus, quam generatio: ergo. ant. quoad 1. p. patet. quoad 2. prob. generatio dependet ab actione productiva unionis: creatio ab ea non dependet: ergo ista dependet à paucioribus: adeoque est fortior influxus.

1239. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 2. p. ant. ad ejus prob. dist. ant. generatio dependet ab actione productiva unionis, tanquam ab ali-

quo priori. neg. ant. tanquam ab aliquo posteriori. om. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. 1. & absolute neg. 2. conseq. Potest quidem dependentia à pluribus tanquam prioribus, seu tanquam à causis, conditionibus, dispositionibus &c. aliquando ostendere, rem dependentem esse debilorem: at non potest hoc ostendere dependentia à pluribus tanquam posterioribus (quæ tamen melius diceretur connexio; hinc supra omisi antecedens) non enim propterea debilior est causa, quod producat, vel etiam debeat producere plures effectus: certè sol non est debilior, quam candela, licet plures gradus lucis debeat producere.

1240. Jam vero actio generativa effectus juxta hanc sententiam non dependeret ab actione productiva unionis, tanquam à priori: sed e- contra actio productiva unionis dependeret ab actione generativa effectus, tanquam à priori; cum ista potius præsupponatur ad illam, eamque post se trahat; nam utique effectus præsupponitur ad unionem sui cum materia, adeoque etiam actio productiva effectus, seu generatio ejusdem, præsupponitur ad actionem productivam unionis.

Accedit, quod hæc sententia sit singularis, & recedat sine necessitate à communissimè recepta definitione actionis generativæ: nec etiam ostendat, quomodo materia prima sit immediata causa formatum

rum materialium; cùm immediatè nihil conferat ad actionem generativam earum. Dén, si admittitur, quod actio generativa exigat, ut terminus ab ipsa productus essentialiter recipiatur immediatè in

subjecto, melius admittitur, quod exigat, etiam seipsam immediatè recipi in eodem subjecto; cùm hac ratione longè melius explicetur fortior influxus in creatione &c.

## ARTICULUS II.

*Quid sit Causa Finalis, & Quenam ejus, ac Aliarum Causarum Intensionalium Causalitas.*

1241. *Inis ex Aristotele 2. Physic. text. 29. est id, cuius gratiâ: seu est id, cuius vel producendi, vel possiden- di gratiâ, aliquid fit. Quidam im- pugnat hanc definitionem, asserens, finem non tantum esse, cuius gratiâ, vel amore, sed etiam cuius odio aliquid fit: sed standum est communi, & dicendum, in tali casu, non rem, cuius odio aliquid fit, sed ejus negationem, aut evi- tationem, cuius gratiâ tunc aliquid fit, esse finem; finis enim est, quod intenditur, seu appetitur: & nemo dicit, quod fugientis sicarium finis sit mors, quam sicarius intentat: sed evitatio ejus.*

1242. Finem esse causam propriè dictam, tum probavimus à n. 795. tum patet ex eo, quod omnes communissimè cum Aristotele adstruant causam finalē, adeò, ut Albertus M. eam vocet causam causarum. An autem causa finalis dicenda sit causa realis, questio est de nomine. Si per causam realē intelligitur

causa physica physicè influens, patet, causam finalē non esse causam realem; quia influit intentio- naliter movendo: iterum non est causa realis, saltem sapissimè; quia sapissimè nondum existit, quando causat: sed movet ad primum po- nendam realiter suam existentiam: si autem per causam realē intelli- gatur illa, quæ per suum esse reale movet, causa finalis erit realis, sal- tem si sit aliquid positivum; si enim esset aliqua negatio, vel etiam ali- quid impossibile, non haberet proprie- tate reale, adeoque non causa- ret, strictè loquendo, per suum esse reale. Sed de quæstione vocabu- laria satis.

1243. Dico 1. Causa finalis est, que moveat, ut sit. ita communissimè omnes: estque per se clara veritas hujus assertionis. Sanè finis movet ad ponenda media, ut per ea ipse acquiratur: hoc est, vel pro- ducatur, vel, si jam prius existat, possideatur. vide dicta supra n. 814. ubi etiam diximus, finem di- vidū

vidi in finem qui, finem quo, finem tuis: quæ divisio non est totius potestativi in partes subjectivas, vel potestativas: sed totius actualis in suas partes actuales (vide in Logica n. 63. & 64.) & omnes tres fines simul constituant unam causam finalē totalem.

Ut enim observat Pallavicinus, illud est causa finalis, seu finis propriissimè dictus, à quo toto voluntas indivisibiliter movetur ad ponenda media: voluntas autem moveretur indivisibiliter à toto complexo finis qui, quo, & cui; nam e. g. quando moveris ad ambulandum propter sanitatem, non te moveret sola sanitas in abstracto; nec enim ambulares, si sanitas alteri, & non tibi, esset obvertura; unde vis à te possideri sanitatem, seu intendis totum complexum, ut tu sanus sis, quod involvit omnes tres fines, nempe sanitatem, ejus possessionem, & quidem à te habendam.

1244. Dividitur ulterius finis in *finem ultimum*, & *finem non ultimum*. Prior, seu *Finis ultimus* est, qui non ordinatur ulterius: *Finis non ultimus* est, qui ordinatur ulterius: sic e. g. conducis equum ad iter agendum, & iter ordinas ad obtinendum beneficium: in tali casu, iter est finis non ultimus, seu intermedius: beneficium vero est finis ultimus. Negant aliqui, finem intermedium esse propriè finem; cum in eo non sicut intentione: sed quaestio est de voce, de

*Tom. II.*

quanon est opera pretium multum litigare.

Dividitur finis ultimus iterum in *finem positivè ultimum*, & *finem negativè ultimum*. Ille est, qui ex sua natura non est ulterius ordinabilis ad alium finem, saltem prudenter: & hic est solus Deus, utpote finis universalis omnium rerum. Alter est, qui hic, & nunc quidem non ordinatur ulterius, potest tamen ulterius rationabiliter ordinari: sic multorum hominum finis, per suas actiones intentus, est honesta sustentatio, quin eam ulterius referant; cum tamen posset, & deberet ulterius ad Deum, ejusque gloriam referri.

1245. Dividitur rursus finis universaliter acceptus in *finem intrinsecum*, & *finem extrinsecum*. Prior, id est *Finis intrinsecus*, qui etiam aliquando dicitur *Finis operis*, est ille, ad quem res ex sua natura ordinatur: sic finis intrinsecus Logice est productio operationis rectæ, e. g. legitimi syllogismi. Alter, seu *Finis extrinsecus*, qui aliquando etiam dicitur *Finis operantis*, est ille, ad quem res non ex sua natura, sed ex intentione extrinseca operantis ordinatur: sic finis extrinsecus Logice e. g. est, laudem, vel etiam commendationem, docte disputando mereri.

1246. Non convenientia auctores in assignandis effectibus causæ finalis; quia non convenientia in intelligendis particulis ejus gratia;

R. r. qui-

quidam enim, ut Suarez *disp. 33. Metaph. sec. 3.* volunt, eas significare idem, ac proper *cujus bonitasem*: quo posito etiam amor finis, ejusque intentio &c. erunt effectus finis; nam amor, & intentio finis elicuntur, & quidem libet, propter bonitatem finis: sola prima cognitio finis non erit effectus finis; quia ad eam non movet bonitas finis; neque enim ista movere potest, nisi prius cognitas sit. Aliud verò volunt, eas voces significare idem, ac ex *cujus amore*: sive, ut ad ea determinet amor finis: sic autem illa sola erunt effectus finis, ad quæ amor finis est prior natura: adeoque ipse amor finis, vel etiam intentio ejus, nisi hæc sit imperata ab amore finis, non erunt effectus finis.

1247. Non videtur multum litigandum de hac questione, potissimum de nomine; unde, si non strictè, saltem latius loquendo, poterunt dici effectus finis omnia illa, quæ oriuntur propter finem post ejus cognitionem, quæ sunt 1. amor inefficax, seu complacentia aliquia in fine. 2. amor efficax, seu desiderium, & intentio finis 3. inquisitio, & consultatio circa media. 4. electio mediorum. 5. actus voluntatis imperans executionem mediorum, vel sibi, vel aliis potentias 6. ipsa executio, vel posicio mediorum &c. usque ad consecutionem, seu possessionem finis.

Suarez n. præced. cœtatus admitt-

tit etiam, gaudium consequens esse effectum finis: si tamen hoc gaudium esset formalis possessio finis, fortè non posset esse effectus finis, ex eo capite, quod possessio sit ipse finis, saltem partialis: effectus autem debet distingui à sua causa: quanquam fortè posset reponi, unam partem posse esse effectum alterius compartis, adeoque finem quo posse esse effectum finis qui. Quidquid dixeris, habebis fatigentem auctoritatem magnorum virorum, quorum tamen hac in questione dissensio potius est de nomine, quam de re, adeoque non magni momenti.

1248. Dico 2. Causalitas cause finalis in actu primo est bonitas ipsius finis. ita S. Thomas, Scotus, & communissime alii. Antequam probem conclusionem, præmitto quod Bonitas transcendentalis in se aliud non sit, quam res aliqua physica; hinc entitas, realitas, bonitas, sunt idem: at, si bonitas non tantum spectetur in se, sed relata ad aliud, dicit (ut rectè docet Suarez *disp. 10. Metaph. sec. 1. n. 12.*) insuper convenientiam cum eo, respectu cuius est bona; sepiissime enim contingit, ut, quod uni est bonus, sit alteri malum; quia scilicet illi convenit, non autem huic: sic venenum est bonum serpenti, malum homini.

Dividitur autem bonitas multipliciter; nam alia est Bonitas vera; quia aeterno recipienda, aut conve-

nientia

niens est: alia *Apparens*, quae tantum videtur esse, & non est: sic *hircus*, aut *cervus*, qui revera animalia sunt, verae bonitates sunt: at *hircocervus*, quem aliquis per errorum putat esse feram, & hinc cum vult venari, tantum est bonitas *apparens*. Jam bonitas vera alia est tantum *Phylica*, alia *Moralis*: illa est transcendentalis, & datur in omni re, ut modo dictum: ista autem est, quae habet aliquam convenientiam cum aliqua re, ita, ut in communi aestimatione eam reddat meliorem. Hæc moralis bonitas iterum est triplex, nempe *Honestas*, *Luxuria*, *Utilitas*. Prima est bonitas decens, quae homini conciliat honorem: altera, quae affert voluptatem: tertia, quae affert utilitatem, estque medium ad bonum honestum, vel jucundum obtinendum.

Prob. jam conclusio. Hæc causalitas est vis, & meritum movendi, ad adhibenda media pro consequendo fine: sed hæc vis, aut hoc meritum, est bonitas finalis: ergo. prob. mihi. bonitas hæc allicit, & movet ad poneadu media, ut videtur per se, & ab experientia claram: certè bonitas sanitatis movet segrotum ad sumendam medicinam: ergo.

Licet autem ad hoc, ut finis moveat, necessaria sit ejus cognitio; quia nihil volatum, quin præcognitum: tamen ipsa non movet, aut causat ut finis; nam illud solum causat ut finis, quod cognoscitur

ut amabile, ac intenditur tanquam bonum, & propter quod acquirendum ponuntur media: quæ non convenient cogitationi, sed rei cognitæ, atque intentæ. Certè igitur, qui vellet sumere medicinam, ut haberet cognitionem sanitatis, laboraret morbo, qui per illam medicinam curari non posset. Quare cognition se habet respectu cause finalis, sicut se habet applicatio respectu cause efficientis; nam, sicut applicatio causam hanc conjungit passo, ita cognitione conjungit beatitudinem finis voluntati: adeoque est conditio requisita ad hoc, ut bonitas possit movere voluntatem.

1249. Dico 3. Causalitas cause finalis in actu primo non debet esse bonitas vera, sed sufficit etiam *apparens*. Prob. 1. auctoritate. Aristoteles 2. *Phys.* *sext.* 31. ait: *Hoc enim cuius gratia optimam, & finis aliorum vult esse: differat auctem nihil, idem dicere bonum, vel apparens bonum.* iterum 8. *Ethic.* c. 2. *Amat unusquisque, non quod ipsi est bonum, sed quod apparet.* S. Thomas vero 1. 2. q. 8. a. 1. in corp. ait: *Ad hoc igitur, quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quod sit bonum in rei veritate, sed quod apprehendatur in ratione boni:* Et propter hoc Philosophus dicit in 2. *Physic.* *quod finis est bonum, vel apparens bonum.* Accedunt communissime etiam alii auctores: ergo.

1250. Prob. conclus. 2. ratione.

R 112

Plut.

Plurimi moverunt ad facienda aliqua propter finem impossibilem: sed hic non habet veram bonitatem: ergo sufficit etiam bonitas apprens. mi. est clara. prob. ma. sic Machometani multa faciunt, ut obtineant fictitium Machometis paradysum: & ethnici multa faciunt, ut habeant faventes suos falsos Deos &c. hæc, & similia sunt impossibilia: ergo.

**Confir.** Voluntas sæpe fertur amore in objectum, sub alienis tantum speciebus propositum, ut patet ab experientia, & etiam ex eo, quod alias in hac vita non amaremus Deum: atqui per tales species potest sæpe representari aliquid falso existimatum bonum: ergo potest voluntas ferri amore in aliquid, tanquam in finem, quod est tantum bonum falso existimatum, adeoque tantum apprens. mi. patet ab experientia; nam experimur, sæpe nos decipi in talibus cognitionibus, ac judicare bonum, quod tale non est: & sane, sicut sæpe, dum nobis sub speciebus alienis representamus animalia, e. g. Indica, nunquam visa, ea nobis fingimus longè alia, quam re ipsa sint: ita sæpe etiam aliquid nobis representamus sub speciebus alienis boni, quamvis tale non sit.

**1251.** Interim tamen debet finis semper esse bonum saltem apprens; voluntas enim, seu causa agens propter finem, non potest moveri ab illo, tanquam à fine, quod ipsi

apparet malum; nam, ut omnes unanimiter dicunt, voluntas nostra potest amplecti malum qua tale, sed debet ab hoc fugere: neque etiam sufficit, si finis appareat neuter, hoc est, neque bonus, neque malus; quia sic non apparet ut amabilis: sicut, si intellectui propontitur propositio neutra, hoc est, nec vera, nec falsa, ea non propontitur ut affirmabilis. Debet insuper finis apparere ut possibilis; nam alias eo ipso non appareret ut bonus; cum impossibile non possit esse bonum: præterquam, quod nemō moveri possit ad adhibenda media in ordine ad id, quod putat, per ea non posse obtineri; eo quod aperte simul judicaret, ea media omnino frustra adhiberi: imò media inutilia, & nulla esse.

**1252.** Quæstio difficilior est, in quo stet causalitas cause finalis in actu secundo, seu illa determinatio, vi cuius aliquis effectus ita alligatur certæ cause finali, ut ea posita impossibile sit, effectum non procedere ab ea causa finali. Distinguendi autem sunt duplices generis effectus cause finalis (sive strictè, sive latè dicti, de quibus vide n. 1246. Et 1247.) nempe effectus, seu actus interni, & externi. Interni sunt e. g. amor finis, desiderium ejusdem, consultatio de mediis, eleccio mediiorum, actus imperans executionem mediornm propter finem &c. qui, cum sint actus intellectus, aut voluntatis, per intrinsecam

secam suam tendentiam respiciunt finem, tanquam bonum suum obtinendum.

Et in hoc sensu communiter dicitur finis intrinsecus actus voluntatis (& idem tenendum de actu intellectus) esse ille, quem actus hic per intrinsecam suam tendentiam respicit, tanquam moventem, ut sit: sicut econtra finis ejus extrinsecus dicitur iste, quem actus non ita intrinsecè respicit: & sic finis intrinsecus actus imperantis sæpe est finis extrinsecus actus imperati: e. g. evitatio poenarum gehennæ, quam intrinsecè respicit actus imperans contritionem perfectam, in periculo mortis, & absentia confessarii, est finis tantum extrinsecus contritionis; nam hujus motivum intrinsecum est sola bonitas Dei in se. His positis.

1253. Dico 4. Causalitas causæ finalis in actu secundo respectu effectuum, seu actuum internorum, finem intrinsecè respicientium, est identificata cum ipsis talibus effectibus. ita communis. Prob. Tales effectus sunt per seipso jam intrinsecè, & essentialiter determinati ad hanc causam finalem, adeoque ipsum sunt determinatio sui ad hanc causam finalem: in qua determinatione stat causalitas causæ finalis in actu secundo: sicut causalitas causæ physica stat in actione physica, quæ est determinatio effectus ad hanc causam physicam: ergo non debet adstrui aliqua di-

stincta causalitas causæ finalis in actu secundo. Quodsi autem actus internus, sive intellectus, sive voluntatis, non respiciat intrinsecè aliquem finem, sed tantum extrinsecè ad eum referatur (ut diximus n. 1252. de contritione, & posset etiam contingere in consideratione mediorum &c.) de tali actu discurrendum est, sicut modò discurremus de actibus externis.

1254. Itaque effectus, seu actus causæ finalis externi, sunt actiones externæ, e. g. ambulatio, datio pecuniae, locutio: & haec juxta communem sunt ex se indifferentes ad finem; nam ambulatio, quæ nunc fit sanitatis causa, posset fieri causa recreationis: & eadem datio pecuniae, quæ nunc fit ex misericordia erga pauperem, posset fieri ex vana gloria: & sic de aliis; unde causalitas causæ finalis in actu secundo, respectu istorum actuum, non potest esse cum ipsis identificata.

Hinc Zummel, & aliquot Thomistæ, eam constituant in aliqua entitate modali superaddita: at nulla est hujus necessitas, & fortè nulla bene assignabilis ejus causa. Arribal vero cum aliis eam causalitatem identificat cum actione productiva talium effectuum: sed gratis, & contra communem dicitur, quod actio physica habeat etiam essentialē respectum ad causam finalem, & quod e. g. prolatio eorum verborum, aut scriptio eorum literarum, differant à se Rrr 3 spe.

specie physica, si fiant ex diversis motivis, semel e. g. ex fine se recreandi, alijs ex fine captandi alterius benevolentiam. Quare

1255. Dico 5. Causalitas causæ finalis in actu secundo, respectu effectum indifferentium ad finem (qui sunt maximè actus externi) stat in complexo ex actione physica productiva effectus, & ex actu imperante, seu intentione finis, pro priori naturæ præsupposita, & utriusque coëxistentia. ita Suarez disp. 23. Metaph. sec. 4. n. 17. & 18. Oviedo. Contrar. 9. de Anima punct. 5. n. 29. Comptonius, & plures recentiores. Prob. conclusio. Posito hoc complexo haberur, quod effectus sit productus dependenter ab hac causa finali: ergo etiam haberur productio ejusdem dependenter ab hac hac causa finali: at qui hæc est formaliter causalitas causæ finalis in actu secundo: ergo prob. ant. per actionem physicam habetur, quod effectus sit revera productus: per intentionem verò pro priori naturæ præsuppositam, & adhuc coëxistentem, habetur, quod sit productus dependenter ab hac causa finali, sive ex amore hujs finis: ergo.

1256. Ant. quoad 1. p. patet: nec minus quoad 2. nam id censetur fieri dependenter à causa finali, seu ab hac determinari ad existendum, ad quod ponendum movet amor, seu intentio finis coëxistens. Dico coëxistens; nam, si intentio

revocata fuisset, aut, si jam diu præteriisset, et si adhuc habitualiter existeret, hoc est, revocata non fuisset, juxta communem non amplius influeret in effectum, aut ad eum moveret; unde, ut movere possit, debet adhuc vel formaliter in se, vel saltem virtualiter, seu in aliqua sua virtute, aut effectu existere. Addo 1. ex Suarezio sec. cit. n. 18. etiam ipsam actionem physicam, intentionem propter finem, esse effectum causæ finalis; quia etiam ad eam ponendam movet amor finis. Addo 2. ex eodem cit. sec. n. 17. nil obesse, quod hæc intentione tribuat actioni physicæ tantum denominationem aliquam extrinsecam; nam tamen semper manet verum, quod actio, prout hæc, & nunc sic, revera procedat ex motione finis.

1257. Dico 6. Intentio finis non fit prior naturæ ad actionem, seu effectum indifferentem, per decreatum Dei. ita videtur supponere Suarez citatus n. 1255. & apertè docet Oviedo puncto ibidem citato à n. 38. ac plures alii. Prob. Primi naturæ est illud, quod àt aliunde existens constituit actum primum proximum completem ad aliquid ex se insufficiens ad existendum, ut diximus n. 821. sed intentio finis non fit per decreatum Dei aliunde existens, aut constituens actum primum proximum ad effectum causæ finalis: ergo per decreatum Dei intentio finis non fit prior naturæ ad effectum indifferentem.

Prob.

Prob. mi. Intentio fit aliunde existens per hoc, quod non causeatur ab effectu: constituens autem actum primum proximum fit per hoc, quod actu sit pars complexi, redditentis causam efficientem expeditam ad producendum effectum: ergo. Scilicet actus, sive effectus imperatus, seu intentus ex fine, non potest existere sine prævio aliquo imperio voluntatis, quod precedat existentiam effectus, & oriatur ex aliqua cognitione, qua necdum cognoscitur effectus existens; nam debet utique actus, seu effectus imperatus, saltem per unum imperium imperari, antequam ponatur, ut perse patet (quidquid sit, an deinde nova imperia, orta ex aliqua cognitione, jam pro priori presupponente existentiam effectus, possint addi) tale autem imperium, hoc ipso, quod sit ita præsum, & ex tali cognitione, existentiam actus, vel effectus, nondum supponente, ortum, constituit actum primum; quia reddit causam efficientem in actu primo ex fine agentem, id est, causaliter determinatam, & proximè expeditam ad agendum ex fine; nam posito tali imperio determinata est causa efficiens, quæ finem intendit, ut vel ipsa immediatè olicit actus intrinsecos, vel mediater per potentias externas ponat actus extrinsecos, quicunque necessarii sunt.

1258. Nec dicas i. intentionem finis, seu actum imperantem, esse indifferentem ad hoc, ut sit prior

naturâ, vel posterior; nam retorq. arg. Etiam ignis A est intrinsecè indifferens, ut sit, vel prior, vel posterior naturâ ad ignem B (nam potest pro varietate circumstantiarum, vel esse ipsius causa, vel effectus) & tamen, quando est prior naturâ ad ignem B, non sit talis per decretum Dei: sed per hoc, quod aliunde habeat suam existentiam, & hic, & nunc constituat actum primum ad ignem B. sed de hoc iterum in objectionibus n. 1274. Nec dicas 2. in hoc casu dari actionem physicam, quæ essentialiter respiicit ignem A tanquam causam; hæc enim non facit ignem A constitutivum actus primi (nam ut tale constitutivum jam presupponitur ad ipsam actionem) sed actio tantum denominat ignem A in actu secundo agentem: quæ eadem actio, ut imperata, vel intenta, etiam denominat causam finalem in actu secundo agentem.

1259. Quæ hucusque dicta sunt de causa finali, ac ejus causalitate, in actu primo, & secundo, cum proportione etiam dicenda sunt de reliquis causis intentionalibus, nempe morali, & ideali. *Causa moralis*, ut diximus n. 815. est, quemovet, quia est, seu quia existit aliunde, sive independenter ab effectu (quæ tamen independentia, quæ lis esse debeat, explicatum est & n. 886.) sic imperium ducis est causa moralis respectu militis, ut invadat hostem, vel urbem. *Causa idealis*, seu

seu *exemplaris*, ut dictum n. 813. est, quæ dirigit causam efficientem ad assimilandum sibi effectum: sic idea domus est causa idealis respectu architecti, qui ab ipsa dirigitur ad fabricandam aliam domum ipsi similem.

Jam causalitas causæ moralis in actu primo est ejus dignitas, meritum, seu vis movendi, ad ponendum effectum. Pariter causalitas causæ idealis in actu primo est elegans, & ad suam finem apta conformatio idæ, potens illuminare, & dirigere causam efficientem, ad assimilandum sibi effectum: & hæc probantur eodem proportionaliter modo, quo n. 1248. probatum est, quod causalitas causæ finalis in actu primo sit bonitas ejus.

Similiter causalitas causæ moralis in actu secundo respectu effectuum indifferentium stat in complexo, ex actione physicè productiva effectus, & actu eam ideo imperante; quia hæc causa moralis est, ita, ut etiam hic actus imperans sit prior naturæ ad effectum: quod de quo probatur, sicut probatum est n. 1255. causalitatem causæ finalis in actu secundo stare in simili complexo: sicut etiam prioritas hujus actus imperantis explicatur, ut n. 1257. explicata est prioritas intentionis finis.

At verò causalitas causæ idealis in actu secundo, respectu effectuum indifferentium, stat in complexo ex actione physicè productiva effectus, & directione causæ efficientis, ad effectum idæ assimilandum, priori naturæ præsupposita: quæ prioritas iterum explicanda est proportionaliter ad modum prioritatis, quam habet intentio finis, & quam n. 1257. paulo pluribus explicavimus.

Quæri tamen potest, an hæc directio sit aliqua cognitio, vel an aliqua voluntio. Evidem, cum causa idealis dirigat, non movendo, sed illuminando (nisi simul sit causa moralis, qualis esset e. g. Petrus, si juberet se depingi) videtur ejus directio illuminativa stare in cognitione: certè cognitione ab hac directione excludi non potest: si quis autem contendet, debere etiam addi aliquam intentionem, seu actum voluntatis, qui imperet productivæ effectus, ad imitationem causæ idealis, nollem in hac quæstione parvi momenti multum tricari: quamvis, ut verum fatetur, talis intentione videatur potius spectare ad causalitatem causæ finalis in actu secundo; quia per eam intentionem, aut actum imperantem, effectus movet, ut sit, sive, ut producatur simile prototypo.



## ARTICULUS III.

## Solvuntur Objectiones.

**1260.** **O**b. 1. contra 2. conclusionem. Bonitas finis movet ut cognita : ergo etiam movet cognition : ergo causalitas causa finalis in actu primo non est tantum bonitas finis. prob. conseq. bona est haec argumentatio : *Ignis non calidus calefacit: ergo etiam calor calefacit* : ergo etiam bona est argumentatio ista: *Bonitas finis movet ut cognita: ergo etiam moves cognitio*. Resp. neg. utramque consequentiam. ad prob. dist. ant. haec argumentatio est bona materialiter. conc. ant. est bona formaliter. neg. ant. & conseq.

Diximus jam in Logica n. 1578. terminum, ratione cuius datur reduplicatio, non semper esse capacem illius praedicati, quod propter illam affirmatur de alio, sed tantum esse causam, vel conditionem, ob quam id praedicatum conveniat alteri : & sic cognition est conditio, ob quam bonitas potest dici movens : at non etiam ipsa movet. Quod spectat ad illam argumentationem, ea est tantum bona ratione materiae ; quia scilicet aliunde probatum est, quod calor etiam calefaciat : non autem concludit ea argumentatio in omni materia ; nam juxta omnes esset mala haec argumentatio, illi quoad formam

*Tomo. II,*

simillima: *Ignis non applicatus urit: ergo applicatio urit*.

**1261.** **O**b. 2. Si non datur cognition, non datur virtus causativa finis: ergo cognition est pars istius. prob. ant. non datur illa virtus realiter ; quia supponitur finis moveare, ut sit, adeoque nequum dari ejus existentia realis: non datur intentionaliter ; quia intentionalis existentia rei est ipsa ejus cognitionis ergo. Resp. neg. conseq. alias etiam Deus esset pars omnium creaturarum ; quia, si ipse non detur, etiam non datur ulla creatura, nec realiter, nec intentionaliter, ut patet. Quare alia statuenda est regula partis, qualem statuimus in Logica n. 683. nempe: *Pars est illud, quo affirmato non affirmatur totum, & quo negato negatur totum*.

Jam vero praeceps negata cognitione non negatur causalitas causa finalis in actu primo ; quia nihil negatur de bonitate finis, quae potest adhuc tota affirmari, quamvis non possit affirmari ut expedita ad causandum ; ad hoc enim requiritur cognition tanquam conditio. Ad prob. forte respondebunt aliqui, neg. conseq. quia daretur adhuc bonitatis finis existentia objectiva, seu cognoscibilitas, aut per ampliationem, aut per alienationem,

S 5

nem,

nem, de quibus terminis vide in Logica n. 53. & 54. sed ego Resp. om. totum; non enim ant. sed conseq. debüisset probari.

1262. Dices 1. Illa existentia causæ finalis causat, seu movet, quæ actu datur, quando causa finalis movet: sed tunc actu datur tantum existentia intentionalis, seu cognitio finis: ergo cognitio finis causat, seu movet. Resp. dist. ma. illa existentia causat, quæ tunc datur realiter actu. neg. ma. quæ tunc datur intentionaliter. conc. ma. & conc. mi. neg. conseq. *Triplex Existentia rei* solet ab auctoribus distinguui, nempe *Realis*, *Intentionalis*, & *Objectiva*.

Prima est ipsa essentia rei, posita actualiter extra causas, ut probatum est supra à n. 310 Secunda est cognitio rei, per quam scilicet res existit repræsentativè in intellectione, & in intentione. Tertia est cognoscibilitas rei intrinseca, abstrahendo, an existat realiter, an non, de qua plura in Metaphysica. Prima, & tercia existentia, sunt ipsi rei intrinsecæ, & realiter identificatae: secunda est extrinseca, & realiter distincta, nisi aliquando cognitio cognoscatur reflexè seipsam. Itaque, dum causat finis, non causat ejus existentia intentionalis, quæ est distincta à bonitate finis: sed causat ipse finis intentionaliter existens: sicut, quando urit ignis applicatus, non urit applicatio, sed ignis.

Dices 2. Cognitio requiritur es-

sentialiter, ut causa finalis possit agere: applicatio non requiritur es-sentialiter, ut ignis possit urere: ergo cognitio non est tantum conditio, sicut applicatio, sed est causa. Resp. neg. conseq. nam ex antece-dente tantum sequitur, quod cognitio sit conditio magis necessariò requisita, quam applicatio. Dices 3. Quando causat causa physica, tunc etiam causat ejus existentia physica: ergo, quando causat causa intentionalis, etiam causat ejus existentia in-tentionalis. Resp. neg. conseq. Ex-i-stentia physica, ut modò dictum, est identificata cum causa physica, adeoque, ne verificantur contradic-toria, debet etiam ista causare: econtra, ut etiam modò dictum, existentia intentionalis est realiter distincta à causa finali, adeoque est lata disparitas.

1263. Ob. 3. Mutata cognitio-ne finis mutatur effectus causæ finalis: ergo cognitio est etiam causa, saltem partialis. prob. ant. si datur clarior cognitio bonitatis ut talis, sequitur major amor, & intensior executio mediorum: & econtra, si datur obscurior, vel minor cognitio, sequitur minor amor &c. ergo. Resp. neg. conseq. ad prob. om. to-tum; quia nihil est contra nos, qui negavimus conseq. & meritò; nam etiam applicatio, e.g. ignis, vel calo-ris, non est causa, quamvis mutata applicatione mutetur etiam inten-sio effectus; utique enim magis ca-lefit ferrum igni injectum, quam ab

ab eo aliquanto remotius possumus.

Scilicet, sicut diximus n. 1062 quod sepe cum aliqua applicatione physica possit causa physica aliquos effectus producere, non autem alios: ita etiam dicendum, quod causa finalis possit, cum certa aliqua applicatione intentionalis, seu cognitione, aliquos effectus, nempe amores, intentiones, imperia, & executiones mediorum, producere, non autem alios: sive possit aliquando magis, aliquando tantum minus, aliquando omnino non movere: & sane, si cognitione representaret finem ut malum, etsi in se bonus esset, non sequeretur ullus amor, sed potius aversio animi.

1264. Ob. 4. Finis etiam malus, vel indifferens, potest alicere voluntatem: ergo non sola bonitas huius est causalitas causae finalis in actu primo. prob. ant. eadem est potentia oppositorum: ergo eadem voluntas potest aequi amplecti malum, ac bonum. Resp. neg. ant. de quo vide dicta n. 1251. certe est receptissimum axioma ex D. Dionysio de Divin. Nomin. c. 4. p. 4. de sumptu, saltu quoad sensum: *Nemo intendens ad malum operatur*; nam verba S. Doctoris sunt: *Neque enim quicquam mali naturam aspiciens ea facit, que facit: vel, ut habet alia versio: Nihil enim mali naturam intuens facit, que facit.* videatur etiam S. Thomas s. p. q. 48. a. 1. ad 4.

Quin etiam ab experientia patet, quod in operationibus nostris semper queramus aliquam, vel jucunditatem, vel honestatem, vel utilitatem, quae sunt tres species boni. ad prob. dist. ant. eadem est potentia oppositorum, & eodem modo circa illa versans. neg. ant. non eodem modo versans. conc. ant. & neg. conseq. Scilicet voluntas versatur circa bonum illud amando, & intendendo ejus consecutionem: circa malum vero versatur illud fugiendo, & intendendo ejus evitatem.

1265. Dices 1. Potest quis odisse purum bonum: ergo etiam potest amare purum malum. Resp. dist. ant. potest quis odiisse purum bonum intrinsecum, e. g. Deum, si appareat aliquo modo sub ratione aliqua extrinseca malum. conc. ant. secus. neg. ant. & dist. conseq. potest amare purum malum intrinsecum, e. g. puram omissionem liberam peccaminosam, si appareat sub aliqua ratione extrinseca bonum. conc. conseq. secus. neg. conseq. Itaque quando e. g. demones oderunt Deum, eum apprehendunt ut malum sibi; quia severum peccatorum vindicem, nec praerabie, & perturbatione ritè considerant motiva ostendentia, ipsos justissime, & optimè puniri.

1266. Dices 2. Peccatores aliqui perversi appetunt aliqua; quia sunt peccata: ergo appetunt; quia mala. Resp. neg. conseq. Si sunt homi-

homines ita perversi, tunc tamen appetunt peccata sub ratione aliqua boni ipsis apparentis, e. g. sub ratione exercitii libertatis, quod videtur ipsis jucundum: vel sub ratione vindictæ contra Deum, quam tales, dæmonum instar perversi, de ipso sumere putant sibi dulce: vel sub alia simili ratione: communiter tamen peccatores tam malitiosi non sunt, ut peccata velint; quia sunt peccata, seu offendæ Dei: sed, quia per ea affertur sordida aliqua voluptas, aut sordidum lucrum &c. quæ habent in se aliquam bonitatem physicam.

Quando autem aliqui appetunt mortem, vel propriam, vel alienam, non appetunt eam, nisi ut bonam; nam, si propria est, eam appetunt ut finem malorum, & æruminarum, qui saltem moraliter bonus est, juxta communem sensum omnia: si autem mors aliena est, eam appetunt, vel ut causam hereditatis ad-eundæ, vel ut liberationem ab inimico, vel ut malum inimici, quod instar vindictæ dulce videtur, vel sub alia simili ratione boni.

1267. Ob. 5. Quando quis sibi tanquam fini cui desiderat aliquid, vel intendit acquirere, non moveri à sua propria bonitate: ergo causalitas causæ finalis in actu primo non semper stat in bonitate finis. prob. ant. lepidè quis diceret: *Ego volo mihi has delicias; quia mihi sum bonus;* ergo. Resp. i. om. ant. dist. conseq. ergo causalitas cause

finalis, id est, finis cui, non semper stat in bonitate. om. conseq. causalitas finis qui, seu totius complexi, quod conflat causam finalem. neg. conseq. ad prob. om. totum.

Resp. 2. & fortè melius. dist. ant. non movetur à propria bonitate reflexè, & explicitè cognita. om. ant. non movetur ab ea exercitè, aut implicitè cognita. neg. ant. & conseq. ad prob. neg. conseq. Cùm in tali casu debeam rem, seu finem qui, apprehendere ut bonum mihi, hoc ipso debeo saltem implicitè cognoscere meam identitatem mecum ipso, quæ est utique relata ad me aliqua bonitas. Lepida autem esset objecta propositio causalis, non quia esset falsa, sed, quia dicaret otiosè, aliquid per se jam notissimum: sicut, si quis alteri multis probaret, se existere, lepidè ageret.

1268. Dices. Si quis potest moveri à bonitate propria, deberet magis moveri à bonitate aliena; quia hæc sepe est multò major: atqui hoc est contra experientiam: ergo. Resp. neg. ma. Ad hoc, ut motivum fortius moveat, non sufficit, ut absolutè in se sit majus; alias Deus, & ejus gloria, semper omnia alia longissimè præcederet: sed requiritur insuper, ut motivum sit respectivè fortius, & à causa ex fine agente magis estimetur: atqui non semper bonitas aliena magis estimatur, sed prævalet amor proprius: ex quo etiam quandōque aliis magis

gls bonis invidemus aliquid; quia putamus id nobis detractum &c. Cæterum, si prudenter vellemus agere, utique alienam bonitatem Dei, & s̄pē etiam proximi, deberemus nobis præferre, illisque bona velle &c.

1269. Ob. 6. contra 3. conclus. Bonitas apparens est tantum cognitione: sed hæc non movet: ergo neque movet bonitas apparens. prob. ma. bonitas apparens nihil est in se, imò, cùm s̄pē sit Chimæra, nihil potest esse in se: ergo tantum est aliquid in cognitione, sive est cognitione. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. bonitas apparens nihil est, imò s̄pē nihil potest esse in se, physicè, & realiter. conc. ant. nihil est objectivè. neg. ant. & conseq. Certe cognitione non est nihil, neque impossibilis, adeoque non est identificata bonitati apparenti, quæ est nihil, aut impossibilis, ut patet. Quare in hoc concreto *Bonitas apparens* distinguendi sunt rectus, & obliquus, sive apparentia, & id, quod habet apparentiam.

1270. Cognitione quidem est apparentia, seu forma concreti, denominans illam bonitatem apparentem: sed non est subjectum concreti, seu non est ipsa bonitas, quæ in hoc casu, cùm nihil sit, aut etiam impossibilis, non datur physicè, sed datur tantum objectivè, sive est suo modo cognoscibilis, de qua cognoscibilitate impossibilium agi solet in Metaphysica. Et hæc qualiscunque

cognoscibilitas existit, non quidem per statum, sed per alienationem, de qua alienatione vide dicta in Logica à n. 53.

1271. Hæc tamen cognoscibilitas, seu potentia terminandi cognitionem, non est causa physica cognitionis; neque enim in eam influit passivè; quia non recipit cognitionem: neque influit activè; si enim non existat, vel sit absens, aut tantum per species abstractivas cognoscatur, non potest physicè efficienter cognitionem causare, ut patet. Interim tamen, si cognoscatur talis bonitas apparens (quomodo cùnque id fiat) potest moveare voluntatem, ut patet apertè ab experientia, & efficaciter probatum est n. 1250. unde ad hoc, ut aliquid moveat voluntatem, non requiritur, ut sit aliquid physicè, sed tantum, ut sit aliquid objectivè. Quomodo autem nihil, seu negatio, aut etiam Chimæra, sit cognoscibilis, est quæstio valde controversa, de qua Deo volente plura in Metaphysica à n. 1287.

1272. Dices. Bonitas facta, & impossibilis, non movet, nisi appareat sub ratione bonitatis veræ, & possibilis: ergo movet tantum bonitas vera, & possibilis. Resp. quidquid sit de consequente, quod fortè admittent in aliquo sensu autores negantes, Chimæras in se cognosci: saltem consequentia, seu illatio est nulla; unde neg. conseq. nam, sicut ex eo, quod cognoscamus, e. g. Pa-

trem divinum sub specie venerabilis senis, & ita cognitum, seu nobis repräsentatum amemus, non sequitur, quod amemus, illam representationem, vel objectum, cui illæ species propriè conveniunt: sed amamus ipsum Patrem divinum: ita etiam ex eo, quod apprehendamus bonitatem fictam, sub speciebus alienis bonitatis veræ, & ut taliter apprehensam amemus, non sequitur, quod amemus bonitatem veram, cui illæ species propriè conveniunt: sed, nisi quid aliud obstat, amamus bonitatem fictam: verum de hoc plura p. 2. *Phys. part. n. 1300.*

1273. Ob. 7. contra 5. conclus. Si requiritur coëxistentia intentio-nis finis cum effectu, seu coëxisten-tia actus imperantis cum imperato, tunc sacerdos distractus non confi-feret sacramentum: hoc non pos-test admitti; cum ex eo sequeretur, quod sapissimè sacramenta essent invalida: ergo. Resp. dist. ma. si requiritur coëxistentia formalis. conc. ma. si tantum requiritur co-ëxistentia virtualis. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq.

Triplex datur coëxistentia inten-  
tionis, seu, ut communias loquun-  
tur, triplex datur *intentio*, nempe  
*Formalis*, quando ipsa intentio, seu  
actus imperans, actu in seipso da-  
tur eodem tempore, quo datur  
actus imperatus, seu intentus: *Ha-  
bitualis*, quando intentio aliquan-  
do extitit, & nunquam fuit retrac-tata: non tamen amplius existit,

nec ullus effectus ab ipsa relictus:  
*Virtualis*, quando intentio, priùs  
elicita, non quidem amplius in se-  
ipsa existit: attamen existit adhuc  
aliqua ejus virtus, seu effectus, in  
quo ipsa perseverat.

Et quidem prima, nempe coëxi-  
stentia formalis esset optima: sed  
non est semper in potestate ope-  
rantis, ob cogitationum nostra-  
rum volubilitatem, & inconstan-  
tiam: altera juxta communem non  
sufficit: at vero sufficit tertia, &  
prima deficiente, est necessaria.  
Quænam autem sit illa virtus, vel  
effectus, in quo intentio præterita  
debeat remanere, non conveniunt  
auctores: & hanc controvérsiam  
nos discutiendam Theologis relin-  
quimus, qui eam solent agitare,  
agendo de sacramentis.

1274. Ob. 8. contra 6. conclus.  
Intentio finis est indifferens, ut sit  
prior natura ad effectum, vel ad  
eum posterior: ergo debet per de-  
cretum Dei determinari, ut sit po-  
tius prior, quam posterior. prob.  
ant. non potest ostendi ulla impli-  
cancia in hoc, quod in primo signo  
naturæ detur aliquis actus impe-  
rans, e.g. ambulationem propter sa-  
nitatem: & in secundo signo detur  
ambulatio: & in tertio signo novus  
actus imperans prorsus similis prio-  
ri, adeoque talis, ut in aliis circum-  
stantiis potuisset in primo signo dari:  
sicut vicissim is, qui nunc est in pri-  
mo signo potuisset in aliis circum-  
stantiis dari, in tertio signo: ergo.  
Resp.

Resp. neg. conseq. ad prob. om. totum; quia nihil probat contra nos, qui non negamus antecedens, sed consequentiam; nam intentio, seu actus imperans, etiamsi dicatur ex se indifferens, determinatur ad hoc, ut sit prior natura, non per decretum Dei, sed per hoc, quod aliunde existat, & constitutum actum primum proximum. Nec dicas, actum imperantem constituere actum primum proximum ratione decreti divini; nam, sicut causa physica non constituit actum primum ratione decreti divini, ut dictum n. 1258. ita neque actus imperans: sed hic constituit actum primum proximum ex alio capite, ut explicavimus supradicto n. 1257.

1275. Dices 1. Per decretum Dei effectus fit indispensabiliter dependens à causa finali, ac ejus intentione, seu actu imperante: ergo per decretum Dei actus imperans fit prior natura ad effectum. Resp. neg. ant. non enim per decretum Dei fit effectus dependens ab intentione finis, vel à causa finali ut tali (quidquid sit, an fiat dependens aliter tanquam à causa moralis, de qua re num. seq.) nam dependentia à causa finali ut tali tantum est aliqua dependentia intentionalis, seu est intentio finis, actioni physicae adjuncta: verbo: effectum esse productum dependenter ab hoc fine, non significat aliud, quam ipsum esse productum per actionem intentam ob hunc finem;

quæ denominatio tota quanta habetur per actionem physicam productivam effectus, & coëxistentem ei intentionem finis, quin decretum Dei requiratur, tanquam constitutivum ejus denominationis.

1276. Dices 2. Si Deus non decernat concurrere ad effectum ob actum imperantem, tunc illa res, ex cuius amore elicetur actus imperans, non erit causa finalis illius effectus: ergo fit causa finalis per decretum Dei. Resp. dist. ant. non erit causa finalis respectu Dei. conc. ant. non erit respectu hominis, ex amore illius actum imperantem efficientis. neg. ant. & sub ead. dist. conc. vel neg. conseq. talis enim res in eo casu habet omnia respectu hominis, quæ requiruntur ad causam finalem; cum moveat ipsum, ut sit: & homo ex ejus intentione ponat actionem physicam &c.

Non autem habet omnia, quæ requiruntur ad causam finalem respectu Dei; quia Deus non concurredit ex ejus amore: & sancte Deus semper non movetur ab eodem fine ad concurrendum, à quo movetur homo ad operandum; nam hic semper intendit finem peccaminosum: Deus autem semper sanctissimum. Interim tamen Deus, sive ejus decretum, saltem semper respicit, non quidem ipsum finem hominis, attamen ejus intentionem, seu actum imperantem, tanquam suo modo causam moralem, moventem; quia est: si-  
ve

ve Deus in aliquo sensu quasi sic decernit : *Quia datur hec intentio, aut hic actus imperans, concurram, vel non impediam omnipotenti meam à concursu :* & sic facit effectum dependentem aliquo modo ab actu imperante, tanquam à causa morali, qualis datur respectu Dei.

1277. Dices 3. Effectus non dependet essentialiter ab applicatione causæ physicæ, nisi per decretum Dei : ergo neque dependet essentialiter ab applicatione intentionali causæ finalis, seu actu imperante, nisi per decretum Dei. Resp. om. totum. Aliud est, actum imperantem esse naturā priorem ad effectum : aliud, hunc ab illo essentialiter dependere : & quidem prioritas naturæ actus imperantis constituit causalitatem causæ finalis in actu secundo : at eam non constituit dependentia essentialis effectus ab actu imperante, (sicut non constituit causalitatem physicam causæ efficientis dependentia effectus ab applicatione) nam causalitas causæ finalis, ut probatum n. 155. tantum consistit in productione physica effectus, & intentione, seu actu imperante, pro priori naturæ

præsupposito : illa autem dependentia essentialis effectus ab actu imperante, non est prioritas naturæ actus imperantis (nam non ab omni, quod est prius naturā, eoipsò effectus essentialiter dependet) & hinc in quoconque consistat, non venit ad rem.

1278. Dices 4. Effectus non dependet essentialiter ab applicatione causæ physicæ, nisi per decretum Dei: ergo neque dependet essentialiter à causa finali, nisi per decretum Dei. Resp. neg. conseq. Respectu causæ finalis habetur alia forma, denominans effectum essentialiter dependentem à causa finali, seu productum ex amore hujus finis, ut satis explicatum fuit a n. 155. e contra respectu applicationis causæ physicæ non videtur haberi alia forma, denominans effectum essentialiter dependentem ab ea applicatione ; nam actio physica non essentialiter respicit hanc applicationem, adeoque non est talis forma: sed neque appetet ulla forma intentionalis, quæ hanc denominacionem tribuere possit præter decretum Dei : aut, si aliqua alia convenienter assignari possit, negabitur antecedens.

## ARTICULUS IV.

*Quæ ulterius Notanda sint de Reliquis Causis Creatis.*

1279. Supersunt aliqua breviter dicenda de causis per accidens, & de causis intrinsecis; plu-

rima enim, quæ de his solent in controversiam trahi, ex jam dictis resolvi possunt : sicut plura de cau-

si intrinsecis jam explanata sunt à n. 642. ubi de modo totalitatis: & plura etiam ad causas per accidens transferri possunt, quæ de causis per se dicta sunt: sic, cùm causæ per accidens (ut mox dicemus) non agant ex intentione, seu prævisione, sunt saltem ut plurimum causæ physicæ: adeoque earum causalitas, tam in actu primo, quam in actu secundo, explicari debet juxta dicta à n. 909. si tamen aliquando causa per accidens spectaret ad causam finalem, aut moralem &c. etiam deberet ejus utraque causalitas ad modum causalitatis istarum causarum intentionalium explicari. Quare omissis, quæ causis per accidens, & causis per se, sunt communia, pauca, quæ illis specialia notatu digna visa sunt, breviter addo. Itaque

1280. *Causa per accidens* est duplex. Una est, quæ non influit, sed tantum per accidens conjungitur causæ influenti: sic dicitur, musicus ædificare, quando simul est architectus; nam, licet in eodem homine conjugantur ars musica, & ars architectonica, tamen musica non influat in fabricam domū. Altera causa per accidens est, quæ influit in effectum, non à se intentum: & in hoc sensu Deus est causa per accidens peccati, animal monströsum partus, & aliquando Medicus mortis. Similiter talis effectus dici sollet *Effectus per accidens*; nam *Effectus per se* est à causa intentus,

*It. Tass.*

vel per appetitum innatum, quem solum habent causæ non cognoscitivæ: vel per appetitum elicitem, quem præter innatum habent causæ cognoscitivæ, eumque, vel necessarium, vel liberum (vide dicta n. 674. & 675.) qui appetitus elicitus debet esse fundatus in probabili prævisione effectus secuturi. De prima causa per accidens huc non agimus; quia, strictè loquendo, non est causa effectus; cùm in eum non influat: sed agimus tantum de secunda.

1281. Dividitur causa per accidens, in hoc secundo sensu accepta, communiter in casum, & fortunam: sed divisio non est adæquata; nam Deus sœpe est causa per accidens, quin tamen ad casum, vel fortunam, possit revocari: & idem frequenter dicendum de hominibus, & Angelis, ut patebit consideranti. Sed, quidquid de bonitate hujus divisionis sit.

*Casus*, qui huc sumitur pro causa, non pro effectu, est *causa non libera*, per accidens influens in effectum raro contingente. Talis casus est domus corruens, & inquinilos opprimens: vel tegula è tecto decidens, & prætereuntem prosterrens. *Fortuna* est *causa libera*, per accidens, & sine probabili prævisione, influens in effectum raro contingente; unde discrimen inter casum, & fortunam est, quod ille sit causa non libera, haec vero sit causa libera, attamen influens in ef-

T 11

fe-

fectum sive probabili prævisione o-  
jusdem; & hinc dicimus fortunam,  
si aleator liberè ludens, aliquoties,  
non ex arte, aut scientia aliqua, sed  
sive probabili prævisione, projiciat  
senarios: vel, quod est exemplum  
S. Thomæ 1. p. q. 116. a. 1. *in corp.*  
si quis fodiens sepulchrum inveniat  
thesaurum, quem scilicet ipse non  
prævidit; hinc antiqui fortunam  
dixerunt deam cæcam.

1282. Jam Deus non potest esse  
casus, aut fortuna: nec respectu ipsius  
potest dari effectus fortuitus, aut  
casualis; quia ipse omnia clarissi-  
mè prævidet: at possunt tales effec-  
tus dari respectu hominum, &  
etiam Angelorum; nam non om-  
nia prævident. Sic infortunatus  
est Angelus custos, si bonis suis mo-  
nitis clienti suo inobedienti per ac-  
cidens causa est majoris post mor-  
tem poenæ: sic etiam dæmon sepe  
tentando est hominibus probis cau-  
sa fortuita majoris gloriae. Ex ho-  
minibus illi plus debent fortunæ,  
qui à natura acceperunt minus in-  
tellectus; quia scilicet minus præ-  
vident: & hinc fertur dixisse Philo-  
sophus, ibi esse parum ingenii, ubi  
multum fortunæ. Bruta autem for-  
tunata dici non possunt, nisi per  
metaphoram; quia non sunt causæ  
liberae.

1283. Inter effectus casuales nu-  
merantur etiam *Monstra*, de qui-  
bus Aristoteles 2. *Ethysic. text. 82.*  
sic ait: *Monstra peccata sunt illius,*  
*quod propter aliquid agit:* id est,

sunt, ut communiter vocantur,  
*peccata natura*, quæ agit propter  
aliquem finem, sed eum non asse-  
quitur, ob aliquod principium, vel  
corruptum, vel confusum, vel alio  
modo male dispositum: & hinc or-  
itur effectus monstrosus non in-  
tentus; unde monstrum etiam di-  
citur *vitium natura deficientis à*  
*fine suo, ob aliquod impedimentum*  
*raro contingens.*

Oriri autem solent monstra 1. ex  
redundantia materiæ, vel defectu:  
sic ex redundantia aliquando nasci-  
tur homo cum pluribus manibus,  
vel digitis: & econtra ex defectu  
nascitur sine brachiis, aut digitis.  
2. ex confusione seminum, ex qua  
si oritur animal aliquod novum,  
sevarum, censemur monstrum: non  
autem censemur mulus esse mon-  
strum; quia ejus generatio est val-  
de frequens. Cum autem in Afri-  
ca ob penuriam aquarum soleant  
ad Nilum convenire varia anima-  
lia, atque commisceri, nascuntur  
ex mixtione seminum sepe nova ani-  
malia monstrosa: & hinc Africa  
dicta est parens monstrorum. 3. ex  
defectu virtutis formætricis, seu a-  
ctus primi proximi adæquati, mi-  
nus apti ad perficiendum corpus  
animalis; hinc aliquando nascun-  
tur aliqui sine solita distinctione di-  
gitorum, aut cum membris aliis  
male formati. 4. ex defectu, vel  
excessu caloris, aut frigoris, aut al-  
lia intemperie; ex his enim ali-  
quando evenit, ut organa exi-  
gen-

gentia aliam temperiem, e. g. ocu-  
li, aut cerebrum, malè formentur.  
Plures aliae possunt esse causæ acci-  
dentes monstrarum, quas omnes  
persequi nimis longum foret.

1284. Supereft explicandum Fa-  
tum, quod à quibusdam, ut vide-  
tur, confunditur cum fortuna, à  
qua tamen est summè diversum, ut  
patebit ex dicendis. Ethnici an-  
tiqui per fatum intellexerunt ne-  
cessitatem omnibus dominantem,  
cujus leges, in Jovis diptera scri-  
pserunt, etiam à diis immutari non  
possent. Priscillianistæ hæretici per  
fatum intelligebant ordinem, ac  
successionem quandam rerum om-  
nium, ex impressione cæli, ac situ,  
& motu stellarum, necessariò con-  
sequentem. Aliqui alii hæretici  
intelligebant præscientiam Dei, e-  
jusque voluntatem, ad omnia ante-  
cedenter necessitantem: in his  
autem sensibus acceptum fatum re-  
jicitur ab omnibus recte sentien-  
tibus.

At vero Catholici cum Boëtio  
seatiunt, qui l. 4. de Consol. Philo-  
soph. prof. 6. sic loquitur: Provi-  
dentia est ipsa illa divina ratio, in  
summo omnium principe constituta,  
qua cuncta disponit: fatum vero  
inherens rebus mobilibus dispositio,  
per quam providentia suis queque  
necit ordinibus; unde, ut exponit  
S. Thomas 1. p. q. 16. n. 2. in corp.  
fatum est passiva causarum secunda-  
rum ordinatio ad fines à Deo in-  
tentos: providentia autem est acti-

va ordinatio earundem, de qua  
Sap. 8. v. 1. dicitur: Attinet ergo  
à fine usque ad finem fortiter, &  
disponit omnia suaviter. videatur  
de fato S. Thomas cit. quest.  
tota.

1285. Jam Causa intrinseca est  
pars ut quod, adeoque ex n. 7. &  
23. principium, constitutens com-  
positum, & istud ex propria sua vir-  
tute, seu seipsum intrinsecè com-  
municando, determinans ad existendū;  
compositum enim sine partibus non potest existere, seu est  
insufficiens ad existendum, ut jam  
explicatum est n. 795. unde compo-  
situm est suo modo effectus cause  
intrinsecæ. Hoc tamen compositum  
non est adæquatè, sed tantum in-  
adæquatè distinctum à causa intrin-  
seca, hoc ipso, quod ista sit ejus  
pars: in quo causa intrinseca dif-  
fert ab extrinseca; nam ista deter-  
minat ad existendum aliquid à se  
adæquate distinctum. Est autem  
causa intrinseca compositi substancialis  
(cujus maximè cause atten-  
duntur) duplex, nempe materia, &  
forma, de quibus fusè suis locis e-  
gimus. Unio autem non solet nu-  
merari inter causas intrinsecas;  
quia non est pars ut quod, adeoque  
ex n. 23. neque est principium.

1286. Causalitas cause intrinse-  
cae in actu primo est ipsa cause es-  
sentia, seu aptitudo intrinseca, ad  
constituendum, per modum partis  
ut quod, compositum: causalitas  
autem in actu secundo est unio;

hæc enim est formalis determinatio causæ intrinsecæ, ad constitutendum actu compositum; nam ab unione pars denominatur actu componens compositum: quod in parte ut quod est causare compositum. An autem unio etiam compositum denominet unitum, est quæstio de nomine. Si per unitum, ut communiter fieri solet, intelligatur unitum alteri à se distinto, compositum non potest dici unitum, ut patet: si autem per unitum tantum intelligatur, ut aliquando fieri videtur, ens non simplex, sed ex pluribus coagmentatum, poterit etiam compositum dici unitum.

1287. Causa intrinseca debet etiam esse aliquo modo prior suo effectu, seu composito; quia debet esse principium: non autem debet necessariò esse prior tempore; licet enim materia sit prior tempore multis compositis, tamen formæ materiales non sunt tempore priores: imò posset etiam totum compositum simul à Deo creari. Sed neque causa intrinseca debet esse prior naturæ ad compositum: imò neque potest esse prior naturæ; nam, ut probavimus n. 823, non existit

aliunde, seu independenter à composito: potest tamen una pars compositi esse prior naturæ ad alteram, e. g. materia ad formam: at talis pars non est causa intrinseca alterius compartis, sed est causa extrinseca; quia eam non constituit.

1288. Quare causa intrinseca est composito prior à subsistendi consequentia; quia scilicet bona est illatio: *Datur totum: ergo datur hac ejus pars:* non autem vicissim bona est illatio: *Datur hac pars: ergo datur totum.* videantur quoque dicta n. 655. ubi etiam quæstum, an causa intrinseca adæquata sit possibilis. Si etiam una pars essentialiter trahat alias, ut e. g. unio trahit materiam, & formam, tamen adhuc singulæ partes sunt priores à subsistendi consequentia ad totum; nam saltem affirmata una parte, etiam unione, nondum affirmantur etiam alias, & consequenter neque totum: at affirmato toto affirmantur necessariò omnes partes: adeoque bona est illatio: *Affirmatur totum: ergo affirmatur pars:* non vero est bona illatio: *Affirmatur pars: ergo affirmatur totum.* videri etiam possunt dicta in Logica à n. 682.



QUE-

# QUÆSTIO QUINTA.

*De Causa Prima Increata, sive Deo.*

## ARTICULUS I.

*An evidenter existat Causa Prima Increata, sive Deus.*

1289. **N**egat, Deum evidenter posse demonstrari Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, dum in 1. sentent. q. 3. a. 2. concl. 2. sic afferit: *Et de hoc sit secunda conclusio, quod, licet ista propositio: Deus est: non sit nobis evidens, aut evidenter demonstrabilis, ipsa tamen est naturaliter probabilis.* Sed ipsius responses, aut exceptiones contra demonstrationes, quæ solent adduci, sunt planè levis momenti, præsertim illa, quam quarto loco producit, respondens inter alia ad 2. arg. sic: *Quarto dico, quod non est evidens, quod circulatio (hoc est, mutua duorum se invicem producentium naturæ prioritas) non sit possibilis: qua de re fusè actum est suprà à n. 836.*

1290. Alii verò Theologi, & Philosophi, communī consensu docent, existentiam Dei evidenter posse demonstrari, adeò, ut plures cum Angelico l. 1. contra Gentil. c. 12. & Suarezio disp. 29. Metaph. sec. 2. n. 6. sententiam Petri de Alliaco damnent erroris. Sanè ad

*Rom. 1. v. 19.* scribit S. Paulus: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit:* hoc est: id, quod naturali lumine de Deo innoscere potest, est manifestum, seu evidens: & rationem subdit Apostolus: *ibid. v. 20. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, que facta sunt, intellecta conspicuntur:* quæ verbâ satis indicant, ex creaturis ita clarè inferri existentiam Dei, ut conspiciri videatur. Idem docent SS. Patres, apud Suarez cit. sec. n. 6. & 7. Sed Deum posse demonstrari optimè probatur, afferendo ipsas demonstrationes. Quare

Dico. Datur evidenter Deus. Hæc conclusio demonstratur argumentis physicis, & moralibus: per quæ non intelligo argumenta, tantum moraliter, aut physicè certa, sed argumenta, desumpta quidem ex principiis physicis, & moralibus, seu directivis morum, attamen metaphysicè, id est, omnino necessariò infallibilibus, ac evidentiibus. Incipio ab argumentis moralibus. Itaque

1291. Demonstratur Deus 1. Persuasio universalissima omnium nationum, & constantissima omnium temporum, est necessariò vera : talis est persuasio de existentia Dei : ergo est necessariò vera, ad eoque Deus verissimè existit. magnari non potest ; aliàs negari quoque poterunt omnia principia, etiam quæ communissimè dicuntur lumine naturæ nota. demonstratur mihi existentiam Dei sibi esse persuasam, testantur omnes populi, gentiles, & Christiani ; unde Ciceron*I. 1. de Legib. ante medium* ait : *In hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, qua non, etiam si ignores, qualiter habere Deum decent, tamen habendum sciat :* & S. Augustinus tract. 106. in Ioan. sic scribit : *Hac est enim vis vere divinitatis, ut creature rationali, jam ratione uenti, non omnino, ac penitus possit abscondi ; exceptis enim paucis, in quibus natura nimis depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus facetur auctorem :* ergo.

1292. Confir. 1. Omnes homines universaliter sentiunt remorsum conscientiæ, etiam ob occulta delicta, & metuunt aliquem judicem, vel vindicem, qui alius esse non potest, nisi Deus : item omnes ex naturali instinctu in subitanis periculis invocant Deum : ergo natura dicit omnibus dari Deum. Confirm. 2. Judicium de existentia

Dei est fundamentum omnis honestatis morum, & medium summè necessarium, ad ingenerandam hominibus, & in ipsis conservandam vitæ probitatem : ergo evidenter non est falsum. prob. ant. plurimi metu hominum minimè coercentur à vitiis, nisi etiam Deum timere deberent ; unde Machiavellus voluit, plebi abscondi doctrinam de atheismo : ergo.

Prob. etiam conseq. Evidens est, quod ad maximum naturæ rationalis bonum, nempe ad vita honestatem, medium necessarium esse non possit falsitas, & deceptio, qua fallantur pii, ut colant id, quod re ipsa esset Chimæra : item evidens est, quod natura non impellat homines ad tantum errorrem, ut credant universaliter, & firmissimè, cultum Dei esse virtutem ; cum re ipsa esset vitium superstitionis : rursus evidens est, quod natura non voluerit sapientiæ verâ privare homines optimos, & virtuti deditissimos : & econtra eâ donare homines pessimos, quales sunt Athei, qui non tantum omnem religionem, sed etiam omnem aliam virtutem solent exuere : ergo. videantur etiam dicta 2. p. Phys. part. à n. 897.

1293. Demonstratur Deus 2. Evidens est, quod universum non potuissest tantâ symetriâ, ordine, ac pulchritudine produci, neque tam certis, ac stabilibus legibus conservari, nisi mens aliqua sapientiâ.

tissima, simulque omnipotens, omnia ordinatisimè produxisset, ac providentissimè gubernasset: at qui hæc mens est Deus: ergo. prob. ms. nemo unquam capiet, quod, si innumeræ literæ typographicæ etiam infinites casu projicerentur, vel miscerentur, alicubi prodiret oratio Ciceronis, vel poëma Virgilii: nemo sibi persuaderi sinet, quod, si innumeræ cubi, aut globuli, vel cuiuscunq; alterius figuræ corporis, infinites casu coniungerentur, prodiret urbs aliqua similis Romæ, vel Constantinopoli: nemo etiam naufragio ejectus in desertam aliquam insulam, ac in ea inveniens elegans palatum, suâ bibliothecâ instructum, posset capere ædificium tale casu ortum esse: ergo multò minus capi potest, quod ex casu commixtis atomis prodire potuerit totum universum, ex stellis, elementis, metallis, herbis, animalibus, hominibus &c. tanto ordine, ac pulchritudine compositum, ac insuper tanta stabilitate plurimis jam sæculis durans.

1294. Certè Galenus *l. 17. de Usu partium c. 1.* censet, ex sola animati cuiusque corporis fabrica, clarissimè manifestari divinam aliquam, & sapientissimam mentem, animalium opificem: quid jam dicendum de innumeris animalium speciebus, partim maximis, partim minutissimis, attamen in vix visibili corpore organa omnia, & proportionatissimæ habentibus? quid di-

cendum de plurimis aliis, humaanum captum excedentibus, naturæ portentis, quorum causas acutissimi Philosophi, etiam post intentissimum studium, necdum inveire potuerunt? quid dicendum de tota universitatis hujus vastissima machina, ad cujus intuitum, non tantum visus, sed & intellectus noster, hæret stupore defixus? Certè ista omnipotentem, ac infinitè sapientem intellectum, & quidem priori naturæ ad ea producenda existentem, requirunt: & aliter sentire, est evidenter despere. Hæ duæ demonstrationes, ex moralibus principiis desumptæ, maximè quadrant rudioribus: & nisi quis studiosè cœcus earum claritatem excludere velit, sunt sufficientissimæ: addenda tamen pro Philosophis est alia ex principiis physicis. Igitur

1295. Demonstratur Deus 3. Datur ens productum: ergo etiam datur ens improductum: hoc est ens habens omnem perfectionem, adeoque Deus: ergo datur Deus. ant. est evidentissimum; nemo enim dubitare potest, se esse productum, vel generatum: subsumptum etiam facile ostenditur ex eo, quod ens improductum, sive à se, sit etiam ens perfectissimum; nam, sicut potuit suo modo sibi dare existentiam, ita eodem modo potuerit sibi dare omnem perfectionem, ut Theologi clare dedueant, & hic tunc supponitur.

Unde probanda est 1. consequentia,

tia, quæ demonstratur sic. Si non datur ens improductum, non potest ostendi causa primi entis producti: atqui hæc debet posse ostendi: ergo. prob. ma. non potuit ipsummet esse causa sui ipsius, vel produci à seipso, ut patet: nec potuit produci ab aliquo producto, nisi duo se mutuò primò produxerint: atqui non potuerunt duo se mutuò primò producere, ut probatum fuit *ad n. 836.* & communissimè persuasum est omnibus, etiam Atheis; nam nemo eorum respondere audet, quod primitus duo se mutuò produxerint: ergo. Recurrunt igitur Athei ad infinitum causarum: quo posito (ajunt) nunquam devenitur ad ens primò productum.

1296. Sed contra est. Infinitum in causis successivis clare implicat: atqui hoc deberet Atheus admittere: ergo. ma. prob. si daretur series infinita causarum, tunc effectus ultimus à causis suis proximis distaret finitè: ab aliis autem remotissimis, in eadem serie, distaret infinitè (aliàs non esset infinita series successiva causarum, & deveniretur ad primam, ut patet) sed hoc implicat: ergo. prob. mi. sic tandem effectus ab aliqua causa distaret finitè, & ab huic proxima distaret infinitè, adeòque fierent ex causis finitis infinitæ, per adjectionem finiti, sive causæ unius: hoc autem implicat: ergo.

Prob. mi. Hoc est contra essentiam infiniti; cùm hac ratione infinitum posset finitis acceptionibus

exhauriri: sicut enim per additionem unius cause ex finita serie facta est infinita, ita per ejusdem subtractionem vicissim ex infinita fieret finita, adeòque exhaustibilis: ergo. Prob. etiam mi. superior, sive, quod Atheus debeat admittere infinitum in causis successivis. Atheus ad quemlibet effectum necessariò requirit causas per se, sive necessariò præcedentes infinitas; aliàs enim deveniretur ad primam, quod ipse horret: ergo debeat admittere infinitum in causis successivis, sive debet admittere, quod infinitæ causæ, usque ad effectum quemlibet productum, sibi successerint.

1297. Replicant huc quidam, S. Thomam admittere possibilitatem infiniti: sed Angelicus non tantum non admittit infinitum in causis per se subordinatis, ad quas forte aliquid requireretur, quod Atheus negaret sibi necessarium esse (de quo potest videri Scotus *in 1. dist. 2. q. 2. n. 11. & 12. vel Raynaudus Theol. natural. dist. 5. q. 1. a. 3.*) sed etiam non admittit infinitum in causis per se requisitis; sic enim habet *1. p. q. 46. a. 2. ad 7. Dicendum, quod in causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se, ut puta, si causa, qua per se requiruntur ad aliquem effectum, multiplicarentur in infinitum. & eod. art. ad 8. docet, quod, et si admittatur, mundum potuisse ab æterno esse, non tamen ideo admittendæ sint infinitæ generationes hominum, & addit:*

addit: *Unde posset discere aliquis, quod mundus fuit aeternus, vel substantia aliqua creatura, he Angelus, non autem homo: quin i. p. q. 7. a. 4. in corp. docet impossibilitatem infiniti in multitudine causarum, etiam per accidens causantium. Verum omissa etiam, non concessa, possibilitate infiniti in causis, seu omisso processu in infinitum.*

1298. Demonstratur Deus 4. *Tota collectio infinitarum causarum productarum non est improducta: ergo est producta: non ab aliquo intra collectionem: ergo ab aliquo extra collectionem, seu ab aliquo improducto, id est, a Deo: adeoque datur Deus. utraque consequentia est evidens. prob. ant. illa collectio evidenter non est improducta, cuius nulla pars, vel adaequatè, vel inadæquatè est improducta: ita se habet collectio infinitarum causarum productarum: ergo. mai. est clara; nam est lumine naturæ evidens, quod ex omnibus productis entibus nullum habeat esse, vel adæquatè, vel inadæquatè à se; nam, cum ante productionem suam nihil fuerit, etiam nihil potuit physicè, sive realiter habere in se, multo minus à se.*

Prob. ma. Non potest cum aliquo toto identificari aliquod prædicatum, nisi vel adæquatè identificetur alicui ejus parti, ut intellectivum identificatur uni parti hominis, nempe animæ rationali: vel inadæquatè identificetur singulis,

*Tom. II.*

aut certè pluribus partibus, ut animal identificatur inadæquatè corpori, & animæ, ac unioni in eodem homine: at qui prædicatum improductum non identificatur adæquatè ulli parti collectionis, neque etiam inadæquatè singulis, aut pluribus partibus, ut modò ostensum est: ergo.

1299. Ex modo dictis habetur aliquid etiam indicium, ex quo inferatur, quando *Argumentatio à sensu distributivo ad collectivum* sit bona; universaliter enim non est legitima. Scilicet tunc saltem est evidenter bona, quando est negativa, & negatur de toto aliquod prædicatum positivum, quod nec adæquatè, nec inadæquatè identificatur cum ulla parte; cum enim non detur alia identitas, nisi vel adæquata, vel inadæquata, manifestum est, tale prædicatum toti identificatum esse non posse.

Alia signa ab aliis afferri solita, nec probo, nec improbo: neque nego, posse etiam aliquando argumentationem à sensu distributivo ad collectivum esse bonam, licet nostrum signum non habeat; cum ad verum signum non requiratur, ut semper adsit, quando adest significatum: sed tantum, ut ipsum non adsit sine significato, ut dictum in Logica n. 784 Addo. insuper, prædicatum *improductum* huc non sumi tantum negativè, seu pro pura negatione productionis; nam in hoc sensu etiam Chimæra est im-

*Uu u*

pro-

producta: sed sumi positivè pro ascitate, seu positiva existentia à se; & hinc hoc prædicatum, quamvis sit negativum secundùm dici, non tamen est tale secundùm rem significatam.

1300. Prob. jam superius subsumptum, seu quod collectio etiam infinita causarum productarum non sit producta ab aliquo intra collectionem. Si esset ita producta, tunc, vel ab uno intra collectionem producta essent reliqua omnia: & hoc ipsum deberet primò productum fuisse ab aliquo ex reliquis, adeoque duo debuissent se mutuò primò producere, quod implicat *ex n. 836.* vel debuissent singula produci à singulis: sed neque hoc dici potest: ergo. antequam probem minorem, noto, quod ab ultimo effectu, qui, cùm nihil ante se producat, nil facit ad rem, abstrahamus, & tantùm loquamur de infinita collectione causarum productarum, & producentium.

1301. Prob. jam mi. In hac collectione, quæ sunt producentia, tot sunt producta, scilicet utrinque infinita: ergo saltem unum debuit esse productum ab aliquo extra collectionem, aut certè duo intra collectionem debuerunt se mutuò, vel mediataè, vel immediate produce-re: hoc secundum implicat *ex. n. 836.* ergo debet dici prius, adeoque admitti ens extra collectionem productorum, consequenter improductum. ant. est evidens. prob. con-

seq. si in hac serie successiva causarum non sunt plura producentia, quam producta, tunc non potest cuilibet producto correspondere suum producens distinctum, sive non possunt infinitis productis correspondere pari infinitudine infinita producentia, nisi duo se mutuò, vel immediate, vel mediataè producant, ut penetranti terminos cuilibet patet: ergo.

1302. Certè hoc in collectionibus finitis est evidentissimum: e.g. ut centum sint verberantes, & verberati, si nullus extra collectionem verberet, debent duo se mutuò mediataè, vel immediate verberare. Ut autem se habet collectio finita ad finitam, ita se habet infinita ad infinitam: & sic etiam est evidens, quod in collectione infinita dantum, & accipientium quantum, si nullus sit dans, qui non sit recipiens, debeant duo, vel mediataè, vel immediate, sibi mutuò dare: sic si horologium constaret infinitis rotis, quæ omnes essent moventes, & motæ, quin aliqua moveretur à pondere distincto à rotis, deberent duæ se mutuò movere: quod cùm impossibile sit, debet pondus extrinsecum admitti: & qui diceret, rotas horologii, modò infinitæ sint, non indigere alio motore, ab omnibus merito rideretur.

1303. Dixi, duo debere se mutuò producere mediataè, vel immediate; si enim non duo se immediate producerent, deberet primum pro-

producere secundum, hoc tertium, istud quartum, & hoc denique illud primum: ferme, sicut, dum gyratur circulus, prima pars acquirit locum secundæ, hæc autem locum non primæ, sed tertiaræ, & sic ulterius, donec pars ultima acquirat locum primæ. Est autem magis absurdum, quod aliquid primò producat suam causam mediatam, & multò tempore præcedentem, quam si duo immediate, & eodem tempore, se producant, ut videtur ex se esse evidens.

Nee dicat Atheus, eandem unicam causam posse producere plures effectus; nam, si etiam millenos producat, nullus ex his poterit producere aliquid prius seipso, sed tantum aliquid posterius, cum quo deinceps, & sequentibus, constituit aliam seriem collectionis infinitæ: & quod concluditur de una, eodem modo concluditur de altera.

Si dicat Atheus, non debere quæri causam totius infiniti, sed tantum singulorum. Resp. hoc esse studiosè obsecrare seipsum, & subterfugere viam aliquid de infinito intelligendi; cum in isto per singula eundo evidenter non possit deve-

niri ad finem: quia ratione nunquam satisfiet intellectui, ad æquatam sufficientiam pro toto infinito inquirenti; nam quælibet responsio, assignans causam productam particularem, est origo novæ questio-  
nis; unde iterum hæc causa sit or-  
ta: & sic in infinitum.

1304. Si denuo replicet Atheus, infinitum non posse sumi per modum unius, quæro, cur ergo ipse illud sumat per modum unius, dum per totum infinitum assignat plenam, & ad æquatam sufficientiam productorum, quæ non habetur per ulla finita? Dein istud infinitum ad mentem Athei actu existit, estque ens determinatum; cum nihil indeterminatum possit actu existe-  
re: cur ergo non possit sumi per modum unius? Non male Derken-  
nis *disp. 3. de infinit. Dei. n. 15.* ait, si negetur, in infinito locum habere prima principia, de eo si-  
lendum esse; cum sic subducantur media de eo loquendi. Aliud est de infinito syncategorematico, quod non est aliquid determinatum, neque potest unquam to-  
tum existere: de quo plura suo loco.

## ARTICULUS II.

### *Solvuntur Objectiones.*

1305. Q.B. i. Quod potest credi, non est evidens: sed exi-  
stentia Dei potest credi: ergo non

est evidens. Resp. neg. ma. Utique est evidens, homines mori: & ta-  
men hoc credimus, ut potè revela-  
tum  
U u u 2

tum ad Hebr. 9. v. 27. *Sicutus sum est hominibus semel mori.* Dein est sententia mea opinione probabilior Theologorum, quod cum fide possit stare evidentia in attestante, sive evidentia de revelatione divina. Ad minimum potest credi tale obiectum evidens, quando non cogitamus de evidentia, sed tantum de revelatione: & saepe contingit, quod cogitemus de uno motivo, & non de altero.

Dices 1. Si existentia Dei esset evidens, tunc inutiliter eam Deus revelasset: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. & quero, cur Deus revelavit, omnes homines mori? scilicet sunt multi etiam fideles tardioris intellectus, qui non statim penetrant evidentiam, saltem ita, ut habeant de Deo conceptum aliquem perfectiorem, & quoad plura prædicata magis explicitum, sub quo Deus vult se credi. Dei finis Dei etiam potuit esse, ut in memoriam revocaret suam existentiam, ac homines ad cultum sibi deferendum incitaret: item, ut homines elicerent actum fidei, ac alios actus supernaturales, qui præsupponunt actum fidei: plures fines vide apud Esparza l. 1. de Deo q. 2. a. 25. ad 2.

1306. Dices 2. Si esset evidens existentia Dei, deberet etiam esse evidens, ipsum esse perfectissimum: sed hoc non est evidens: ergo. Resp. dist. ma. si esset evidens tantum quoad an est. neg. ma. si esset evi-

dens etiam quoad quomodo est. conc. ma. & om. mi. neg. conseq. *Evidens, quoad an est,* dicitur illud, de quo interrogatus, an sit, vel existat, potest evidenter respondere, quod existat. *Evidens, quoad quomodo est,* dicitur illud, de quo interrogatus, quomodo se habeat, potest evidenter respondere, qualia prædicata habeat: quæ sunt inter se valde diversa: sic evidens est existentia ignis quoad an est: non verò quoad quomodo est, an e. g. sit generabilis, & corruptibilis, an gravis, an levis &c.

Jam per nostras demonstrationes evidens est, quod Deus existat: quoniam autem omnia prædicata habeat, ex iis nondum immediate potest evidenter intelligi: & quidem facile ex iis inferuntur omnipotens, omniscientia, sapientia, justitia, providentia: quæ cuique Deum, ut creatorem, vel gubernatorem universi consideranti, facile innescunt: quomodo autem inferantur plurimæ aliae perfectiones Dei, & ipsa perfectissima plenitudo omnium perfectionum, ad forum Theologicum spectat, in quod nos non intromittimus.

1307. Dices 3. Non datur providentia: ergo non datur Deus. conseq. non negatur; sùm ipsi modo dixerimus, facile ex demonstrationibus nostris inferri providentiam: igitur prob. ant. si daretur providentia, justi semper abundare bonis, & carcerat malis: econtra

tra scelerati affligerentur malis, & carerent bonis: hoc non sit: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ma. Providentia Dei, in statu elevationis hominis ad finem supernaturalem, dirigit eundem ad beatitudinem supernam, ad quam non semper aptum est medium felicitas temporalis, imò saepe est impedi meatura: quin saepe aptius medium sunt mala temporalia patienter tolerata: praterquam, quod per ista mala expientur optimè defecetus, & peccata levia, in quæ etiam justi incident: econtra bona temporalia sunt saepe merces operum naturaliter bonorum, quæ faciunt aliquando homines, etiam alias scelerati, qui hac ratione in vita sua recipient mercedem suam.

1308. Dices 4. Si daretur Deus, esset infinitum bonum: ergo excluderet omne malum: atqui non excludit; cum plurima dentur in mundo: ergo. Resp. dist. conseq. excluderet etiam ab aliis subjectis. neg. conseq. & sic dist. subsumpt. neg. 2. conseq. Contrarium unum non semper expellit alterum ex omni loco, in quo ipsum est, sed tantum ex suo subjecto, vel quasi subjecto, maximè, si illud contrarium sit agens liberum, quale est Deus, qui insuper vult, hominibus relinquere libertatem ad actus malos.

Neque Deum dedecet permittere mala; cum possit ex his crux

bona: sed neque tenetur Deus ultra lege impedire mala, sicut tamen tenentur homines lege Dei impedire mala, si possint. Nec dicatur, summum bonum ex sua natura necessitari ad impedienda mala; hæc enim necessitas gratis adstruitur: quin imò, cum hæc necessitas sit incompossibilis cum libertate creata, non potest dari in Deo; quia absurdè ei negaretur potestas creandi hominem liberum. Addo, quod, cum aliuad demonstrata sit existentia Dei, itenque sit evidens, quod mala Deus permittat, hoc ipso clarum sit, dictam necessitatem in ipso non dari.

1309. Ob. 2. contra 1. demonstrat. Judicium de Deo apud plurimos est erroneum: ergo ex eo nihil demonstratur. prob. ant. ethnici credunt Deum multiplicem: Jaudi, & Turce, non credunt trinum: alii affingunt ei prædicata, nescio quæ, absurdæ: ergo. Resp. dist. ant. judicium universale, in quo omnes conveniunt, est erroneum. neg. ant. judicium particulare aliquorum, in quo non omnes conveniunt. conc. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. ad prob. conc. ant. & iterum sub priore dist. conc. vel neg. conseq. Judicium universale omnium est tantum de existentia Dei, & honestate cultus ejus: & hoc est evidens, ac solum à nobis tanquam demonstrativum affertur: non vero judicium particulare de qualitate Dei, vel Deorum.

¶ u u 3

aut

aut eorum numero ; hoc enim in plurimis est falsum, & in eo-paucissimo nationes conveniunt ; nam, ut habent *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux* tom. 2. an. 1706. May a. 57. pag. 781. vix invenientur duæ nationes, quæ de numero Deorum convenient : & idem dici potest de qualitate Deorum.

1310. Dices 1. Etiam judicium de existentia Dei non est universale : ergo. prob. ant. Brasili non agnoverunt ullum Deum : & idem refertur de aliis quibusdam nationibus : ergo. Confir. Aliqui negarunt Deum existere : sic scribit Cicero *de Natura Deorum* l. 1. sub initium, quod Protagoras de existentia Dei dubitaverit : Diagoras vero, Melius, & Theodorus Cyrenaicus, eam omnino negaverint : quibus ultimis hisce sacerulis accentetur Macchiavellus : ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. nam in vita S. P. N. Ignatii auctore Ribadeneira l. 3. c. 20. de Brasilis dicitur : *Multis enim variis, monstrissimisque idolorum fragmentis, superstitionibusque abjectis, unius Dei, verique lumen aspexerunt :* rursus in vita P. Anchietæ, dicti Brasilorum Apostoli l. 1. mentio habetur de Brasilis idololatria: item de iisdem clamantibus, Deum fore vindicem injuriarum sibi illatarum &c. Si quidam per orbem peregrinati afferant, se invenisse nationes aliquas sine omni religione, aut si-

bi contradicunt, aut sua dicta revocant, aut ab aliis peregrinis melius instructis refelluntur. vide *Mémoires &c. à Trevoux* tom. 2. an. 1706. May a. 57. pag. 777.

Ad confirm. neg. conseq. Pauclorum improborum insanía obesse non debet constantissimæ omnium proborum, & sapientum, etiam ethnicorum sententiaz ; aliás nec prima omnium principia deberent dici universalissimè recepta, aut evidenter ; cum & ista à quibusdam fuerint negata.

1311. Dices 2. Plures opiniones, apud antiquos communissimæ, postea deprehensæ sunt falsæ, & ideo à Philosophis fuere rejectæ : ergo judicium universale hominum non demonstrat existentiam Dei. Resp. neg. conseq. nam in primis illæ opiniones nec à longè fuerunt ita universales, nec toti generi humano, sed tantum respectivè paucis communes, ut patebit consideranti: certè est magnum discrimen inter judicium de existentia Dei, & opiniones de existentia antipodum, de metu vacui, vel distinctione colorum à lumine, aut alias similes : de quibus innumeri non cogitant, contenti scire, quod dentur homines in sua patria, aut regno, quod aqua ascendat in syphonem, quodque dentur colores (in quibus non falluntur) quomodo autem ista fiant, aut in quo consistant, non sunt solliciti. videantur etiam dicta n. 487. Dein judicium de existentia Dei est fun-

fundamentum omnis honestatis vi-  
tae, adeoque ex n. 1292. fallere non  
potest : tale fundamentum neuti-  
quam sunt opiniones de metu va-  
cui, coloribus &c.

1312. Dices 3. Etiam persuasio  
falsa potest esse fundamentum ho-  
nestatis : ergo responsio data non  
sufficit. prob. ant. Iæpe erronea per-  
suasio militum de vita ducis, qui  
jam est mortuus, eos incitat ad stren-  
uè pugnandum, & pueros sæpe co-  
ercet metus fictus S. Nicolai : er-  
go. Resp. dist. ant. potest id esse  
in casibus particularibus. conc. ant.  
per se, & universim. neg. ant. &  
conseq. ad prob. conc. ant. & sub  
priore dist. conc. vel neg. conseq.

Error particularis quandóque ne-  
cessarius esse potest ob pravam di-  
spositionem eorum, qui errore co-  
hiberi, vel incitari debent ; miles  
enim non est egregius, qui mortuo  
duce non amplius pugnat, si adhuc  
est spes rem bene gerendi : nec pu-  
er bene moratus, qui metu debet à  
malo cohiberi : non autem est ex  
se malè disposita natura, ut ei ne-  
cessarius sit error universalis ; unde  
nee talem natura universim exigit,  
aut intendit. Accedit, quod error  
minus inficiat sapientes, & pro-  
bos, quam alios ; cum tamen illi  
firmius judicent dari Deum, quam  
alii.

1313. Dices 4. Tamen univer-  
salis ignorantia prædestinationis, vel  
reprobationis, est necessaria, vel  
saltē utilis viatoribus, ad bene vi-

vendum : ergo etiam potest nece-  
sarius esse error universalis de exi-  
stentia Dei. Resp. 1. neg. ant. nam  
plures Sancti sanctius ideo vixe-  
runt ; quia sciverunt, se esse præ-  
destinatos. Resp. 2. om. ant. neg.  
conseq. Ignorantia illa est potius  
carentia notitiæ indebitæ, cum qua  
potest conservari res publica huma-  
na in statu, quantum illi debetur,  
optimo, sicut conservatur cum ne-  
scientia aliarum plurium rerum : at  
error circa existentiam Dei esset  
maximum malum intellectus, &  
induceret ad malum voluntatis,  
nempe superstitionis cultum Chi-  
mæra : simul tamen deberet esse  
fundamentum omnis honestatis :  
quæ sunt inter se opposita.

1314. Dices 5. Potuit peccatum  
originale corrumpere totam natu-  
ram : ergo etiam error circa exi-  
stentiam Dei. Resp. 1. si supponi-  
tur dari peccatum originale, eo-  
ipso supponitur dari Deum, ut faci-  
lè patet consideranti. Resp. 2. neg.  
conseq. Error hic deberet nobis es-  
se à natura inditus, ut dictum est  
n. 1292. & colligitur etiam ex eo,  
quod universalissime omnibus in-  
sit, sicut assensus primorum princi-  
piorum : insuper deberet esse actualis  
error intellectus, simûlque fun-  
damentum omnis honestatis : quæ  
sunt valde absurdâ, & inter se op-  
posita, nec inveniuntur in peccato  
originali ; hoc enim est omnino  
contra naturam, nec est peccatum,  
sue error voluntatis actualis, sed  
tan-

tantum originalis : & multo minùs est fundamentum honestatis.

1315. Ob. 3. contra 2. demonstrat. Sicut gravia , & levia, mouentur ex intrinseca naturali virtute sursum , vel deorsum, ita etiam ex natura sua crescunt herbæ , animalia generant, cælum , & sydera gyrrantur &c. ergo ex hoc aspectabili universo non demonstratur Deus. Resp. neg. conseq. nam fatem est evidenter imperceptibile, quomodo opera tam stupenda, & omne humanum ingenium, ac artem superantia , potuerint suam primam originem accipere à sola natura naturata , seu entibus productis , & aucte suam combinacionem, non tantum ratione, sed & omni vita carentibus, sive ab atomis solis, & præsertim casu tantum commixtis : ergo debet admitti etiam natura naturans , sive Deus , qui infinità omnipotentia suâ omnia produxerit, & infinità sapientia omnia coordinaverit, atque deinceps etiam gubernaverit. vide dicta n. 1293. & seq.

1316. Dices 1. Atomi, infinities diversis modis combinatæ, facherent omnes combinationes possibles : ergo etiam facherent istam hujus universi. Hoc argumentum Aristoteli 1. *Metaph. summ. 2. c. 2.* visum est ebriorum ; unde Anaxagoram tanquam sobrium laudat ; eoquod mentem , seu Deum universorum causam admiserit. Resp. dist. ant. facherent omnes combinationes

possibles per casum cœnc. ant. prorsus omnes. neg. ant. & conseq. Est ex se evidens, non omnes combinations esse per casum possibles : & præsertim non esse possibles combinations constanter ordinatissimas : certè, qui aleis ludendo semper senarios projiceret, non casu, sed arte id facere diceretur: ergo, dum semper equus equum , & canis canem generat, hoc non casu, sed superiore consilio, fieri necesse est.

Dices 2. Posset dici, aliqua entia, e. g. solem, stellas, materiam primam, esse à se : ergo non demonstratur necessitas Dei. Resp. neg. ant. Ineptum est cogitare, quod entia inanimata , & homini tanquam fini suo subservientia, sint à seipsis ; cum homo sit ab alio. Dein, si haberent à seipsis existentiam, etiam deberent à seipsis habere vitam, & alias plurimas perfectiones (nam has Theologi in Deo ex aseitate inferunt) quibus tamen carent : &, dum carent, non poterunt aliis dare, adeoque pro viventibus, & rationalibus producendis, esset adhuc necessarius Deus.

1317. Dices 3. Quod detur universum, tam pulchrum , & ordinatum, habetur tantum ex testimonio sensuum : sed hoc est fallibile : ergo non infallibiliter datur universum , adeoque ex ipso non potest Deus infallibiliter demonstrari. ms. et clara ; nam oculis tantum vide-

tur symetria, & pulchritudo universi, & auribus tantum percipiatur, quid alii homines communiter de universo sentiant. mi. etiam, seu fallibilitas sensuum patet à frequenti experientia. Resp. dist. mi. testimonium sensuum est fallibile in casibus particularibus. conc. mi. universaliter, etiam circa ea, quæ universalissimè omnibus, & constantissimè omni tempore testantur, præsertim, quando insuper sensuum testimonium est fundamentum, saltem mediatum, omnis honestatis. neg. mi. & conseq. non enim potest natura tam universallem, & tam noxiām deceptionem permittere.

1318. Juxta hunc modum argendi nihil amplius erit evidens, nisi forte culque sit evidens, se existeret; neque enim erit alicui evidens, quod idem non possit simul esse, & non esse; nam, nisi ipsi sit evidens, omnes ita sentire (quod independenter ab auditu, vel visu, ei evidens esse non potest) non erit ipsi evidens, quod in suo singulari iudicio non fallatur; cum ipse utique infallibilis non sit. Nec dicas, hoc principium metaphysicum esse lumine naturæ notum; nam hoc ipsum non erit evidens, nisi accidente aliorum testimonio; cum homo particularis possit s̄epe judicare, aliquid esse lumine naturæ notum, quod re ipsa tale non est.

Et sane, quod hoc principium sit lumine naturæ notum, inde potis-

*ll. Tom.*

simūm infertur, quod omnibus hominibus iuditum sit: quod tamen constare non potest, nisi per sensus: adeoque à primo ad ultimum, sensus nos in omni casu, & consequenter neque in nostro, de symetria, ac ordine universi, possunt falli. Addo, quod si diceretur, sensus saltem supernaturaliter falli posse, jam deberet Deus admitti, qui supra vires naturæ agere posset, ut patet consideranti.

1319. Ob. 4. contra 3. demonstrat. Medius terminus hujus demonstrationis sunt creaturæ: extrellum unum est Deus: creaturæ, autem, & Deus non identificantur: ergo demonstratio non est legitima. Resp. neg. conseq. Discursus noster non est categoricus, sed hypotheticus, in quo non requiritur identitas, sed connexio, ut patet in plurimis: e. g. *Si datur filius, datur pater: sed datur filius: ergo datur pater:* bonus est discursus, quin pater, & filius identificantur. Eadem responsio datur, si objiciatur, in antecedenti ponи producta, & in consequenti improductum.

Potest tamen argumentatio nostra reduci ad syllogismos categoricos. e. g. *Omne ens productum est evidenter connexum cum ente improductō, sanguinem cum causa fibi metaphysicæ necessaria: sed datur ens productum: ergo datur ens evidenter connexum, cum ente improductō.* Dein: *Omne evidenter connexum cum ente improductō,* &

X 32

exi.

*existens, infers evidenter ens improductum tanquam terminum connexionis: sed ens productum est evidenter connexum cum ente improducto, & existens: ergo &c.*

1320. Dices. Ex necessario non sequitur contingens: ergo neque ex contingente sequitur necessarium, adeoque neque ex creatura Deus. Resp. neg. conseq. Disparitas facilè datur; nam ens necessarium, utpote indefectibile, non potest quoad suam existentiam dependere à contingente, seu defectibili; alias etiam ipsum posset deficere. At verò ens contingens, & defectibile, sive ullo suo præjudicio potest dependere ab indefectibili: imò, ut habeat absolute sufficientem causam, debet ultimato ad ens necessarium deveniri, ut satis probatum est; unde, quamvis non possit inferri necessarium ex contingente, tanquam ex aliquo priore, seu radice, aut causa, potest tamen ex eo inferri, tanquam ex aliquo posteriore, seu effectu.

1321. Ob. 4. contra 4. demonst. Plures argumentationes à sensu distributivo ad collectivum, similes argumentationi nostræ, sunt illegitimæ: ergo nostra non est evidenter bona. ant. prob. adductis exemplis, ad quæ tamen brevitatis causa extra formam respondemus, & eoipso, vel explicitè, vel implicitè, assignamus disparitatem, inter eas, & nostram argumentationem.

Primo igitur tanquam argumen-

tatio mala objicitur ista: *Singula partes non sunt composita: ergo neque totum est compositum: sed in hac argumentatione negatur in consequenti de toto prædicatum, quod quidem non fuit adæquatè identificatum cum singulis partibus, & hinc non potuit de iis seorsim sumptis prædicari: attamen fuit i- dentificatum inadæquatè, sicut animæ rationali est inadæquatè iden- tificatum prædicatum homo; nam compositum est idem, ac ex pluri- bus partibus constitutum: quod prædicatum reperitur inadæquatè in singulis partibus, quatenus quælibet est constitutivum, adeoque inadæquatè compositum.*

1322. Secundò. *Singula partes sphæra cœlestis, dum gyranter, non retinente priorem locum: ergo neque tota sphæra cœlestis retinet pri- orem locum: dubia, vel captiosa ar- gumentatio est; nam, si sermo est de loco intrinseco, seu ubicationi- bus, consequens est verum; quia tota sphæra acquirit novam collec- tionem ubicationum: si autem sermo est de loco extrinseco, seu spatio concavo, intra quod cælum gyratur, tunc in consequente ite- rum negatur prædicatum de toto, quod inadæquatè est identificatum cum singulis partibus, adeoque ar- gumentatio est mala, sicut præce- dens; licet enim quælibet pars cæli, dum volvitur, occupare incipi- at aliam partem illius spatii sphæri- ci, tamen nunquam extra istud egre- di-*

ditur, sed semper acquirit iterum locum inadæquatè identificatum priori loco adæquato totius sphæræ; unde partes sphæræ omnes simul sumptæ non habent alium locum adæquatum, quām priùs: adēque male infertur, quod tota sphæra non retineat eundem locum adæquatum extrinsecum.

1323. Tertiò. *Singuli milites non possunt defendere arcem: ergo neque id potest totus exercitus:* est argumentatio mala, ut prima; quia quilibet miles saltem inadæquatè potest defendere arcem. Quartò. *Singuli oculi non sunt determinatè necessarii ad videndum: ergo neque tota collectio:* argumentatio non est à sensu distributivo, sed à disjuncto, seu confuso; nam antecedens, ut notum ex Logica n. 38. supponit non distributivè, sed confusè: cùm autem in suppositione confusa fiat descensus per particulam *vel*, & antecedens debeat expōni: *Vel dexter, vel sinistru oculus, non est necessarius:* utique non potest inferri: *ergo nullus est necessarius:* non ità tantùm disjunctè, sed determinatè, & distributivè, singula contingentia non sunt improducta. Quintò. *Singula individua infiniti categoriarum non implicantur:* ergo neque tota collectio implicat: iterum est argumentatio à sensu disjuncto, seu confuso, ut mox n. 1325. pluribus explicabitur.

1324. Si fors velles dicere, etiam quodlibet ex collectione producto-

rum esse inadæquatè improductum, deberes admittere, vel quod aliqua pars cuiuslibet rei esset ens à se, adeoque Deus, vel quod eadem res indivisibilis simul sit à se, & simul ab alio, quæ sunt ex se absurdissima. Si dices, quod esse inadæquatè improductum, aliud non sit, quām esse partem collectionis improductæ, deberes admittere, quod eodem modo collectio lignorum possit dici lapidea, ac quilibet truncus inadæquatè lapideus: & pariter, quod collectio mortuorum possit dici vivens &c. quæ sunt ridicula.

1325. Sextò. *Singuli homines sunt generabiles ab alio homine:* ergo etiam tota collectio hominum est generabilis ab alio homine: argumentatio in primis non est negativa (id quod etiam in sequentibus notandum) cùm tamen nos n. 1299. tantùm ut evidentem defendamus argumentationem, à sensu distributivo ad collectivum, negativam. Dein etiam hæc argumentatio ideo est mala; quia antecedens non supponit ità distributivè, ut requiritur; quia prædicatum *generabilitas* tantùm affirmari potest de singulis determinatè sumptis, non autem de singulis indeterminate sumptis; quia aliquis homo, indeterminate sumptus, non est generabilis ab alio homine.

Hinc, ut habet Cafilius l. 1. *Introduct. in Logic.* tr. 2. c. 3. sec. 3. prædicata talia non possunt affir-

mari de singulis, nisi cum limitatione, & sub conditione: e. g. possum carere singulis cibis: sed, si alius adsit; non enim possum care omniis: & sic etiam singuli homines sunt generabiles: sed, si aliquis alias non generetur: haec autem conditio facit propositionem æquivalenter confusam; cum faciat hunc sensum: *Vel iste. vel ille est generabilis*: adeoque argumentatio ista est mala; quia est à sensu disjuncto ad collectivum, qualis nullo modo est nostra contra Atheum.

1326. Septimò. *Singula causa relinquens effectum post se: ergo etiam tota collectio*: argumentatio est formaliter bona: sed falsum est antecedens, nisi admittatur effectus nil ulterius causans, sive non contentus intra collectionem causarum; nam ultima pars istius collectionis non potest producere aliquam causam ante se; cum non possit producere aliquid prius se: neque post se; alias non esset ultima pars; nisi, ut jam dictum, admittatur effectus, qui nil amplius causet. Octavò. *Singuli homines sunt producti ab alio homine: ergo etiam tota collectio*: iterum argumentatio est formaliter bona, sed materialiter mala, ob falsitatem antecedentis.

1327. Nondò. *Singulae partes compositi sunt unita alteri: ergo etiam totum compostum est unitum alteri*: illatio est mala; nam infertur in

consequente prædicatum, quo d in antecedente, nec adæquate, nec inadæquate fuit positum, scilicet unitum alteri toti, vel certè parti novæ extra priores: de quo in antecedenti nulla facta est mentio. Adeo, quod esse unitum alteri tanquam comparti dicat esse partem, & non totum; unde argumentatio est similis huic: *Singulae partes sunt pars: ergo etiam totum est pars*: quæ argumentatio clarè nulla est; quia prædicatum partis, seu insufficientiæ ad constituendum totum, tollitur per adjectionem aliarum partium: adeoque malè adhuc in consequenti affirmatur: vel quod in idem recidit, prædicatum sufficientiæ, quod cum singulis partibus est inadæquate identificatum, malè negatur.

1328. Decimò. *Singulae partes relationis sunt indifferentes: ergo etiam tota collectio est indifferens*: est illatio mala; nam indifferens hic idem significat, ac insufficientis: & quidem quælibet pars relationis est se sola insufficientis ad constituendam totam relationem: atamen habet sufficientiam inadæquatam, cui si accedit altera sufficientia inadæquata, simul faciunt adæquatam; hinc argumentatio est æquivalenter negativa, & negatur in consequentia aliquod prædicatum de toto, quod fuit inadæquate identificatum cum singulis partibus. Simili aliquo defectu laborabunt aliæ argumentationes, quæ objiciā pos-

possunt, tanquam similes argumentationi nostræ, ut expendenti eas patet; neque enim in afferendis semper pluribus infiniti esse debemus.

1329. Ob. 5. Nostra demonstratio evertit processum in infinitum: ergo non est demonstratio Dei, permisso processu in infinitum. Resp. 1. neg. conseq. Inter modos argumentandi legitimos est quoque *Reductio ad impossibile*, etiam S. Augustino familiaris, & præsertim Euclidi, in cuius elementis (quæ sunt demonstrationes optimæ) spississimè aliquid ponitur, seu permittitur, postea vero ostendo aliquo absurdum, quod inde sequeretur, iterum negatur. Resp. 2. neg. ant. Nostra demonstratio non probat, non posse dari infinitum: sed abstrahendo, an creature sint finitæ, vel infinitæ, ostendit, in utroque casu, vel admittendam esse mutuam productionem quoad primum esse, vel dari debere aliquam causam, etiam ab infinitis productis distinctam.

1330. Quamvis autem demonstretur causa prima extra collectionem, non eo ipso etiam demonstratur prima intra collectionem; nam, si infinitum non implicat, poterit Deus infinita entia similia simul producere, ex quibus nullum erit primum ulla prioritate. Addo tamen, nos non transmittere processum in infinitum, qui sit absolutus, seu independens ab omni causa prima, etiam extra collectionem; nam hic primum disputamus, an omissio pro-

cessu in infinitum, tamen admitti debeat aliqua causa prima, an non: quare omittimus tantum processum aliquem in infinitum, ut ita dicam, præcisivè talem. Neque plus probatur admitti debere ex auctoritate S. Thomæ, de qua supra n. 1297. Si Aristoteles plus afferuit, non est in hac questione multum curandus; cum ut pote gentilis, circa creationem, & originem mundi, multum errare potuerit.

1331. Dices. Qui defendunt posibile infinitum durationum successivarum, etiam admittunt, non præsupponi aliquam durationem ad hoc infinitum: ergo etiam, qui permittunt infinitum causarum succendentium, debent quoque permettere, non præsupponi aliquam causam ad hoc infinitum. Resp. neg. conseq. Aliud est, positivè aliquid defendere: aliud tantum permittere: illud est, se obligare ad defendendas omnes sequelas, ex ea assertione legitimè deductas: hoc autem tantum est aliquid transmittere, sinè ulla obligatione, etiam tantum permittendi, & multò minus defendendi, omnes tales sequelas: nos autem, ut n. 127. expressè dimicimus, *omissa, non concessa, possibilitate infiniti*, Deum demonstramus.

1332. Addo tamen, disparitatem aliquam dari posse, inter præsupponere aliquam durationem, & præsupponere aliquam causam; nam, cum effectus non necessario præsup-

supponat causam pro priori tempore, sed tantum pro priori signo naturæ, non necessariò præsupponit aliquam durationem; unde, nisi aliundē implicit, poterit dari infinitum durationum successivarum, et si nullam pro priori præsupponat durationem, modò præsupponat

aliquam causam pro priori naturæ: at verò non potest dari infinitum causarum creatarum, nisi præsupponat aliquam causam, non quidem pro priori tempore, at tamen pro priori naturæ, ut ex nostris probationibus sat clare patere videtur.

## ARTICULUS III.

*An, Et Quomodo Deus influat in omnes Effectus Creatos.*

1333. **D**ico 1. Deus influit immediate in omnes actiones, & effectus creatos, ita contra paucos aliquos antiquos, quos secutus est Durandus, communissima Theologorum, & Philosophorum, adeò, ut aliqui oppositum, quod *Durandismus* à quibusdam vocatur, satis acriter censurent, ut videre est apud Comptonum *disp. 28. Physic. sec. 1. n. 4.* & Suarezium *disp. 22. Metaph. sec. 1. n. 7.* ubi ait, nostram sententiam esse ita certam, ut eam negare sit erroneum in fide, idque probari ex communione consensu Scholasticorum, qui de hac veritate sentiant, tanquam de dogmate Catholico. Prob. 1. Sacra Scriptura tribuit Deo immediatum influxum in omnes creature: ergo non potest hic influxus negari. prob. ant. *Ioan. 1. v. 3.* dicitur: *Omnia per ipsum Verbum divinum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* rursus *Ioan. 5. v. 17.* *Pater meus usque modo operatur, & ego operor:* ergo.

1334. Nec dicas, hos textus exponi posse de mediato tantum influxu, sive, quod Deus quidem initio mundi produxerit creature, sed postea istæ se solis produixerint, & adhuc producant alias, adeoque Deus mediato per ipsas operetur; contra enim est 1. Hæc operatio effet satis impropriè dicta: sicut, si quis diceret: *Adam operatur omnia opera hominum usque modo:* valde impropriè loqueretur. 2. Scriptura debet exponi juxta communinem interpretationem SS. Patrum, ut præcipit Tridentinum *sess. 4. decret. de edit. & usu SS. libr.* atque SS. Patres istos textus interpretantur de influxu immediato.

Sic enim habet S. Augustinus *l. 5. de Genes. ad lis. c. 20.* *Sunt enim, qui arbitrantur, tantummodo mundum ipsum factum à Deo:* catena jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, & jussit: *Deum autem nihil operari: contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus usque nunc operatur.* Similia habet

*An, & Quomodo Deus influat in omnes Effectus Creatos.* 535  
habet S. Hieronymus ad Cresphontem c. 3.

1335. Prob. conclus. 2. SS. Patres communiter tradunt, Deum omnia operari, seu in emnia, etiam naturalia, de novo producta influere: ergo. ant. prob. in primis hoc dicit S. Augustinus loc. modò cit. & rursus ep. 146. ubi sic scribit: *Quomodo enim negare poserimus, Deum etiam nunc operari cuncta, quae creantur; cum Dominus dicat: Pater meus usque nunc operatur. S. Hieronymus ad Cresphontem c. 3.* Pelagianum, contra quem agit, graviter reprehendit, ob negatam necessitatem concursus divini, sic scribens: *Audite, quæso, audere sacrilegum: si, inquit, volvendo curvare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare ... semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingrate. imò sacrilege Sc.*

S. Chrysostomus Homil. 5. in Gen. circa medium sic ait: *Quocirca divina Scriptura vestigia sequamur, neque feramus eos, qui adversa illis temerè blaserant; nam etiam si homines terram operentur ... & omnia alia concurrant, ... nihil proficeret omnis labor, & desudatio, nisi manus Domini superne adjuvaret.* Plura ex Patribus vide apud Suarez disp. 22. Metaph. sec. 1. n. 7. ubi in fine addit: *Reliqui Patres, ubiunque tractant de divina providentia, hanc veritatem ut certissimam supponunt.* Addo, SS. Patres non posse explicari tantum

de influxu mediato Dei, quatenus hic produceret, aut conservaret causas secundas; nam SS. Hieronymus, & Augustinus, pugnabant contra Pelagianos, qui non negabant influxum Dei mediatum, seu productionem, aut conservationem liberi arbitrii, vel aliarum causarum secundarum: neque etiam S. Chrysostomus potest tantum intelligi de conservatione istarum, ut facile patet consideranti.

1336. Prob. concl. 3. ratione. Esse ens summè necessarium, à quo alia omnia immediatè dependeant, est perfectio pura, & simpliciter simplex: ergo est Deo attribuenda: ergo omnia dependent ab immediato Dei influxu. utrāque consequentia est legitima: ant. prob. non potest in eo conceptu ostendi ultra imperfectio: dein hæc perfectio, seu necessitas Dei, est melior omnia alia perfectione, quæ non sit cum hac necessitate Dei identificabilis: adeoque est melior ipsa, quam non ipsa (quæ est definitio perfectionis simpliciter simplicis) ergo est perfectio simpliciter simplex.

Nec dicas, sic etiam fore perfectionem simpliciter simplicem esse ens necessarium, à quo omnia adæquatè dependeant, consequenter Deo tribuendum esse adæquatum influxum in omnia: ex quo sequitur, creaturem nihil agere; nam respondeo: hæc necessitas, non est perfectio simpliciter simplex; cum non sit melior quam non ipsa, sive non

non sit melior, quām perfectio cum ipsa non identificabilis, qualis est infinita potentia, & liberalitas, qua Deus possit conferre creaturis beneficium maximum, scilicet posse agere, & mereri: quod beneficium Deus non posset conferre, si ab ipso omnia necessariō adaequatē dependent: defacto autem conferre potest, immo actu contulit, ut probatum est suprà à n. 106 adeoque hanc potentiam habet, & consequenter non habet necessitatem ei oppositionis. Si replices, etiam necessitatem, vi cuius creaturæ omnes adaequatē dependeant à Deo, opponi ejus liberalitati, vel potentia, qua posset creaturis conferre vim aliquid se solis producendi: respondeatur, hanc liberalitatem, vel potentiam, Deo non convenire, ut docent communiter Patres, atque Theologici.

1337. Confir. Deus saltem debet posse influere in quodlibet ens creatum, de novo productum; hoc enim videtur prorsus innegabile: atqui juxta adversarios hoc non posset: ergo. prob. mi. si Deus non necessariō influuit in omnia, tunc dantur aliquæ actiones modales, in quas neque potest influere: ergo. prob. ant. actiones modales, quæ adaequatē procederent à causis creatis, non possent etiam à Deo procedere; cùm essentialiter sint affixæ suis causis, nec possint esse affixæ aliis: ergo. Verum quidem est, quod tales actiones modales non

possint adaequatē procedere à Deo: sed hoc ipsum probatur ex eo, quod Deus creaturis dederit potestatem aliquid producendi; nam ex hoc clarè infertur, quod aliquæ actiones essentialiter etiam dependeant à creaturis: at adversarii non possunt simili aliqua ratione probare, quod nec inadæquatē possint procedere à Deo.

1338. Dico 2. Deus cum causa creatæ influuit per eandem actionem. ita communis, saltem nostrorum, cum S. Thoma 1. p. q. 105. a. 5. ad 2. ubi ait: *Nihil prohibet, quin una, & eadem actio, procedat à primo, & secundo agente:* & Suarez disp. 22. Metaph. sec. 3. n. 2. Prob. Ipsa actio creaturæ est aliquod ens creatum: ergo etiam ipsa debet dependere à Deo, & ab hoc inadæquatē produci: ergo Deus etiam per hanc ipsam, adeoque per eandem actionem cum creatura influuit in effectum; nam hoc nihil est aliud, quām respici essentialiter ab actione productiva effectū, tanquam principium efficiens. Confir. Si Deus influuit per aliam actionem, tunc influuit per duplicem, nempe per ipsam actionem creaturæ, ut modò probatum est, & per alteram superadditam: atqui Deus non influuit, saltem naturaliter, in effectum per duplicem actionem: ergo.

1339. Ob. 1. contra 1. concl. Dicitur Gen. 2. v. 2. Deus requievit die septimo ab universo opere, quod parvrat: ergo Deus nihil amplius opera-

operatur, aut producit. Resp. neg. conseq. sic enim Deus neque amplius crearet animas rationales, nec ulla opera supernaturalia faceret: quod est contra fidem. S. Augustinus verbis suis n. 1335. citatis hæc subjungit. *Unde illa cessatio septimi diei, ab ipsis naturis condendis, intelligenda est facta, non ab eorum administratione, qua condita referuntur: cum ergo natura rerum à creatore administretur, & per ordinem præfinitis locis, & temporibus suis, sunt a nascantur, Deus usque hunc operatur: ubi per administrationem S. Doctor intelligit concursum divinum creaturas adjuvantem, ut patet legenti contextum.*

Quare rectè Suarez de *Opero* 6. dierum 4. 2. c. 11. v. 5. observat, dici, Deum requieuisse ab universo opere, quod i. a. r. a. r. hoc est, quod facere proposuerat, & ad finem perduxerat: vel, ut ibidem v. 3. dicitur, ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret: hoc est, quod creando ita perfecerat, ut universum consummaret: scilicet, ut ait Eximus, & cum ipso communiter alii, requievit Deus, seu nullam amplius produxit novam speciem entium, quæ pertineret ad complementum, seu perfectionem universi, qua illud tunc Deus in divina mente conceperat producendum.

1340. Ob. 2. Dedeceat Deum concurrere ad vilissimas quasque actiones: ergo non concurrit ad omnes.

*M. Tomo.*

prob. ant. dedecet regem obire officia mediastinorum, & cum his occupari in purgandis stabulis &c. ergo magis dedecet Deum obire cum creaturis vilissimas quasque actiones. Resp. neg. ant. ad prob. om. ant. (nam possent concurrere aliquæ circumstantiæ, e. g. captivitatis, extremæ necessitatis &c. in quibus similia regem non dedecent) neg. conseq. Rex est limitata virtus, & per vilia impeditur à nobilioribus, vel, si etiam non impediatur, certè sordidatur per eas actiones, quod regem dedecet: non ita Deus, qui utpote omnipotens omnia maxima, & minima simul, absque ulla difficultate perficit, & minus à vilibus sordidatur, quam sol à lacunis, quas purissima luce pertransit.

1341. Ob. 3. Si Deus debet semper cooperari creaturis, tunc opera ejus sunt imperfecta: hoc est falsum: ergo. prob. ma. si artifex debet semper assistere suo opere, e. g. horologio, & id partialiter moveare, horologium esset valde imperfectum opus: ergo juxta nos essent valde imperfecta opera Dei. Resp. dist. ma. opera Dei esseq; imperfecta negative. conc. ma. imperfecta positivè. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. neg. conseq.

Horologium tale non serviret ad finem artificis; nam hic intendit, ut horæ indicentur etiam se absente; cum non possit semper adesse; eoquod cum maximo suo damno

X y

impe-

impediretur ab aliis magis necessariis: at finis creaturarum non est, ut agant absente Deo, aut non cooperante; cum enim Deus ratione sua impenitatis semper debeat adesse, & ratione omnipotentiae possit, absque omni etiam minima difficultate, omnibus cooperari, nec per illum opus impediatur ab alio, non debuit intendere, ut creature operentur sicut suo concursu: adeoque, et si istae indigeant semper concursu Dei, tamen serviant ad finem Dei, & non sunt positivè imperfæ.

1342. Dices 1. Ipsa dependenciae creaturarum à Deo esset aliqua ipsarum imperfectio positiva, redundans in Deum: ergo. Resp. neg. ant. Et enim imperfectio purè negativa, quæ non redundat in Deum; alias etiam tanquam imperfectio redundaret in Deum, quod mundum non considerit semper magis, & magis perfectum. Dices 2. Si Deus concurreret cum creaturis, tunc & creature, & Deus imperfectè agerent: ergo redundaret in Deum aliqua imperfectio. Resp. neg. ant. Tam Deus, quam creaturæ, agunt perfectè in suo ordine: Deus quidem agit tanquam causa prima universi, & increata: at creature agunt tanquam cause secundæ, particulares, & creatæ: neque etiam partialiter agere est agere imperfectè, maxime, si qua causa admittat aliam ad cooperandum ex pura liberalitate.

1343. Ob. 4. Causa creata pre-continet, saltem sepiissimè, omnem perfectionem sui effectus: ergo potest, istum se sola producere. Confirm. Deus facit omnia mediare: ergo non facit immediate. Resp. neg. conseq. Ad producendum non sufficit precontinentia, sive formalis, sive eminentialis; alias Angelus posset producere alios Angelos, vel substantias materiales: sed requiritur insuper fecunditas, quæ adquæ non datur in creaturis, ut probatum est nostris rationibus.

Ad confirm. Resp. 1. neg. ant. nam plures effectus, e. g. animas rationales, Deus non facit mediare, sed tantum immediate. Resp. 2. om. ant. neg. conseq. nam plurima facit Deus mediare, quatenus producit, vel conservat eorum causas: & immediatè, quatenus etiam in ipsa immediate influit: quæ nullo modo sunt incompossibilia: sicut non est incompossibile, ut intellectus producat aliquas species intentionales, & cum ipsis producas etiam cognitiones.

1344. Ob. 5. Deo non competit necessarium actuale dominium in creaturas: ergo neque competit necessarium actualis influxus. prob. ant. Deus antecedenter ad mundum conditum fuit sicut omni creatura, adeoque sicut actuali dominio in eas: ergo. Resp. dist. ant. Deo non competit actuale dominium in creaturas necessitate absoluta. conc. ant. necessitate coconditionata. neg. ant.

ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. ad prob. conc. totum, quia tantum probat, non dari necessitatem absolutam actualis dominii.

Deus non necessitatur absolutè ad creandum, consequenter neque ad absolutè habendas sub sue dominio creaturas: at posita conditione, seu ex suppositione, quod aliquas creaturas producat, necessariò est earum dominus. Eodem modo non necessitatur absolutè ad influendum cum creaturis; potest enim facere, ut nulla creatura detur, vel agat: at posita conditione, seu ex suppositione, quod aliqua creatura agat, etiam Deus necessariò simul influit.

1345. Ob. 6. contra 2. conclus. Juxta nos Deus, & creatura rationalis, influereat in eundem actum liberum creatum: sed hoc est impossibile: ergo. prob. mi. non possunt duo principia libera in eundem actum influere, ut communi- ter docent nostri, dum agunt de unitate Dei, quam probant ex eo, quod non possint dari duo liberissimi rectores universi: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. dist. ant. ita, ut utramque exerceat libertatem. conc. ant. ita, ut unam tantum exerceat libertatem. neg. ant. & conseq. Duo dii deberant ambo actu esse liberissimi, & liberrimè possogubernare, ita, ut non posset unus impediens ab altero; alias enim hic non esset perfectissimus: hoc ze-

tem implicat, ut patet consideranti. At, ut creatura liberè agat, tantum requiritur, ut Deus se ejus libertati accommodet, & eam non impedit (quod pro libitu posset) adeoque Deus non liberè agat, sed sponte relinquat electionem creaturæ, & ab hac permittat se determinari, ut pluribus Theologi docent.

1346. Dices 1. Hoc ipsum non potest capi, quare ex duabus causis, in eandem actionem liberam immediate influentibus, una eligat, & determinet præ altera. Resp. neg. illat. patet enim, hoc admittendum esse in habitu, influente una cum anima in aliquem actum liberum; nam tunc anima eligit, ac determinat, non habitus. Dices 2. Habitum non est principium liberum, sicut Deus: ergo est disparitas. Resp. neg. conseq. quia etiam Deus in ordine ad talēm actum non est principium liberum; coquod voluntati creatæ relinquat electionem: verbo: principium liberum respectu alicujus actus est illud, quod infuit cum jure eligendi, & exercendo hoc ius: sic autem influit in actus liberos creaturæ ipsa creatura, non autem Deus.

Dices 3. Causa fortior influens in actum liberum prævalet debiliori: ergo Deus prævaleret creaturæ, adeoque non daretur libertas in creaturis. Resp. dist. ant. nisi causa fortior sponte se accommodet debiliori, & sinat se ab hac determinari.

mari, conc. art. si se accommodet &c., neg. ant. & conseq. sicut autem Deus, ut sim diximus, à creatura se determinari.

1347. Ob. 7. Si Deus influat per eandem actionem cum creatura, tunc, quando actio creature est mala, etiam actio Dei esset mala: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. mi. Actio, quæ physicè profluit à Deo, est mala, non tamen propterea denominat Deum male agentem, sicut nec instrumenta physica, quibus peccator abutitur; nam illud tantum denominatur male agens, seu peccans, à quo actio procedit moraliter, sive imputabiliter: at actio mala non est Deo imputabilis; quia illi non est imputabilis aliqua actio, qui nec ad eam liberè determinat, nec tenetur eam impedire: aquil ita se habet Deus ad actionem peccaminosam, quam non tenetur impedire, immo àe autor naturæ, & istius providentia, potius debet aliquando nos impedire; nullo autem modo ad eam determinat: ergo.

1348. Dices 1. Deus juxta nos esset causa peccati: sed hoc est falsissimum: ergo. Resp. neg. ma. vel dist. esset causa per accidens. conc. ma. esset causa per se in estimatione morali, neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Per causam peccati simpliciter dictam intelligitur, non tantum causa physica, quæ etiam essentialiter respicitur ab actione (alias etiam instrumentata physica of-

fent simpliciter dicta causa peccati, sed intelligitur causa per se quoad moralem imputationem, sive causa, cui in estimatione morali peccatum est imputabile: qualis causa Deus nullatenus est.

Neque Tridentinum *sess. 6. can. 6.* damnat eos, qui tantum dicunt, Deum esse quoniamocunque causam physicam peccati, seu physicè operari peccatum: sed damnat di- eentes, Deum esse causam moralem peccati, & operari mala ut bona, præditionem Judæ ut vocatio- nem Publik; in quo exemplo se Con- cilium explicat.

Nec dicas, Deum, si influat, in- fluere cum perfectissima cognicio- ne, adeoque aliquo modo morali- ter; nam non sufficit agere cum co- gnitione, sed requiritur agere ut lib- erè determinantem, seu saltu non non impudentem, cum teneretur impedire; alias enim peccatum non est imputabile, ut patet consideran- ti. Aliud est, quod Deus ut agens morale, seu imputabiliter, permis- tat peccatum: sed permissio est ho- nesta, neque post se necessariò tra- hit peccatum.

1349. Dices 2. Etsi Deus non li- berè influat in actiones supernatu- raliter bonas, tamen est causa, & au- thor eorum: ergo etiam erit causa peccatorum; si in hæc influat. Resp. neg. conseq. nam disparitas est lata. Actiones illas supernaturales Deus studet, aut præcipit, dat auxilia ad eas eliciendas, allicit præmis, atque

que etiam minis: adeoque est causa moralis earum, sicut quilibet mandans, aut consulens &c. contra peccata Deus dissuadet, prohibet, ab iis conatur abstrahere minis, & promissis: adeoque neutiquam est causa moralis peccatorum.

Dices 3. Deus vult omnem suam actionem: ergo juxta nos etiam vult peccatum: hoc est falsum: ergo.. Resp. dist. ant. Deus vult omnem suam actionem, cujas est causa per se. conc. ant. cujas est tantum causa per accidens. neg. ant. & conseq. pariter subsumpt. & 2. conseq. sub ead. dist. conc. vel neg. Peccatum Deus non vult, sed tantum permittit, id est, non impedit: & permissione Dei non est volitio rei permissionis; sed tantum nolitio impedimenti: sic etiam homo quandoque permittit, aliquem a se descendere, quin id velit, vel ei gratum sit.

1350. Ob. 8. Deus non potest velle peccatum: ergo neque potest illud producere. prob. conseq. omnipotentia Dei non est minus sancta, quam voluntas: ergo, si voluntas peccatum non potest velle, neque omnipotentia poterit illud producere. Resp. retorq. arg. Intellectus Dei non est minus sanctus, quam voluntas: ergo, si haec non potest peccatum velle, neque poterit intellectus illud cognoscere: quod est aperte falsum; unde disparitas, quam omnes dare debent, est ista,

quod peccatum non sit malum morale, nisi respectu voluntatis, illud liberè diligentis; huic enim soli imputari potest ad culpam.

1351. Ob. 9. Posset dici, quod respectu ejusdem effectus sit possibilis naturaliter duplex actio, una totalis identificata effectui, qua dependeat à Deo: altera partialis, distincta ab effectu absoluto, qua dependeat à creatura: ergo non debet admitti, quod Deus influat per eandem actionem cum creatura. Resp. 1. hoc dici non posse de effectibus, qui essentialiter dependent à causa creata, & non producuntur per actionem distinctam, ut patet consideranti. Resp. 2. neg. ant. nam, ut probatum fuit n. 1338. sic tamen Deus etiam influeret per eandem actionem cum creatura: immo influeret per duplum actionem, ut ibidem ostensum: quod naturaliter contingere non potest.

Dein hac ratione Deus minus faceret, quando produceret effectum se solo creative, quam, quando eum produceret cum creatura generative, & creatio non esset fortior influxus, quam generatio; nam, quando Deus effectum produceret se solo per creationem, aliud nihil ponaret in rerum natura, quam ipsius effectum, qui essentialiter à solo Deo adæquate dependet: & creatio realiter aliud non esset, quam actio identificata cum effectu, vi cuius iste adæquate dependet à solo Deo.

1352. Quando autem Deus effectum cum causa creata poneret generativè, tunc præter effectum, & actionem totalem huic identificatam, poneret insuper cum creatura actionem modalēm, & generatio istam involveret, ultra actionem effectui identificatam: adeoque in casu generationis Deus manifeste plus ponet, seu ageret, & generatio esset aliquid amplius, quam creatio, scilicet insuper aliqua actio modalis, adeoque major, seu fortior influxus. Jam vero videtur ex terminisclarum, quod, qui aliquid se solo totaliter ponit, vel agit, plus faciat, quam, qui illud tantum partialiter, & cum alio ponit: quod autem creatio, & non generatio, sit fortior influxus, jam n. 26, abunde probatum fuit. vide etiam dicta superius à n. 934.

1353. Sed petes, quid Deus plus faciat, producendo totaliter, quam producendo partialiter effectum, si

hic indivisibilis sit. Resp. Vel effectus talis est identificatus cum actione productiva sui, vel non: si primum. neg. suppositum; talis enim effectus, seu actio, vel respicit essentialiter Deum solum: & hic non potest ipsum tantum partialiter producere: vel respicit etiam aliquam causam creatam: & Deus non potest ipsum totaliter producere. Si autem ponatur secundum, tunc Deus, producendo effectum totaliter, ponit actionem, seu influxum fortiorum: quæ major fortitudo, vel vis, potest desumni, vel ab effectu nobiliori, exigente majorem virtutem in causa producente: vel à modo producendi, e. g. potius creativo, quam generativo: vel aliquando à paritate: e. g. si aliquis influxus majorem conatum in causa creata exigeret, vel istam magis fatigaret, etiam esset fortior, si ponatur à Deo, quamvis incapable faciationis.

## ARTICULUS IV.

### *An Deus determinet ad Individuum.*

1354. **A**lia dicitur Determinatio ad speciem, vi cuius causa proicit potius effectum hujus, quam alterius speciei: & haec determinatio, vel fundatur in appetitu innato causæ necessariæ complexæ, exigente potius effectum hujus, quam alterius speciei: sic e. g. ignis expeditus ad agendum, exigit

naturaliter, in lignis sibi injectis potius producere ignem, quam aquam: vel fundatur in appetitu elicito causæ liberæ, sive in libera istius determinatione, ad eliciendum potius, e. g. amorem, quam odium objecti.

**A**lia dicitur Determinatio ad individuum, vi cuius causa ex possibili-

bilibus plurimis individuis ejusdem speciei, potius producit individuum unum, quam alterum: & hæc determinatio non potest fundari in appetitu innato cause producentis; quia hic non exigit potius hoc, quam aliud individuum; cum ad ipsius finem omnia æquilater serviant: neque etiam potest universaliter fundari in appetitu elicito cause creatæ; quia per hunc non determinatur, seu non eligitur, unum individuum præ altero, quando unum ab altero non discernitur: at non discernitur universaliter unum individuum producibile ab altero; quia possibilia, saltem universaliter, non clare cognoscuntur.

1355. Dixi universaliter; nam i. debent excipi effectus, immediatè libertà Deo producendi; cum enim Deus clarissime distinguat inter se individua possibilia cuiuslibet speciei, facile potest ejus voluntas unum præ aliis pro libitu eligere, & sic ad istud determinare. Unde determinatio ad individuum, in effectibus soli Deo liberis, vel ab ipso solo producibilibus, utique potest, immò debet fieri per decretum Dei: sicut etiam determinatio ad speciem in iisdem effectibus fit per decretum Dei: nec est paritas quoad determinationem ad individuum ab his effectibus ad alios effectus causalium secundarum: sicut non est paritas quoad determinationem ad speciem ab illis effectibus ad alios. Adde, quod Deus sit ens &

se, nec terminet actionem productivam sui, adeoque modus explicandi determinationem ad individuum, de quo infra n. 1361. non conveniat effectibus, à solo Dœ producibilibus, vel productis.

Debent 2. excipi res, vel effectus, seu actiones illæ, quas creatura in individuo cognoscit, sive sint actu existentes, sive possibles; ad has enim in individuo potest creatura libera, habens actum primum liberum, determinare: sic utique possum ex pluribus aureis similibus, ante me positis, accipere unum præ altero: sic, ut ait Comptonus *disp. 31. Phys. sec. 1. n. 6.* Angeli, & animæ separatae, vident, seu discernunt actus suos possibles, tam intellectus, quam voluntatis; & hinc possunt pro libitu, hunc, vel illum, in individuo eligere: quod tamen, si extendatur ad omnes species, vel individua actuum, meritò vocatur in dubium. Interim tamen hoc omittitur, & quæstio reducitur ad illa individua, quæ producuntur à causis secundis necessariis, vel à liberis quidem, attamen individua possibilia nondum clare videntibus, vel inter se discernentibus: e. g. quæritur, quid determinet Petrum, dum aspicit Paulum, ad producendam potius visionem A, quam visionem B, aut aliam ex infinitis possibilibus: vel quid determinet ignem A ad producendum potius ignem B, quam ignem C illic simillimum.

JAM

1356. Jam prima sententia afferit, determinationem ad individuum fieri per decretum Dei, quo decernat concursum suum præbere, vel permittere causis secundis, ad hos in individuo effectus, non verò ad alios : estque hæc assertio, tum ab auctoritate, tum etiam à ratione intrinseca, valde probabilis, qualis vocatur à Suarezio *disp. 5. Metaph. sec. 9. n. 7.* quamvis hic auctor priùs, nempe *sec. 3. n. 31.* dixerit, eam non videri philosophiam, id est, Philosopho satè dignam.

1357. Secunda sententia, quam etiam multi auctores tenent, negat, determinationem ad individuum fieri per decretum Dei. Et quidam istorum auctorum recurrent ad sic dictam seriem effectuum, afferentes, dari inter ipsos effectus naturalem aliquem ordinem prioris, & posterioris, ita, ut unus effectus exigat priùs, alter posterius produci. Thomistæ assignant materiam signatam, seu certis accidentibus, aut circumstantiis affectam, ajuntque, hanc exigere, ut potius hoc, quam aliud individuum, hic, & nunc, in hoc subjecto producatur : ad quos propè accedit Maurus *l. 3. Quaest. philosoph. q. 23. pag. 209. edit. 1. Rom. an. 1658.* item Vasquez *som. 1. in 3. p. disp. 74. c. 8.* ubi, postquam fuse rejicit sententiam eorum, qui determinationem ad individuum in decreto Dei constituant, (quæ ab ipso appellatur *n. 46. nova philosophandi ratio*) tandem

*n. 49.* concludit : *Multo igitur melius, & rationi naturæ consentaneum magis est, afferere, ipsas naturales causas ex se non solas ad speciem effectus, sed etiam ad unum numero effectum sub eadem specie, in hoc tempore, & subjecto, determinatas esse.*

1358. Pro hac sententia negante allegantur adhuc alii : & sanè ei re ipsa subscribere debent illi Theologî sat multi, qui docent, decreta Dei compleri per complementa extrinseca ; nam, licet forte possint utcunque dicere, quod decretum, seu volitio Dei, etiam quatenus intrinseca Deo, determinet ad individuum, tamen ipsa determinatio, seu exigentia hujus potius, quam alterius individui, non potest in hac sententia identificari volitioni, quatenus est intrinseca Deo; cum etenus sit penitus indifferens : sed debet ea exigentia, vel determinatio, stare in complemento creato, adeoque debet ultima formalis determinatio ad individuum, fieri per creaturam.

1359. Quod autem majus adhuc pondus huic secundæ sententiae affert, est, quod ipse Angelicus determinationem ad individuum nunquam in decreto Dei constituat, sed potius in materia individuâliter diversa : & hoc pluribus in locis, ut *1. p. q. 3. a. 2. ad 3 item 1. p. q. 5. o. a. 4. in corp. rursus 3. p. q. 77. a. 2. in corp. ubi expresse dicit, quod subjectum sit principium individua-*

*duationis accidentium*: idque ibi pluribus explicat. Quamvis autem auctores hujus secundæ sententiaz non convenienter in assignanda radice determinationis ad individuum, tamen in eo concordant, quod non debeat assignari decreto divinum; unde, qui hoc negat, saltē quatenus negat, rejici minimè potest, tanquam sufficiens. Et oritur destitutus. His præmissis.

1360. Dico. Probabiliter determinatio ad individuum non consistit in decreto Dei. Prob. Potest haec determinatio explicari per aliquid creatum: ergo inconvenenter dicitur, consistere in decreto Dei. prob. conseq. non quidem sunt adstruendi quicunque respectus, etiam in entibus modalibus, sine necessitate: e. g. non est dicendum, quod effectus quilibet habeat intrinsecum respectum ad certum tempus; cum hic sit nulla necessitas evitandi recursum ad Deum; eoquod haec determinatio explicetur optimè per superadditam durationem creatam: at verò, si negato certo quodam respectu deberet recurreti ad Deum, est sufficiens necessitas, cum afferendi, præsertim in ente modali; nam, ut fatentur omnes, non est Philosophi, in explicandis naturalibus effectibus, vel causalitatibus, aut determinationibus causarum secundarum, recurrere ad Deum, si res possit explicari per entia creata: &, si nihil aliud

*Tom. II.*

obstet, melius multiplicatur aliquid eos, vel aliqua perfectio, sive respectus, aut relatio etiam essentialis, in aliquo ente creato, quam recurratur ad Deum: ergo.

Prob. itaque ant. Potest dici, quod detur aliqua entitas creata, quæ sit naturaliter compossibilis cum uno tantum individuo alicuius speciei: aliis vero individuis eiusdem speciei sit naturaliter opposita, eaque naturaliter excludat: atqui sic determinatio ad individuum potest explicari per aliquid creatum: ergo.

1361. Minor patet. ma. prob. potest probabiliter dici, quod actio productiva, vel conservativa causa, sit talis entitas: ergo. prob. ant. in primis non est inconveniens, attribuere enti modali talem oppositionem cum certis individuis, vel exclusionem eorumdem; nam e. g. actio totalis opponitur naturaliter, & excludit omnia individua actionum totalium sibi simili, respectu eiusdem effectus: & unio excludit naturaliter omnia individua unionum simili respectu eorumdem extremorum: & quidem, tam actio, quam unio, alias actiones, vel uniones, naturaliter excludunt ex intrinseca sua exigentia, quam habent, ne detur aliquid superfluum ad finem naturalem ipsarum: sicut etiam una forma substantialis naturaliter excludit alias non subordinatas ex eadem materia, & quævis natura completa naturaliter excludit

Z 22

dit unionem sui cum alia , vel digniore , sicque reddit se subsistenter , vel suppositum .

**Confir. 1.** Si entitas modalis potest esse ita affixa uni inviduo , ut essentialiter non possit esse sine illo , poterit etiam esse ita compositibilis cum uno individuo , ut cum aliis naturaliter esse non possit : ergo . Certè , sicut nulla datur implicantia in priori respectu , vel affixione essentiali modi , ad unum determinatum individuum , ita neque poterit ulla ostendi in naturali compossibilitate modi , cum uno tantum determinato individuo , & oppositione cum aliis ; cur enim non potuerit Deus , aut natura , talam oppositionem ingenerare entitati modali ?

**1362. Confir. 2.** Si determinatio ad individuum consistit in decreto Dei , tuac vel debet admitti nova distinctio virtualis in Deo , & decretis divinis : vel debet determinatio ad individuum non se tenere ex parte actus primi liberi creaturæ : quod utrumque est valde difficile , ut nondatur , & fatentur Theologi : ergo ea determinatio melius non statuitur in decreto Dei , sed in aliquo ente creato , nempe in actione productiva cause . prob. conseq. hæc actio facile potest constitui ex parte actus primi liberi , ita , ut , licet sua virtute non reddat causam expeditam ad simpliciter agendum , tamen eam reddat impeditam ad agendum , seu producendum alia in-

dividua : qua ratione sublata est omnis illa difficultas , ut facile intelligunt Theologi : ergo .

Hic neto , me studiose dixisse , quod actio productiva cause sit naturaliter compessibilis cum uno determinato individuo : non autem , quod ea actio naturaliter post se trahat determinatum individuum ; alias enim non staret cum libertate , ad agendum , vel non agendum : sed necessitatet ad unum agendum . Nec dicas , actionem talem ut incompositibilem cum aliis non stare cum libertate ad alias ; nam hoc facile conceditur : sed negatur , quod creatura , e. g. homo , debeat esse liber ad plura individua ; nam utique etiam juxta adversarios , posito decreto determinante ad individuum , homo non est amplius liber , nisi ad hoc unicum individuum , ad quod Deus determinavit .

**1363. Ob. 1.** Auctores malunt , in causalitate cause finalis in actu secundo , respectu actionum exteriorum , recurrere ad decretum Dei , quam admittere intrinsecum respectum ad finem in actionibus illis , e. g. in ambulatione respectum intrinsecum ad sanitatem , propter quam quis ambulat : ergo neque debet admitti similis respectus in actione productiva cause . Resp. om. ant. neg. conseq. Aliqui auctores quidem , quia putant , non posse explicari causalitatem cause finalis in actu secundo , respectu actionum exteriorum , nisi vel per intrinsecum

cum respectum earum actionum ad finem, vel per decretum Dei, malant ad istud recurrere.

Alii autem auctores, (cum quibus nos sentimus n. 1357.) putant, istam causalitatem posse explicari, tam sine decrete Dei, quam sine decreto respectu, & hinc neutrum admittunt: quid autem prius admittorent, si unum esset necessarium, nos judicant, necesse esse decidere: & nobis etiam sufficit, quod, sicut ad explicandam illam causalitatem non debet recurri ad decretum Dei, ita neque debeat ad id recurri, ad explicandam determinationem ad individuum. Addo tantum, utique facilius in ente modali admitti posse aliquam naturalem oppositionem physicam cum alio ente physico, quam in ente absoluto, quale est e. g. ambulatio, aliquem respectum essentiali ad aliquam causam intentionalem.

1364. Ob. 2. Melius dicetur, quod ipsa causa ex se jam sit determinata ex natura sua, vel liberè se ipsam determinatum individuum: ergo non debet determinari per actionem. Resp. neg. ant. Cum ad finem causæ sequè serviat quocunque individuum ex eadem specie, causa non est jam à natura determinata ad unum præ altero, praesertim, cum certum sit, quod eadem causa possit successivè plura individua ejusdem speciei producere; unde, quod nunchoc, nunc illud pro-

ducatur, non provenit ab ipsa: sed juxta hanc opinionem deberet provenire à tempore, seu duratione.

Sed neque possunt se liberè determinare ad individuum cause necessaria, ut patet: neque etiam id possunt cause libera, saltem universaliter; quia non discernunt unum individuum possibile ab altero. vide dicta n. 1354. Et quoad hoc est magnum discriminem inter causam liberam incretam, sive Deum, & creatam, e. g. hominem; nam, cum Deus omnia possibilia clarissime ab invicem discernat, potest facile unum præ alio eligere, vel determinare, etiam quando unum non magis servit ad finem ipsius, quam alterum: non ita hoc potest universaliter homo, vel etiam Angelus. vide dicta n. 1355.

1365. Dices 1. Dicitur Ecclesiastic. 7. v. 29. & 30. Honora patrem tuum, & gemitus matris tuae obliviscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses: ergo filius est determinatus in individuo ad hos parentes. Resp. 1. Græcam versionem dicere apud Cornelium à Lapide: Memento, quod per eos natus sis: quæ verba facile aptantur cuique sententiaz. Resp. 2. dist. conseq. est determinatus per ipsam naturalem exigentiam parentum ad hoc individuum præ alio. neg. conseq. per actionem productivam, vel conservativam parentum. conc. conseq. Cum parentes generent sepissime plures liberos utriusque

sexus, ex sua natura non determinant ad hoc prae alio individuo: potest tamen dici, filium, quantum ad corpus, determinari ad hos parentes per actionem productivam, vel conservativam ipsorum: at verò quoad animam, quæ est effectus soli Deo plenè liber, quivis determinatur ad suos parentes per voluntatem Dei.

Dices 2. Sicut gradus specificus causæ determinat ad gradum specificum effectus, ita etiam gradus individualis causæ potest determinare ad gradum individualem effectus: ergo non opus est recursu ad actionem productivam causæ. Resp. neg. ant. Gradus specificus (qui realiter est ipsa causa) habet, vel appetitum innatum ad speciem effectus, si causa est necessaria: vel, si causa est libera, cognoscit, & discernit gradum specificum, seu speciem effectus. At verò gradus individualis (qui etiam realiter est ipsa causa) si sit gradus individualis causæ necessariæ, non habet appetitum innatum, ad hoc potius individuum, quām aliud ejusdem speciei: si verò sit gradus individualis causæ liberæ, non discernit gradum individualem effectus, ut dictum n. 1354. & srg. adeoque ex eo, quod gradus specificus causæ possit determinare ad gradum specificum effectus, ne uitquam infertur, quod etiam gradus individualis ejusdem causæ possit determinare ad gradum individualem effectus.

1366. Dices 3. Causa creata libera potest determinare ad speciem, vel quasi speciem, quam non discernit: ergo etiam ad individuum. prob. ant. homo aliquando liberè elicit actum impatientiæ indivisibilem, intensum ut quatuor, quin discernat, vel cognoscat eam intensionem: ergo se determinat liberè ad speciem, vel quasi speciem actus, quam non discernit. prob. conseq. actus indivisibilis intensus ut quatuor juxta multos differt specie, saltem in rigore physico, ab alio actu etiam indivisibili minùs intenso, & juxta omnes saltem plus differt, quām differat ab alio actu etiam intenso ut quatuor, adeoque saltem quasi specie: ergo.

Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. ad prob. conseq. om. totum; debuisset enim ant. probari. Supposito, quod homo eam intensionem nullatenus discernat, ad eam se liberè non determinat: sed determinatur necessariò per circumstantias, e. g. per talem, vel talē effervescentiam sanguinis, vel aliā similem causam, hic, & aunc exigitivam talis intensionis: ipse autem homo tantum se determinat ad impatientiam ut sic: ferè, sicut claudus liberè se determinat ad ambulationem ut sic: at verò ad claudicationem determinatur necessariò à tibia clauda. Si autem talis homo, ut sepiissimè fit, agnoscat, seu discernat, saltem aliquam intensionem, intra aliquos terminos confundit

fusē cognitos, quamvis non discer-  
nat determinatum gradum, tunc  
potest se ad aliquam intensionem  
indeterminate sumptam determi-  
nare.

1367. Dices 4. Ergo talis homo  
non magis peccabit ratione inten-  
sioris actus. Resp. dist. illat. si nul-  
lo modo cognoscat intensionem.  
om. illat. si eam cognoscat, saltē  
intra aliquos terminos confusē appre-  
hensos. neg. illat. si enim homo  
intensionem aliquo modo cognos-  
cat, tunc peccat magis ratione inten-  
sionis, intra terminos confusē  
cognitos contentæ: cui autem in-  
tensioni, inter illos terminos con-  
tentæ, an minime, an maximæ, com-  
mensuretur peccatum, Theologis  
moralibus decidendum relinquim-  
us: si autem nullo modo cognoscat  
ullam intensionem (quod tamen  
moraliter vix potest fieri; cùm uti-  
que experiatur, se effervescere) tunc  
non peccabit ratione intensionis  
prorsus ignoratæ: nisi tamen hæc  
ignorantia vincibilis sit; nam ali-  
quando talis homo potuisset, & de-  
buisset scire, hoc, vel illud fore si-  
bi occasionem intensæ impatienc-  
iæ, aut iræ: & tunc potest peccare  
ratione ignorantia vincibilis: in-  
super potest talis peccare ratione  
libertatis mediata in causa, quaten-  
us sciens posuit, aut non vitavit  
causam, vel occasionem intensioris  
impatientiæ, aut iræ.

1368. Dices 5. Ergo talis actus  
intensa impatientiæ non elicetur

liberè. Resp. dist. illatum. non eli-  
citur simpliciter liberè. neg. illat.  
non elicetur liberè secundum quid,  
sive non liberè quoad omnia pre-  
dicata formaliter accepta. conc. il-  
lat. sicut scilicet à claudio simpliciter  
liberè ponitur ambulatio, sed  
non formaliter claudicatio. Ubi  
notandum, quod actus in genere  
physico dieatur simpliciter liber es-  
se illi, in cuius libertate est, ut ille  
actus existat, vel non existat: & sic  
claudicatio dicitur in genere physi-  
co simpliciter libera homini claudio  
ambulanti, non autem tibi claud-  
e; quis non est in hujus, sed in  
hominis libertate, ut existat, vel  
non existat claudicatio. Similicer  
etiam talis actus intensus impatienc-  
iæ simpliciter dicendus est liber ho-  
mini, qui potest pro libitu, eum  
ponere, vel omittere: non autem  
liber effervescentie sanguinis &c.  
qua non potest eum ponere, vel  
omittere: sed tantum ex supposi-  
tione, quod homo velit eum po-  
nere, potest ipsum reddere inten-  
sum.

1369. Ob. 3. Non est ratio, qua-  
re causa ad individuum determi-  
natur potius ab actione, quam à du-  
ratione, vel ubicatione: ergo con-  
clusio non subsistit. Resp. neg. con-  
seq. sive enim causa determinetur  
à duratione, aut ubicatione, sive  
ab actione, jam salva est nostra con-  
clusio, quod nempe ea determina-  
tio non fiat per decretum Dei. In-  
terim ramen, cur potius actioni,

Z z z

quam

quām ubicationi, aut durationi, attribuatur hæc determinatio, ratio esse potest, quod saltem juxta squitos auctores quodlibet ens producat suam ubicationem, & durationem, vel etiam unionem, si aliquam habeat: non autem videtur causa, ex se indifferens, posse sive determinatione aliunde accepta per se producere suam determinationem, ad hoc potius, quām aliud individuum ejusdem speciei: contra causā non producit actionem, per quam ipsa producitur, adeoque videtur multo perceptibilius, quod causa per actionem determinetur.

1370. Ob. 4. In hac sententia non potest explicari, quis antecedenter determinet ad hanc actionem productivam causā: ergo nihil satis explicatur. Resp. neg. ant. nam ipsa causa A, quae est prior, & produceit alteram causam B, producit, seu determinat ad actionem productivam causā B, quod adversarii sequuntur, ac nos, concedunt. Quod autem causa A producat actionem productivam causā B, potius præditam tali incompossibilitate cum aliis individuis, quām aliam, alias incompossibilitate præditam, ad hoc determinatur ipsa causa A per illam actionem, à qua ipsa producita est: sicut per eandem determinatur ad producendum potius hoc individuum effectus, quām aliud ex eadem specie.

Si urgeas, quis ergo determinet ad talēm actionēm productivam

causā A, respondeo, determinare actionem productivam causā præcedentis, & sic ulterius, donec in prima productione universi determinatur ad Deum, qui, sicut tunc debuit prima vice determinare ad speciem, ita etiam debuit determinare ad individuum: & recursus ad Deum in primariorum creatione facile ab omnibus admittitur: non autem ita facile in productionibus rerum sequentibus.

1371. Dices 1. Juxta nos actiones differant specie: hoc non potest admitti: ergo. Resp. 1. neg. mi. nihil enim esset absurdum; nam potest idem effectus produci per actiones specie diversas; cūm possit produci, vel à causa univoca, vel ab equivoca, vel ab utrāque simul; unde etiam potest eadem causa in eundem effectum influere per actiones specie diversas, ut patet consideranti. Resp. 2. neg. ma. Sicut uniones Petri, & uniones Pauli, non differunt specie strictè dicta, quamvis differant in prædicato identificato, & pluribus communicabili: sicut etiam ipse Petrus, & Paulus, non differunt specie, etsi unus sit subjectum compossibile cum unionibus, cum quibus non est subjectum ita compossibile alter: ita etiam actiones præcisè ratione compossibilitatis, vel incompossibilitatis cum diversis individuis, non differunt specie; quia differunt tantum in prædicato, respectivo diversorum individuorum similitum, adçō-

adeoque non constitutive dissimilitudinem entitativam, ut dictum in Logica n. 637. possunt tamen differre ex aliis capitibus, etiam in sententia adversariorum.

1372. Dices 2. Saltem hac ratio ne dabitur series effectuum, naturaliter sibi succedentium, & aliqui effectus, e. g. aliquæ formæ, erunt naturaliter hyemales, aliaæ aestivæ, aliaæ Italæ, aliaæ Germanæ &c. hoc est contra sensum communem: ergo non debet admitti. Resp. neg. ma. nam effectus est indifferens ad plures actiones, potestque produci, non tantum per actionem, per quam modò producitur, sed per alias quoque, etiam specie differentes, sicut etiam per diversas causas; unde effectus, e. g. formæ, nullo modo ex natura sua est hyemalis, vel aestiva, Europæa, aut Asiatica: sed hæc omnia sunt ipsi per accidens.

Dices 3. Ad minimum dabitur series ipsarum actionum, ita, ut una sit hyemalis, altera aestiva &c. sed etiam hoc est paradoxum: ergo. Resp. iterum neg. ma. nam ex hoc, quod e. g. actio A determinaverit ad actionem B, non sequitur, quod actio B iterum necessariò determinet ad determinatum individuum actionis C, & ad nullum aliud, & sic ulterius; nam, cum sepe concurrent, vel per se, vel per accidens diverse cause, dabitur sepe determinatio ad aliam actionem, qæ dein iterum determinat, vel juxta

seam naturam solam ad aliquam actionem, vel pro concurrentia aliarum causarum sepe ad aliam. Sicut etiam juxta adversarios pro diversitate concurrentium causarum Deus determinat pro suo libitu ad diversas actiones, per quas probabiliter sepe producitur aliud individuum, quam fuisse productum, si alia cause fuissent: quamvis etiam hoc ipsum posset produci.

1373. Ob. 5. Anima rationalis est identificata cum actione productiva sui: ergo ipsa deberet ex natura sua determinare, consequenter etiam ipsa esse determinata, ad certos effectus in individuo: hoc est contra omnes. ergo. Confirm. Saltem actus vitales, e. g. cognitio-nes, sunt identificatae cum actione productiva sui: ergo saltem isti actus jam determinarent ad individuum sui effectus. Resp. neg. ant. est enim anima rationalis indifferens, uacueretur, vel à solo Deo, vel etiam simul ab aliqua creatura supernaturaliter elevata; potest enim creatura elevari ad creandum, ut probabimus à n. 1384. quin imò forte potest anima rationalis etiam absoluè generari, de quo vide supra n. 141.

Ad confirm. neg. conseq. Cognitio-nes aliud causare vix possunt, quam species sui rememorativas; neque enim probari potest physicus influxus uarius cognitionis in aliam, vel in volitionem: sed in has species (vel, si etiam velis, in alias cogni-

cognitiones, aut volitiones) non inserviunt cognitiones solæ, sed etiam intellectus, vel voluntas, seu anima; quare etiam actio productiva animæ debet concurrere ad determinandum individuum speciei rememorativæ, aut sequentis cognitionis, vel volitionis, nec ex sola cognitione priore oritur ea determinatio: cùmque actio productiva animæ, utpote creativa, possit pro libitu Dei, à quo solo est, habere modò hanc, modò aliam compostibilitatem cum individuis, etiam poterit oriiri varia determinatio ad individuum speciei rememorativæ, cognitionis, aut volitionis.

1374. Fortè etiam non absurdè philosopharetur ille, qui omitteret, quod cognitio sit ex se naturaliter determinata ad producendum hoc potius, quam aliud individuum speciei rememorativæ; cùm enim cognitiones proximè imitentur modos in essentiali dependentia à suo subjecto, & causa efficiente (ut hinc supponitur; alias enim objectio per se corruit) non videtur absurdè dici, quod eos etiam imiteatur in determinatione ad effectum, ita, ut, sicut actio essentialiter exigit producere hoc individuum effectus, ita cognitio exigit naturaliter producere hoc individuum speciei rememorativæ: ex quo tamen non sequeretur species immultiplicabilis; nam hæc ipsa cognitio posset alio tempore producere similem speciem: insuper alia cognitio si-

milis etiam posset producere aliam similem speciem, & multò magis Deus id posset: sed tamen prior responsio est expeditior.

1375. Addeadum, me, tum supra n. 1360. tum n. presed adhibuisse particulam *sustentativer*; neque enim defendere velim, hanc exigentiam, seu compostibilitatem, aut incompossibilitatem, cognitionis respectu speciei, vel etiam actionis producentis causam, respectu effectus, esse essentialē, ita, ut nec Deus in ea dispensare possit: cùm videatur ex ex se difficile dicere, quod causa, per certam actionem producta, nec de absoluta Dei potentia possit alium effectum producere, & istud nulla ratione efficaci possit suaderi; neque enim omnis exigentia modi est ei essentialis: sic unio naturaliter exigit generari, potest tamen supernaturaliter creari, ut dictum n. 620. Sic una actio totalis est naturaliter incompossibilis cum altera, potest tamen supernaturaliter cum ea conjungi, ut probatum a. 981.

Nec dicas, sic ad determinationem ad individuum effectus requiri aliquod decretum Dei; nam tantum requiritur negatio decreti Dei, volentis supernaturaliter ad aliud individuum determinare, vel concursum omnino impedire: sicut juxta omnes ad determinationem ad speciem eodem modo requiritur negatio decreti, volentis ad aliam speciem determinare, vel concursum impedire.

Nec

Nec iterum dicas , saltem juxta hanc opinionem Deum non posse naturaliter facere , ut aliud individuum hisc , & nunc , producatur : & sic ejus libertatem restringi ; nam , sicut juxta adversarios non restringitur libertas Dei , dicendo , quod non possit naturaliter facere , ut alia species producatur , ita neque juxta nos restringitur , asserendo , quod non possit naturaliter facere , ut aliud individuum producatur : intellige , stante actu primo proximo , naturaliter aliud individuum excludente ; naturali eam exigentiae , aut oppositioni , Deus naturaliter contravenire non potest . Interim tamen potest Deus naturalissime facere , ut aliud individuum , quod ei placet , producatur , mutando scilicet actum primum proximum , subtractione , vel additione causarum &c. ut ex dictis n. 1372. colligi potest .

1376. Ob. 6. Saltet , si concurrant plures causæ ad producendum eundem effectum , e. g. plures ignes ad producendum alium ignem , non potest in hac sententia explicari determinatio ad unum individuum præ altero : ergo . prob. ant. in tali casu non est ratio , quare potius determinet actio productiva causæ A , quam causæ B : ergo . Resp. neg. ant. ad prob. om. ant. neg. conseq. Dixi om. ant. nam posset fors dici , quod , si una causa sit principalis , potius actio productiva istius , quam actio productiva alterius causæ , determinet

*Tom. II.*

ad individuum . Sed hoc omisso dico , quod , sicut in tali casu ipsæ causæ simul determinant ad speciem effectus , & quandoque ad tertiam ejus speciem , ut contingit , quando producitur cognitio ab intellectu , & specie , vel mulus ab asino , & equa &c. ita etiam possint actiones productivæ causarum simul determinare ad individuum .

1377. Cum compossibilitas , vel ineompossibilitas actionum istarum cum individuis , tantum naturalis sit , potest pro varietate circumstan- tiarum naturalium mutari : sicut sepe in causis mutatur exigentia , seu determinatio ad speciem . Possunt autem probabiliter etiam aliquando convenire tales actiones productivæ causarum , quæ simul sumptue determineat ad idem individuum , ad quod una determinasset ; in hoc enim nulla apparet naturalis inconvenientia , vel implicantia : quin imò non nego , posse etiam contingere , ut actio productiva causæ A determinet ad idem individuum , ad quod determinaret actio productiva causæ B , attamen producendum per diversam actionem , ut patet .

1378. Quid autem in talibus ca- sis re ipsa fiat , & an idem , vel aliud individuum producetur , sine nescio : sicut etiam adversarii ne- sciunt , an Deus determinet ad idem individuum , quando concurrunt plures causæ , ad quod determinas- set , si tantum una concurrisset . Hæc videntur probabiliter responderi

A a 22

posse ,

posse, quod sufficit; hanc enim assertiōnem, & modūm explicandi determinationem ad īividuum, ut probabilem dūt̄axat propono, ac defendo; quia utique non caret suis difficultatibus, quz tamea non sunt apertē insolubiles: fortē ex hīc dīctis quidam aliis fumet occasiōnem, accuratiūs quæstiōnem hanc discutiendi, & ingeniosūs resolvendi, quod opto.

Quærunt hīc aliqui, unde oriatur determinatio ad actus liberos, an à

voluntate creata seipsm determinante, an à Deo creaturam prædeterminante: verū tractatiō hīc de causis aliās jam valde est longa; & hīc quæstio paucis absolvi non potest: quin imo nequit pro dignitate ex solis principiis philosophicis resolvi: sed ad eam rite explicandam plura ex Theologia debent assumi; unde eam Theologis relinquō. Si cui placet, videre poterit prædeterminationem à me sat fusē examinatam tract. de Deo à n. 443.

## ARTICULUS V.

*An, & ad quos Effectus Indebitos possit Deus elevare Creaturam.*

1379. COntraversia hīc adhuc spectat ad causam primam; nam in ea decidendum est, in quantum causa prima uti possit causis secundis, tanquam instrumentis, vel subordinatis agentibus. Satis communiter hīc quæstio proponitur sub his terminis: An in creatura detur potentia obedientialis: sive, an creatura habeat hanc potentiam, ut supernaturaliter à Deo elevata, possit tanquam instrumentum, vel tanquam concausa subordinata, influere in omnes effectus, in quibus non probatur adesse specialis repugnantia, qualis e. g. datur in actibus vitalibus, qui, cùm non producantur per actionem distinctam, sunt essentialiter determinati ad sua principia, nec possunt ab aliis, vel alio modo dependere.

Quidam etiam volunt, dari specialem repugnantiam in actionibus creativis, & in effectibus per eas producendis, de quibus paulò post. Hanc potentiam etiam vocant quodlibeticam, id est, potentiam influendi in quodlibet ens creatum: intellige: in quo non datur specialis repugnantia; aliās esset manifestum, non dari potentiam quodlibeticam.

1380. Dico 1. Datur in qualibet creaturā potentia obedientialis modū explicata. ita S. Thomas in 4. diff. 8. q. 2. a. 3. ad 4. sic scribens: *Sicut creature inest obedientia potentia, ut in ea fiat quidquid creator disposuerit, ita etiam, ut ea mediante fiat: quod est ratio instrumenti.* Suarez tom. 1. in 3. p. diff. 31. sec. 5. l. Dicendum ergo. & alii pluri-

plurimi. Prob. conclusio. Non potest ostendi ulla repugnantia in eo, quod Deus elevet quamcunque creaturam, ad producendum effectum huic indebitum quemcunque, si non appareat in eo specialis repugnantia: ergo debet omnipotentiæ divinæ concedi, quod possit creaturam quamcunque ita elevare. ant. patebit ex solutione objectionum. conseq. est principiam communiter receptum, de quo plura diximus supra n. 381. & 388. Si petas, etiam assignari finem, respondeo, in primis non videri hoc necessarium ex dictis n. 389. dein potest esse finis ipse effectus: sicut esset finis, si per causas non elevatas, vel à solo Deo produceretur.

1381. Confirm. Potest creatura elevari ad producendos actus supernaturales: ergo etiam potest elevari ad producendos alios effectus indebitos. ant. est certum de fide, ex qua habemus, hominem, & Angelum elevari supernaturaliter ad eliciendam claram visionem Dei; creaturæ cuicunque indebitam: item ad amorem beatificum &c. conseq. probatur petendo disparitatem: quæ dum assignari non potest, ut videbimus, rectè colligitur, etiam alteram elevationem esse possibilem: quanquam utique non inferatur eadem certitudine; cum argumentum à pari sit ex se solùm probabile, vel probabilius.

Nec dicas, hominem, & Ange-

lum, recipere à Deo habitus infusos, vel lumen gloriæ, tanquam potentias superadditas; nam in primis, si quis diceret, quod Deus creaturam, semper intrinsecè, per donum aliquod superadditum, elevet ad producendum effectum indebitum, tamen adhuc creatura verè produceret illum effectum: sicut utique homo, & Angelus, producunt illos actus supernaturales, non autem soli habitus.

1382. Dein etiam in Angelo, & homine, non est absolute necessarium, ut pro priori recipient aliquam virtutem; nam, ut multi, & nostri præsertim communiter, docent, posset absolute elici visio Dei sine lumine gloriæ, & actus charitatis sine habitu: & sane sepe peccator actum charitatis, in perfecta contritione inclusum, elicit pro priori ad habitum. Licet autem talis peccator habeat gratiam actualē, hæc non insinuit physicè in actum contritionis, ut cum pluribus aliis docet Suarez l. 3. de Grat. c. 17. n. 5. Tandem paritas hæc instituitur duntaxat quoad hoc, quod, sicut homo, vel Angelus, elevantur ad actus naturaliter sibi impossibilis, ita etiam possit elevari quævis creatura, ad alios actus sibi naturaliter impossibilis: quod autem eleventur intrinsecè, & non extrinsecè, est disparitas merè materialis: neque concessa una elevatione videtur posse negari altera.

1383. Si dicas, dictos actus supernaturales visionis Dei, charitatis &c. contineri aliquo modo intra sphæram intellectus, & voluntatis, hominis, vel Angeli; quatenus habent prædicatum cognitionis, & volitionis, respondeo, quemlibet effectum, in quo non ostenditur specialis repugnantia, esse intra sphæram obedientiam cujusque alterius creaturæ, quatenus habet prædicatum entis producibilis: neque probari potest, requiri aliquam viciniorum proportionem inter talē causam, & effectum: & quæcunque assignabitur, sine fundamento, ac tantum divinando adstruetur.

Fors replicabis, requiri saltem, ut effectus exigat produci ab hac causa, sicut scilicet visio Dei exigit produci ab intellectu. Sed etiam hoc sine omni probatione gratis assentitur: & sanè humanitas Christi videtur multa miracula physicè fecisse, quæ solus Deus facere potuisset: quin etiam est satis communis sententia Theologorum, ignem producere qualitatem deturpatam in dæmonibus, quæ posset præduci, vel à solo Deo, vel ab aliis etiam creaturis elevatis.

1384. Dico 2. Probabilius creatura etiam potest elevari ad creandum. ita Magister sentent. l. 4. disp. s. f. Quæ fuit potestas, nec abhorret S. Thomas in 4. disp. s. q. 1. a. 3. q. 3. ad 4. Et s. & quamvis forte alibi non ita faveat, tamen Bellar-

minus tom. 3. *Controv. controv. general.* 1. l. 2. c. 11. & Tannerus *dis-  
cio mox citando n. 11.* putant, eum  
non esse oppositum. Magistrum se-  
quuntur Suarez *disp. 20. Metaph.  
sec. 3. n. 7.* Bellarminus *loc. modò  
cit.* Tannerus *tom. 1. disp. 6. q. 1.  
dub. 2. n. 8.* Arriaga *disp. 11. Phys.  
sec. 5. n. 106.* Comptonus *disp. 27.  
Phys. sec. 7. n. 4.* Hurtadus *disp. 12.  
Phys. sec. 7. f. 70.* (ubi etiam pro-  
bat, S. Thomam non esse huic sen-  
tentiae oppositum) Augustinus Lau-  
rentinus *tr. 2. Physic. disp. 5 sec 10.  
n. 303.* & plures alii ab his citati,  
ut Albertinus, Conimbricenses,  
Amicus, Ripalda, Tellez, Oviedo  
&c. Prob. ut conclusio prior ex eo,  
quod nulla possit ostendi implican-  
tia in tali elevatione creaturæ,  
adeoque ejus possiblitas non sit  
neganda omnipotentie divinae.

1385. Ob. 1. contra 1. conclus. Potentia obedientialis, nec est na-  
turalis, nec supernaturalis: ergo est imposibilis. prob. ant. ista poten-  
tia se extendit ad effectus supra-  
naturales: ergo non est naturalis: rur-  
sus ista potentia est identificata re-  
bus naturalibus: ergo non est super-  
naturalis. Resp. 1. retorq. arg. in  
potentia hominis, vel Angeli, ad  
eliciendos actus supernaturales:  
Resp. 2. om. ant. neg. conseq. nam  
potest dici, quod hæc potentia sit  
aliquid medium inter potentiam  
strictè naturalem, & strictè super-  
naturalem; hæc enim est, quæ non  
potest præduci à causis naturalibus:

illa,

illa , quæ exigit posse effectum suum naturaliter producere: at potentia obedientialis, cùm sit identificata rebus naturalibus , potest realiter produci à causis naturalibus : econtra non exigit effectus , ad quos elevatur, naturaliter posse producere.

Rsp. 3. neg. ant. nam hæc potentia, cùm sit identificata entibus naturalibus , realiter debet esse naturalis. ad prob. dist. ant. 1. enthy- mem. se extendit ad effectus supernaturales, ita , ut eos producat, ex viribus sibi debitibus , & juxta suam naturalem exigentiam. neg. ant. ut eos producat tantum cum elevatione sibi indebita , & supra suam naturalem exigentiam. conc. ant. & neg. conseq. secundum enthy- mema totum omitto ; vel concede do.

1386. Dices. Saltem ista potentia, nec est materialis, nec spiritualis : ergo implicat. prob. ant. potest producere effectus spirituales : ergo non est materialis : rursus est identificata entibus materialibus ; ergo non est spiritualis. Resp. neg. ant. nam illa potentia, si est identificata enti materiali, est materialis : si verè est identificata enti spirituali, est spiritualis. ad prob. neg. conseq. 1. enthy. nam ens, quod tantum supernaturaliter potest producere aliquid spirituale, potest esse materiale, si urges ; ex hoc sequi, quod actio productiva entis spiritualis possit esse materialis, tœ

spondetur, hoc non fore absurdum. si ens spirituale possit generari ex materia , sicut non est absurdum , quod actio productiva substantiae sit accidentis , & actio productiva entis absoluti sit ens modale : an autem possit ens spirituale generari ex materia, non est necesse decide-re.

1387. Ob. 2. Vt talis creatura elevaretur per aliquid intrinsecè ei superadditum : vel tantum per omnipotentiam Dei extraordina- riè , & supernaturaliter ei applicata : neutrum potest dici : ergo, prob. mi. si dicatur primum, tunc non talis creatura, ex se improportionata, sed illud superadditum dura- taxat influet : si dicatur secundum, tunc creatura semper manet intrin- secè improportionata, & impotens agere : ergo. Resp. neg. mi. & di- co , Deum pro libitu suo posse fa- cere, quod ei placet : sic homines plurimos elevat per superadditos intrinsecos habitus virtutum , ad eliciendos actus earum supernatu- rales : & plures peccatores elevat per omnipotentiam extrinsecè ap- plicatam , ad eliciendam superna- turalem contritionem. ad prob. neg. 1. p. ant. seu nego, quod tantum entitas superaddita agat ; siue enim non soli habitus virtutum , sed ipsa anima hominis agit, ut est innegabile : ita etiam non tantum entitas superaddita , sed ipsa crea- tura, cui illa superaddita est, agit.

1388. Jam quodlibet 2. p. ant.

A 223

neg.

neg. suppositum, sive nego., quod creatura quæcunque sit omnimodè improportionata, vel quod magis debeat esse proportionata, quam suo modo inadæquatè, aut inchoativè, seu ita, ut possit elevari. Equidem creatura per elevationem tantum extrinsecam non acquirit intrinsecè majorem virtutem: attamen ea, quam jam haberet, adjuvatur ab omnipotentia extrinsecè applicata: sic pygmæus, impotens se solo elevare pondus, habet virtutem inchoatam, ut possit juvari à gigante, seu ab hoc extrinsecè quasi elevari: & si gigas cum ipso concurrat, tunc juvatur, seu quasi elevatur; neque enim in tali casu solus gigas pondus tollit, et si id posset, sed etiam pygmæus, cui se gigas sponte accommodat. Et sic suo modo se habet omnipotentia respectu creaturæ elevatæ; quia etiam ista non vult se sola agere, sed se creaturæ accommodare: hoc tamen valde notabili discrimine, quod concursus gigantis sit pygmæo naturalis, non vero talis concursus omnipotentiae sit naturalis creaturæ elevatæ: quod tamen in ordine ad hanc objectionem est discrimen tantum materiale.

1389. Ob. 3. Juxta nos quilibet creatura posset producere species effectuum infinitas: ergo haberet potentiam infinitam, seu omnipotentiam. Confirm: Creatura quilibet specificaretur ab infinitis effectibus, adeoque haberes

respectus infinitos: atqui hos habere non potest: ergo. Resp. dist. ant. posset species effectuum infinitas (intellige syncategorematicè) producere naturaliter. neg. ant. posset eas producere supernaturaliter. conc. ant. & neg. conseq. nam ex hoc tantum sequitur, Deum, qui potest, ex virtute sibi adæquate intrinseca, & summè debita, effectus infinitos producere, & creaturam ita elevare, esse omnipotentem: sed de omnipotentia iterum inferioris n. 1393.

Ad confirm. neg. i. p. ma. Causa tantum specificatur ab effectibus, naturaliter ab ipsa producibilibus, à quibus nempe specialiter respicitur; nam effectus tantum supernaturaliter producibles eodem modo respiciunt alias causas, à quibus eodem modo supernaturaliter possunt produci: adeoque non sunt magis specificativi unius, quam alterius causæ. Dein etiam neg. mi. non enim superat perfectionem entis creati respicere effectus infinitos specie diversos, à se tantum posita elevatione supernaturali producibles.

1390. Ob. 4. Admissa potentia obedientiali poterit ens naturale producere ens supernaturale: hoc videtur accedere ad errorem Pelagi: ergo. Resp. dist. ma. poterit ens naturale producere ens supernaturali, accedente elevatione supernaturali. conc. ma. sicut ista. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Debet

bent omnes admittere, quod anima hominis, vel ejus voluntas, quæ utique sunt entia naturalia, possint, si eleventur, producere actus supernaturales; nam Tridentinum *sess. 6. can. 4.* exprossè damnat eos, qui dicunt, *liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinem-ram justificationis gratiam se di- sponat.*

Dices. Hac ratione ens naturale haberet saltem partialem virtutem producendi ens supernaturale (sicut equus habet partialem virtutem trahendi currum, quem se solo non potest trahere) hoc est fallum: ergo. Resp. neg. ma. Ens naturale habet quidem ad effectus supernaturales aliquam virtutem suo modo inadæquatam, seu inchoatam, & elevabilem, sed non talem, qualis habet equus ad trahendum currum; nam hic habet talem virtutem, cui concursus alterius concausæ est naturalis, & indeterminate debitus: at verò concursus Dei, elevans creaturam ad producendos effectus supernaturales, est ipsi prorsus indebitus;

1391. Ob. 5. Inter causam, & effectum, debet dari proportio: at qui nulla datur inter causam creatam naturalem, & effectum supernaturalem: ergo causa creata naturalis non potest habere effectum supernaturalem. Resp. dist. ma. debet dari proportio omnimoda, aut

connaturalis. neg. ma. aliqua propria inchoata, seu aliqua elevabilitas causæ, conc. ma. & dist. sic mi. iterum dist. conseq. causa creata naturalis non potest naturaliter habere effectum supernaturalem. conc. conseq. non potest supernaturaliter eum habere. neg. conseq.

Dices. Si non datur major propria, tunc talis causa obedientialis non potest cognosci ex effectibus: hoc videtur absurdum: ergo. Resp. neg. mi. Plures causæ etiam naturales sunt occultæ, quarum quidem videmus effectus, eas tamen nequidem clare detegere potuerunt Philosophi, ut est nimis certum: quanto igitur minus necesse est, ut ex effectibus, supernaturaliter tantum productis, colligatur corum causa?

1392. Ob. 6. Ista potentia obedientialis esset essentialiter frustracea: ergo non datur. prob. ant. nunquam posset naturaliter prodire in suum actum: ergo. Resp. neg. aat. ad prob. neg. conseq. Ista potentia non esset superflua ad suum finem, adeoque nec essentialiter superflua; cum enim ejus finis non sit obtinere naturaliter, sed tantum supernaturaliter effectum, modò hunc supernaturaliter obtineat, non est superflua ad suum finem, ut patet. Et hoc debent dicere omnes de potentia animæ rationalis, tam passiva ad recipienda dona superna, quam activa ad eliciendos actus supernaturales meritorios.

Dices.

Dices 1. Semper adest omnipotētia divina, quæ se sola potest producere omnia: ergo non est intendibilis à Deo hæc potentia obedientialis. Resp. 1. neg. ant. nam sīnē anima non possunt produci actus vitales supernaturales, e. g. fidei, spei, charitatis. Resp. 2. om. ant. neg. conseq. Deum decet, habere plura media in ordine ad variis effectus: ex quibus dein prudenter eligere unum p̄ altero. Addo., hoc argumentum probare, quod causa creatæ nihil possint agere, ut patet consideranti: hoc autem est apertè nimium.

Dices 2. Posset Deus producere aliquam creaturam, quæ haberet intrinsecum essentialē respectum ad decretum aliquod Dei, quo efficaciter decernit, non elevare hanc creaturam ad actus ei supernaturales: in tali creatura non posset dari potentia obedientialis; quia non daretur elevabilitas: ergo. Resp. has tricas esse aliquo modo similes iis, quas aliqui movent circa peccatum irremissibile, vel bonum opus inpræmiabile, quibus non varet immorari; unde om. totum. Nos loquimur de creaturis actu existentibus, & earum similibus, de quibus prorsus gratis diceretur, quod habarent talem respectum ad tale decretum Dei. Quod si tamen efficaciter probaretur, actu dari aliquam creaturam cum tali respectu, tunc illa esset excipienda, tanquam talis, in qua datur specialis repu-

gnantia: sicut propter specialem repugnantiam excipiuntur aliqui effectus, ut dictum n. 1379.

1393. Ob. 7. contra 2. conclus. Si creatura posset elevari ad creandum, posset esse omnipotens: hoc non potest admitti: ergo. prob. mā. talis creatura posset omnia producibilia producere: ergo esset omnipotens. Resp. 1. neg. mā. ad prob. neg. ant. nam talis creatura non posset producere seipsum. Nec dicas, etiam Deum non posse producere seipsum; nam Deus non est producibilis, vel causabilis: contra omnis creatura est causabilis. Insuper talis creatura non potest influere in innumeris actiones vitales, sensitivas, & appetitivas, intellectivas, & volitivas &c. nam, cūm istæ sint identificatae cum actione productiva sui, non possunt profluere ab aliis principiis, quām à quibus actu profluunt; unde nec possunt creari; hinc n. 1379. diximus, questionem hanc esse de effectibus, in quibus non probatur adesse specialis repugnantia.

1394. Resp. 2. iterum neg. mā. ad prob. om. ant. neg. conseq. Non dicitur simpliciter omnipotens, qui tantum potest precatiō, ex gratuito favore Dei, influere in omnia, & debet semper expectare, donec elevetur, modo ipsi prorsus indebito; eoquod pro libitu Dei negligi possit, & fermè quasi universaliter negligatur: qui insuper tantum potest influere influxu longè debito, liore,

More, instrumentalii, aut subordinato: certe talis tam parum potest dici omnipotens, quam parum ille potest dici rex, qui tantum pro libitu regis potest assumi ad condendum aliquid statutum, vel aliud quid conficiendum cum rege. Quare juxta communem conceptum omnium hominum ille tantum dicitur simpliciter omnipotens, qui ex propriis viribus sibi debitibus exigit, posse pro libitu suo in omnia producibilia influere.

1395. Ob. 8. Talis creatura crearet ut causa principalis: sed hoc est impossibile: ergo. prob. ma. causa instrumentalis debet disponere passum, in quo agit: atqui causa creativa non potest disponere passum; cum effectum non educat ex passo: ergo causa creativa non est instrumentalis. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ma. causa instrumentalis naturalis debet disponere passum. om. ma. supernaturalis. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. Certè plures Thomistæ, & nonnulli ex nostris, assertunt, quod sacramenta physicè instrumentaliter causent gratiam, que tamen non possunt pro priori subjectum ad eam disponere: neque ullus hactenus impugnavit physicam ictum instrumentalē influxum ex eo, quod sacramenta non priùs in anima producent dispositionem ad gratiam; unde hæc dispositio non requiritur. Omisí supra minorem; quia, et si causa creativa poseret dispositiones in

Tom. II.

subjecto, non propterea necessariò effectum ex eo educeret: sic, licet disponatur materia ad animam rationalem, ipsa tamen non educitur ex materia; quare neque verum est, quod ad creationem nunquam requiratur subjectum disponendum; nam, licet requiri non possit subjectum sustentationis, tamen potest requiri subjectum informationis, ut patet in naturali productione animali rationalis.

1396. Dices 1. Ad instrumentum requiritur, ut procedat ab agente principali: sed creatura non procedit ab agente principali, seu Deo agente supernaturaliter: ergo creatura non est instrumentum Dei agentis supernaturaliter. Resp. neg. ma. Certè scrifarius non facit suam ferram, nec fator acum, nec etiam anima speciem objectivam, qua utitur tanquam instrumento ad videntum objectum: & multò minus requiritur, ut instrumentum ab agente procedat eo modo, quo procedit effectus, in quem influit instrumentum.

1397. Dices 2. Instrumentum, ut agat, debet semper à principali agente recipere motum prævium: ergo saltem creatura non potest elevari extrinsecè. Resp. dist. ant. instrumentum artificiale. om. ant. instrumentum omne, naturale, & supernaturalē. neg. ant. & coaseq. Certè species non recipit motum ab anima, cum qua concurrit ad videndum: & multò minus potest

B b b

pro-

probari, quod instrumenta, tantum supernaturaliter concurrentia, debent praeviè intrinsecum aliquid recipere.

Unde potest dici, quod ratio instrumenti ut sic stet in hoc, quod non efficiat effectum virtute omnino proportionata, nec sit ejusdem, vel eminentioris ordinis, aut perfectionis cum effectu, adeoque ipsum efficere nequeat, nisi ut substantia superiori concursui causæ principalis: & quidem concursui indebito, si sit instrumentum tantum obedientiale. vide etiam dicta. n. 1101. Tandem, ad vitandam longiorem controversiam de ratione instrumenti, posset quis cum Arriaga *disp. 11. Phys. sec. 5. n. 106.* dicere, talem creaturam, sive vocetur instrumentum, sive non, posse saltem elevari ad creandum; quia tamen non erit causa principalis, sed semper tantum secundaria, & subordinata.

1398. Ob. 9. Est receptum axioma: *Modus operandi sequitur modum essendi*: ergo, cum omnis creatura sit subjectum suarum operationum, non potest habere modum operandi, independentem à subjecto, seu creativum. Resp. retorq. arg. ergo, cum Angelus habeat modum essendi, seu existendi, independentem à subjecto, habebit etiam modum operandi independentem à subjecto, adeoque poterit naturaliter creare, quod est falsum. in forma om. ant. dist. conseq. ergo crea-

tura non potest habere modum operandi naturalem, independentem à subjecto. conc. conseq. non potest habere modum operandi supernaturale, independentem à subjecto, quoad effectus quosdam, praesertim extrinsecos. neg. conseq.

Illud principium tantum admittitur in hoc sensu, quod modus operandi naturalis debeat proportionari, & commensurari modo essendi causæ, consequenter non possit causa naturaliter adæquatè producere effectum se nobiliorem: non autem admittitur in hoc sensu, quod causa neque supernaturaliter possit elevari, ad effectum indebitum, vel etiam modo indebito producendum. Addo, quod, sicut ex eo, quod causa sit subjectum aliquarum suarum operationum, non sequitur, eam debere esse subjectum omnium suarum operationum (alias non posset agere ad extra) ita neque sequatur, quod semper indispensabiliter debeat operari in subjecto, pro priori naturæ presupposito.

1399. Ob. 10. Actus immanentes cuiuslibet creaturæ indispensabiliter exigunt produci in subjecto, pro priori naturæ presupposito: ergo etiam idem, & eodem modo exigunt actiones transeuntes, seu ad extra: adeoque creatura non potest producere actionem extra subjectum sustentationis. prob. conseq. actus immanentes sunt perfectiores, quam transeuntes: ergo. Resp.

Resp. om. ant. neg. conseq. ad prob. iterum om. ant. neg. conseq. quæ est similis huic: Formæ materiales sunt perfectiores, quam materia prima: ergo, si istæ sunt corruptibiles, etiam materia est corruptibilis.

Scilicet ens simpliciter imperfæc*tus* potest esse secundum quid perfectius, & habere aliquod prædicatum nobilius, quod non habet ens simpliciter perfectius, modò istud habeat alia prædicata, quæ prædicatum illud nobilius in alia linea excedunt: & sic actus immanentes, quando sunt actiones vitæ, cognoscitivæ, volitivæ &c. per hæc prædicata excedunt actionem, independentem quidem à subjecto, sed nec vitalem, nec cognoscitivam &c. Dixi om. ant. quia non potest probari, quod omnis actus immanens, seu ad intra, sit perfectior actione transeunte: e.g. quod actio conservativa proprietatum ignis ad intra sit perfectior actione ejusdem ignis productiva substantiæ, nempe alterius ignis, ad extra.

1400. Dices. Actio creaturæ immanens essentialiter exigit subjectum sustentationis: & non istud exigit qua immanens; quia actiones Dei immanentes non habent subjectum, ut patet: ergo exigit essentialiter tale subjectum ut actio creaturæ: adeoque omnis actio creaturæ essentialiter exigit tale subjectum. Resp. neg. conseq. Neut-

rum prædicatum actus immanentis creati seorsim sumptum, sed tantum utrumque simul, exigit essentialiter subjectum sustentationis: sicut, nec animal Petri, nec rationale ejusdem, seorsim sumptum, sed tantum utrumque simul exigit, ut Petrus sit homo.

Scilicet actio immanens essentialiter exigit inesse suo principio, vel per identitatem, vel per unionem: & quidem Deo inest per identitatem: at principio creato non potest inesse per identitatem; quia effectus non potest identificari causa; hinc debet inesse per unionem: cumque ipsam actio sit unio sui, cum suo principio tanquam subjecto, & hoc principium sit necessarium prius naturæ ad actionem, actio ista essentialiter exigit uniri, vel recipi in subjecto, realiter pro priori naturæ præsupposito. Quare neutrum prædicatum actionis immanens creatæ, seorsim sumptum, exigit indispensabiliter subjectum, pro priori naturæ præsuppositum; non enim prædicatum immanentis, ut probat objectio: non prædicatum actionis creatæ; quia non omnis actio creata exigit essentialiter immanere suo principio: nee potest aliunde probari, quod omnis actio creata exigit essentialiter recipi in subjecto, pro priori naturæ præsupposito.

1401. Ob. 11. Creatura non activa non potest per concursum Dei extrinsecum fieri activa: ergo

B b b 2

causa

causa non creativa non potest per concursum Dei extrinsecum fieri creativa. Resp. Hoc argumentum videtur probare, quod creatura neque posset per concursum extrinsecum à Deo elevari ad generandos effectus, ad quos naturaliter non est proportionata: quod est falsum. in forma dist. ant. creatura, tam naturaliter, quam supernaturaliter non activa, non potest per concursum Dei extrinsecum fieri activa. conc. ant. creatura tantum naturaliter non activa. neg. ant. & conseq. Nego dein, quod detur aliqua creatura, etiam supernaturaliter non potens agere, nisi fors fingas, aliquam habere certum quendam respectum ad certum decretum Dei, de quo vide dicta n. 1392.

1402. Dices. Si creatura potest supernaturaliter elevari ad creandum, non est amplius ratio, cur non possit dari creatura, potens ut instrumentum naturale creare: sed debet hujus posse dari ratio: ergo. Resp. Omnes existimant, esse longe certius, quod creatura non possit naturaliter creare, quam, quod id non possit supernaturaliter; unde hæc prima assertio debet fundari in efficaciore quodam motivo, quam afferatur ab adversariis pro secunda opinione. Interim fatendum est, quod difficile sit, etiam pro prima assertione assignare rationem intrinsecam, ut agnoscit Valentia, quamvis adversarius tom. I disp. 3. general. q. 2. punct. 4. s. Primum

est. ubi fatetur, id maximè propter auctoritatem Scripturæ, Patrum, ac Theologorum, esse tenendum: quod idem sentit Suarez *disp. 20. Metaph. sec. 2. n. 12.* & alii,

Unde in forma dist. ma. non potest dari ratio intrinseca. om. ma. extrinseca ab auctoritate. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Certè, quod non possit aliqua creatura habere naturalem virtutem instrumentaliter creandi, ab auctoritate Patrum ferè sola solidè potest probari. Addi potest communis sensus Philosophorum antiquorum, & recentiorum, quin etiam aliorum hominum, quibus omnibus receptum est illud axioma: *Ex nihilo nihil fit:* quod saltem debet verum esse, loquendo de viribus naturalibus creaturarum, & de nihilo tamen sui, quam subjecti. Plures rationes affert Tannerus *tom. I. disp. 6. q. 1: dub. 2. n. 5.* quas vide, si luet.

1403. Ob. 12. SS. Patres simpliciter negant, creaturam posse creare: ergo etiam negant, eam posse elevari ad creandum. Resp. neg. conseq. Utique bene aliiquid simpliciter negatur de illo, qui ipsum non potest, nisi supernaturaliter elevatus facere: certè de homine simpliciter bene negatur, quod possit volare: imd de pygmaeo cum veritate simpliciter negatur, quod possit ferre magnum pondus, et si id naturaliter possit, si juvetur à gigante: quanto igitur magis cum veri-

Veritate simpliciter negatur de creatura, eam posse creare; cum id non possit, nūl supernaturaliter juvetur à Deo?

Quod autem SS. Patres intelligendi sint de virtute naturali creandi, desumitur ex eo, quod (ut bene observat Tannerus *dub. num. prec. cit. n. 3.*) ex virtute creandi contra Arianos probaverint divinitatem Verbi, per quod omnia creata sint, utique virtute connaturali; alias, si in Verbo tantum asseruisserint potestatem aliquam inchoatam, & elevabilem ad creandum, quem nos admittimus in creaturis, certe ex ea Arianis divinitatem Verbi efficaciter non probassent.

1404. Sicut vicissim, si creatura

aliqua naturaliter posset creare, Patres iterum ex virtute creandi non bene probassent divinitatem Verbi quod est contra Arriagam, & pauculos alios, qui asserunt, possibiliter esse creaturam, naturaliter potentem creare. Probavimus autem jam initio Physicæ n. 26. quod SS. Patres loquantur de creatione strictè dicta, qua, licet non omnia immediatè, tamen mediater sunt producta, quatenus eorum subjecta substantativa saltem ultimata, sunt immediatè creata; nam omnia, quæ generantur, tandem ultimato recipiuntur, vel in materia prima, vel in substantia Angelica, vel in anima rationali, quæ sunt immediate strictè creatæ.

## DISPUTATIO QUARTA.

### *De Generatione, & Corruptione.*

1405. Aristoteles quidem post octo libros Physicorum, in quibus agit de corpore in communione, ejusque principiis, & causis, mox tractare incipit de corpore cælesti, quod *l. 2. de Cœlo text. 3.* ait esse *ingenerabile, & incorruptibile*, & *text. 17. corpus quoddam divinum*: & tum primum libros de generatione, & corruptione subiungit: at nos de cœlo fusiùs alibi differemus: hic autem, usitatiore in nostris Lycæis methodo, de generatione, & corruptione disputa-

bimus. Disputationis autem hujus, quæ etiam, *de Ortu, & Ineritu* inscribitur, objectum præcipuum est generatio, & corruptio, atque conversio substantialis: at verò secundarium generatio, & corruptio accidentalis; quippe qua non intellecta, nec illa prior rite intelligi potest. Itaque prima quæstione examinabimus naturam generationis, & corruptionis, atque etiam conversionis substantialis: altera verò de alteratione, & intensione qualitatum: & ad dandam de his

B b b ;

ple-

# QUÆSTIO PRIMA.

## *De Generatione, & Corruptione Substantiali.*

### ARTICULUS I.

#### *Quid sit Generatio, & Corruptio Substantialis.*

1406.

**A** Gimis hic de genera-  
 tione non accepta in  
 sensu latissimo, in quo  
 per eam significatur cuiuslibet rei  
 ex subjecto educatio, de qua sat egim-  
 us sub initium Physicæ: sed agi-  
 mus de ea accepta in sensu restri-  
 ctiore, in quo per eam significatur  
 mutatio unius totius substantialis  
 in aliud: quo in sensu de ea agit  
 Aristoteles l. i. de Generat. text. 23.  
 sic scribens: *Quando autem totum  
 transmutatur, non manente ali-  
 quo sensibili ut subjecto eodem . . . .  
 generatio jam hoc tale: hujus au-  
 tem corruptio: quibus in verbis  
 etiam fundatur definitio generatio-  
 nis, de qua hic agitur: quam defi-  
 nitionem etiam communiter ad-  
 struunt autores, cum quibus*

1407. Dico 1. *Generatio sub-  
 stancialis est mutatio totius in to-  
 tum, nullo remanente sensibili, ut  
 subjecto eodem.* Conclusio, utpote  
 definitio communiter recepta, non  
 indiget probatione, sed explicatio-  
 ne. Itaque generatio 1. debet esse  
*mutatio, seu actio, per quam fit*

transitus ab uno termino ad alium,  
 nempe à privatione, seu carentia  
 formæ, ad habitum, seu possessio-  
 nem formæ, sive ab uno toto per-  
 eunte, ad aliud totum de novo pro-  
 ductum. 2. Non debet remane-  
 re idem *subjectum sensibile*: hoc  
 est, ut nostri communiter expli-  
 cant, non debet remanere prius  
 compositum substantialie, seu ad-  
 quatum subjectum denominatio-  
 nis, quod per accidentia est saltem  
 mediata sensibile.

1408. Quare in qualibet gene-  
 ratione substantiali interveniunt  
 tria 1. *Subjectum commune, seu ma-  
 teria prima, quæ recipit in se mu-  
 tationem, & transit ab uno termi-  
 no ad alium.* 2. *Terminus à quo,*  
 qui cessat esse in subjecto. 3. *Ter-  
 minus ad quem, qui introducitur  
 in subjectum.* Hic terminus ad  
 quem iterum alias dicitur *Termi-  
 nus ad quem ultimus, & formalis,*  
 qui scilicet ultimato intenditur à  
 natura: & hic juxta omnes est to-  
 tum compositum: alias dicitur *Ter-  
 minus ad quem formalis, qui scili-  
 cet*

cet per generationem formaliter producitur, seu de novo incipit esse: & hic sepiissime est forma, quæ per generationem de novo incipit esse: quidquid sit, an strictè in sensu Aristotelico forma fiat, an non, de quo dictum est n. 99.

1409. Dixi sepiissime; nam non semper generatur forma, sed quandoque tantum unio, ut contingit in generatione hominis: quo casu terminus formalis generationis est unio. Jam, ut considerant faciliè patet, productio Verbi in divinis, item prima productio universi, rursus augmentatio, & nutritio, non sunt generatio in eo sensu, de quo nunc agimus; quia ipsis hæc definitio non convenit; nam in productione Verbi non datur mutatio; cum Verbum sit ens necessarium, & semper existens: sed neque in prima productione universi data fuit mutatio unius totius in aliud; eoque nulla privatio ullius formæ in aliquo toto præcesserit; cum nullum totum præextiterit: in nutritione autem, & augmentatione, manet totum, seu subjectum sensibile, ei- que tantum aliquid additur: quidquid sit, an in nutritione fors de- tetur aliqualis generatio respectu par- ticulæ formæ, aut unionis, per nu- tritionem adjunctæ, de quo nolim litigare.

1410. Dico 2. *Corruptio substantialis* est desitio totius substantiale in aliud totum substantiale, re- manente subjecto communi. Con-

clusio hæc etiam communiter re- cepta non indiget aliqua probatio- ne. Noto tantum, aliud esse *sub- jectum sensibile*, aliud *subjectum commune*: illud, ut dictum n. 1407. est totum compositum: hoc autem est materia prima, quæ communis est utriusque tori; nam eadem, quæ fuit in præcedente toto, post ejus corruptionem manet in toto noviter producto.

Ratione subjecti remanentis dif- fert corruptio, & *Annihilationis*; hæc enim non potest dari, quando ma- net subjectum; quia ad ipsam requiri- tur, ut etiam istud destruatur. Quin iudeo ad annihilationem quo- que requiritur, ut res destructa ne- que in aliam convertatur, ut aper- tè docet S. Thomas 3. p. q. 75. a. 3. in corp. & ad 1. ac 3. ubi expre- sè negat, in SS. Eucharistia annihila- ri panem; eoque in corpus Chri- sti convertatur: fieret autem anni- hilatio, si panis, vel aliud quid ita destrueretur, ut nec de ipso rema- neret subjectum, nec ipsum in aliud converteretur. Explicant hinc qui- dam sensum illius axiomatis philo- sophici: *Generatio unus est corru- ptio alterius*; sed hunc nos expo- niemus, quando agemus de formis partialibus in *Animistica*.

1411. Ob. 1. contra 1. concl. Si generatio est mutatio, tunc id, quod generatur, mutatur: sed hoc est falsum; nam potius, quod cor- ruptitur, nempe compositum prius, mutatur: ergo. Rep. argu- men-

mentum est simile huic: Si actio est passio, tunc id, quod agit, patitur &c. in forma neg. ma. eadem enim forma potest diversa diversimodè respicere, ilisque etiam diversas denominationes tribuere, de qua re vide suprà n. 942.

1412. Ob. 2. Quando generatur e. g. ignis ex ligno, vel oleo, manet idem subjectum sensibile: ergo definitio est mala. prob. ant. subjectum formæ est materia prima: subjectum accidentium materialium est etiam materia prima, vel quantitas: sed utraque manet: ergo. Resp. neg. apt. Evidem manet idem subjectum sustentationis, aut informationis: at non manet idem subjectum denominationis, quod, ut dictum n. 1407. hic intelligitur per subjectum sensibile. ad prob. neg. suppositum; nam per subjectum sensibile, neque intelligitur subjectum formæ, neque subjectum accidentium, sed subjectum denominationis, quod est totum compositum; hoc enim denominatur e. g. calidum, aut frigidum: adeoque istud est subjectum denominationis, attamen non manet.

Dices. Aliquando datur mutatio, etiam non manente subjecto denominationis, & tamen non datur generatio: ergo definitio non est bona. prob. ant. quando aqua mutatur in vaporem, vapor in nubem, non amplius denominatur aqua, seu non amplius datur subjectum prius denominationis, & ta-

men non datur nova generatio, sed tantum alteratio: ergo. Resp. dist. ant. non manente subjecto primoario denominationis. neg. apt. non manente subjecto secundario. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. conseq. ut prius. Aristoteles tantum vult dari generationem, non manente subjecto denominationis primario, quod est sola substantia completa, & hoc manet manente aqua: at verò subjectum denominationis secundarium est substantia cum aliqua accidentalí affectione, & in nostro casu vapor est aqua cum aliqua rarefactione, vel aëris commixtione, aut alia accidentalí mutatione; uade manet adhuc primarium subjectum denominationis, id est, substantia aquæ, & consequenter non debet dari generatio.

1413. Ob. 3. Illa verba *nullo sensibili remanente* non possunt intelligi de subjecto denominationis, sed tantum de accidentibus: ergo. prob. ant. si sensibile, & totum, esset idem, tunc ista verba nū aliud significarent, quam priora *mutatio totius in totum*: sed hoc non potest admitti: ergo. Confir. Hæc verba excludunt plura sensibilia: ergo non sunt intelligenda de solo subjecto denominationis. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ma. nihil aliud significarent realiter. om. ant. nihil aliud significarent formaliter, sive sub aliis terminis, aliquam clariorem explicationem addentibus. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Non est infre-

infrequens Aristoteli, eandem rem ad maiorem aliquam claritatem pluribus explicare: & communiter dicunt auctores, id statim fieri à Philosopho. *Prior. c. 1.* ubi in definitione termini ponit ea verba: *Uis predicatum, & de quo predicatorum.* Ad confirm. neg. ant. neque enim id necessariò semper fit; nam sepe dicitur, pupillos nullum amplius habere patrem, et si tantum unum habuerint.

1414. Dices. Subjectum denominationis non est sensibile: ergo Aristoteles de eo non loquitur. Resp. dist. ant. non est sensibile immediate in se. conc. ant. non est sensibile mediately per accidentia. neg. ant. & conseq. Quod autem Philosophus non loquatur de accidentibus, immediatè in se sensibili-

bus, colligitur 1. ex verbis *à subjecto codem*; accidentia enim non sunt subjectum in generatione substantiali. 2. ex eo, quod distinguat Aristoteles generationem substantialiem ab accidentalium, seu alteratione, per hoc, quod in ista maneat, non autem maneat in illa subjectum sensibile: atqui in alteratione non manent eadem accidentia, saltem plurima: adeoque juxta adversarios non maneret etiam in alteratione subjectum sensibile. Nec dicant, posse per subjectum sensibile intelligi accidentia unum, vel alterum, quod maneat; nam sic etiam maneret subjectum sensibile in generatione; cum etiam in ista manent plura ex prioribus accidentibus, ut probabimus n. 1440.

## ARTICULUS II.

### Quid sit Conversio, & quid ad eam requiratur.

1415 **D**ico 1. *Conversio est transitus unius rei in aliam, ita communissima, ut adeò non opus sit ulteriore probatione hujus definitionis; cum in questione nominis standum sit auctoritate. Requiruntur autem ad conversionem tria, scilicet *Terminus à quo*, seu res, quæ in aliam convertitur: *Terminus ad quem*, seu res, in quam alia convertitur: & *Commune medium*, sive, ut etiam vocatur *Commune tertium*, seu ali-*

*Tome. II.*

quid, quod remanet, & utrius termino commune est: sic quando convertitur lignum in ignem, *Terminus à quo* est lignum: *Terminus ad quem* est ignis: *Commune medium* est materia prima, quæ prius fuit in ligno, & postea remanet in igne; nam, si nullum daretur commune medium, non foret conversio: e. g. si Deus hic annihilareret Angelum, & pro eo alibi produceret lapidem. Hoc commune medium in conversionibus natura- libus

Ccc

libus est subiectum, in quo formæ antiquæ succedit nova: e. g. in conversione lignai in ignem, commune medium est, ut modò dictum, materia prima: at in conversione supernaturali evcharistica commune medium sunt accidentia.

1416. Circa hoc commune medium ex communi auctorum debent terminus à quo, & terminus ad quem, habere aliquam oppositionem quoad unionem cum ipso, ita, ut uterque terminus simul ipsi uniri non possit; quare, si homo pallidus fiat musicus, non dicitur converti in musicum: at verò, si aqua ex frigida fiat calida, dicitur converti in calidam; quia nempe simul potest quis esse pallidus, & musicus, non verò aqua simul calida, & frigida: quodsi etiam supernaturaliter duo termini sibi oppositi unirentur, e. g. in eadem materia forma ligni, & ignis, non daretur transitus unius rei in aliam, ut patet. Qualis autem hæc oppositione esse debeat, adhuc satè incertum est: probabiliter tamen potest dici, ad conversionem physicam requiri oppositionem physicam: econtra ad conversionem moralem sufficere oppositionem moralem; nam sat communiter dicimus, studiosum conversum esse in militem, aut scribam.

1417. Dividitur autem conver-  
sio multiplicitate; nam in primis alia  
dicitur *Conversio formalis*, alia

*Conversio totalis*: attamen in horum terminorum acceptione non omnino convenientiunt auctores. Quibusdam dicitur *Conversio formalis* omnis illa, in qua subiecto manente mutantur formæ, ut quando manente materia prima formæ ligni succedit forma ignis: *Conversio totalis* autem dicitur tantum illa, quando neque forma, neque subiectum substantiale manet, ut sit in conversione evcharistica: adeoque isti auctores volunt, quod conversio totalis sit idem, ac *Transubstantiatio*.

1418. Alii verò, quia vident, quod, quando una formæ succedit alteri, etiam totum dicatur converti (nam dicitur totum lignum converti in ignem) hinc in tali casu aliquando, considerando subiectum tanquam partem termini à quo, dicunt, quod hæc sit *Conversio totalis*, seu conversio unius totius in aliud: at *Conversio formalis* ab ipsis dicitur, quando non totum, sed tantum una forma dicitur converti in alteram, & subiectum non consideratur tanquam pars termini à quo: e. g. quando dicitur tristitia verti in gaudium, risus in luctum: *Transubstantiatio* autem vocatur ab his auctoribus *Conversio adequata*, seu in sensu strictiore totalis. Quæstio est de nomine, quæ accepta mutua explicatione facile potest terminari.

Hic tamen adverto, Egidium Co-

*Coninck de Sacram.* q. 75. n. 4.  
n. 135. negare, quod una forma dicatur converti in aliam: attamen in hoc contrarium habet modum loquendi, adhibitum aliquando ab ipsa Scriptura, ut *Iohann. 16. v. 20. Tristitia vestra vertetur in gaudium: & Esther. 9. v. 22. Luctus, atque tristitia, in hilaritatem, gaudiumque conversa sunt.* Interim tamen etiam verum est, quod (ut observat Haunoldus l. 4. sr. 3. n. 827.) denominatio conversionis, saltem universaliter, non attribuatur formis, sed potius totis: sic casu quo justus peccet, vel peccator per poenitentiam justificetur, non credo, quenquam daturum: *Gratia est conversa in peccatum: vel peccatum in gratiam:* quamvis in his casibus terminus a quo destruatur, & terminus ad quem de novo producatur: sed potius quivis dicet: *Amicus Dei conversus est in inimicum: vel peccator in justum: præsertim autem, ut advertit Haunoldus loc. cit.* denominatio conversionis non tribuitur facilè formis substancialibus, e. g. ut, quando homo panem comedit, dicatur: *Forma panis conversa est in animam rationalem.*

1419. Ulterius alia est *Conversio materialis*, quando unum subjectum mutatur in aliud, quod contingere, si aliqua forma substancialis, aut accidentalis, sive naturaliter, sive supernaturaliter, transire de subjecto in subjectum.

Rursus alia est *Conversio substancialis*, quando termini a quo, & ad quem, sunt substanciales: vel certe, quando terminus ad quem introductus est substancialis: alia *Accidentalis*, quando termini sunt accidentia: alia *Mixta*, quando unus terminus est substancialia, sed alter accidens. Iterum alia est *Conversio physica*, quando termini sunt physici, & physicè oppositi, ut lignum, & ignis: alia *Moralis*, quando termini non sunt physici, vel non physicè oppositi, ut quando laicus fit clericus, vel studiosus fit miles.

1420. Quæritur jam, an terminus ad quem debet in conversione de novo produci: item, an terminus a quo debeat simpliciter desinere: & quod spectat ad primam quæstionem (quam priore loco resolvemus) in ea non quæritur, an debeat de novo produci unio, vel inexistencia termini ad quem; cum clarum sit, novam unionem, seu inexistenciam termini, requiri ad novum totum, quod priori succedat. Neque etiam quæritur, an de novo debeat produci novum totum; est enim manifestum, quod hoc saltem inadæquatè debeat de novo produci; alias non dabitur novum totum, in quod prius convertatur. Sed quæritur, an ipse terminus ad quem, de novo uniendus, vel inextiturus communis medio, debeat de novo produci.

In qua quaestione certum est, non debere terminum ad quem produci per actionem primò productivam; nam panis, & vinum in SS. Eucharistia, convertitur in corpus, & sanguinem Christi, ut habet Tridentinum sess. 13. c. 4. quin Christus ibi producatur per actionem primò productivam. At non est ita certum, an non debeat terminus ad quem produci, vel per actionem primam, si non jam per eam alibi sit productus, vel saltem per actionem secundam, si jam alibi productus sit, uti jam productus est Christus Dominus in caelo. itaque

1421. Dico . Ad conversionem non est necessarium, ut terminus ad quem de novo producatur. ita Lugo de SS. Eucharistia disp. 7. sec. 1. n. 15. Comptonus de Ort. & interit. disp. 3. de Convers. sec. 3. n. 5. ubi plures alios citat. Accedunt Lynceus, Oviedo, & alii, præsertim recentiores plurimi: item pro hac sententia merito citantur ii Theologi, qui negant, in SS. Eucharistia, in qua datur vera conversio, terminum ad quem, qui est Christus Dominus, produci: hi autem sunt S. Bonaventura in 4. dist. 10. p. 2. a. 1. q. 2. in corp. Bellarminus, tom. 3. Controv. general. 3. l. 3. c. 18. & alii plures, quos citat, & sequitur Haunoldus l. 4. tract. 3. n. 837. sed, ut, quamvis opposita sententia magnam pro se habeat au-

ctoritatem, tamen Lugo de SS. Eucharist. disp. 7. sec. 9. n. 148. & Comptonus cit. disp. sec. 6. n. 6. ostendant, auctoritatem, si non maiorem, saltem sequalem, pro hac nostra conclusione stare.

1422. Prob. conclusio. Necessestas talis productionis, nec ex conceptu conversionis, nec ex alia ratione, sufficienter probatur: ergo non debet adstrui. prob. ant. quoad 1. p. transitus unius rei in aliam, qui est conceptus conversionis, non exprimit formaliter productionem rei, in quam fit transitus: ergo. quoad 2. p. ant. prob. solutione objectionum. Confirm. i. Alimentum dicitur non minus converti in hominem alitum, quam in aliud animal, etiam ab iis, qui non admittunt formas partiales: & tamen terminus ad quem, seu anima rationalis, propter nutritionem hominis non producitur per novam actionem, sive primam, sive secundam: ergo.

Quidam hic confirmationem adducunt ex SS. Eucharistia, in qua datur vera conversio, quin tamen in ea terminus ad quem, seu Christus Dominus, de novo producatur: sed ea hic abstinentem duxi; tum quia ad Theologiam ea quæstio spectat; tum quia magni auctores oppositum sentiunt. Evidem ex conceptu conversionis ea producio Christi Domini probari non potest: an ex SS. Patribus, vel aliis rationibus efficaciter probetur,

etur, Theologis discutiendum relinquimus.

1423. Dico 3. Probabiliter ad conversionem per se non requiritur, ut terminus à quo simpliciter definit: sed sufficit, si definit quo ad unionem cum communi medio, vel quoad nonexistentiam in eo: intelligitur autem per terminum à quo iterum non totum, sed id, quod prius unitum, vel nonexistentis fuit communi medio, eo proportionaliter modo, quo supr<sup>a</sup>. 1420. intelleximus terminum ad quem. Dico *per se* non requiri; nam utique per accidens, & ratione specialis conversionis, id saepē requiritur: sic utique non potest naturaliter converti lignum in ignem, nisi forma ligni destruatur. Hanc conclusionem tenent Bellarminus citatus n. 1421. Esparza l. 10. de Sacram. q. 61. ad 6. Ulloa Philosoph. natur. de ort. & inter. disp. 1. c. 9. n. 107. Hau-noldus l. 4. tract. 3. & n. 826. Maurus tom. 3. Theol. l. 12. q. 140. n. 28. citantur etiam Lychetus, Tartaretus, & plures Scotistæ, ac etiam alii, præsertim autem recentiores complures.

Prob. iterum ut conclusio prior. Nec ex conceptu conversionis, nec ex alia ratione, potest inferri necessitas destructionis, seu omnimodæ desisionis, termini à quo: ergo sufficit, si definit quoad unionem, vel nonexistentiam. prob. ant. quoad 1. p. modò terminus

à quo recedat à communi medio, & in hoc ipsi succedat terminus ad quem, et si terminus à quo naturaliter, vel supernaturaliter, alibi existat, jam datur transitus unius rei in aliam: e.g. modò frigus ab aqua recedat, et si supernaturaliter alibi conservetur, eique succedat calor, jam verum est, aquam à frigore transisse ad calorem, vel ex frigida factam esse calidam: ergo quoad 2. p. ant. prob. iterum solutione objectionum.

1424. Confirm. 1. Uxor Loth, ut habetur Gen. 19. v. 26. verè conversa est in statuam salis, & tamen terminus à quo, sive anima rationalis, non simpliciter definit: ergo ad conversionem non requiritur omnimoda desatio termini à quo. Si fors dicas, saltem de-structas esse in eo casu formas par-tiales. Contra est 1. In eo casu etiam conversio debet admitti ab iis, qui negant formas par-tiales: imò definitio ejus, vel essentialia requisita ad illam, non debent al-ligari particulari sententiæ, sed ac-commodata esse omnibus. Con-tra est 2. Saltem formæ par-tiales non fuerunt in eo casu totus ter-minus à quo, imò nec primaria, sed tantum secundaria pars termi-ni à quo: principalis autem fuit anima rationalis.

Confirm. 2. Tridentinum sess. 13. c. 4 ex verbis consecrationis in-fert, dari in SS. Evcharistia veram conversionem, totius substantiæ panis,

panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi: sed ex verbis consecrationis non infertur omnimoda desitio, vel destrucción panis, & vini, sed tantum desitio unionis, panis, & vini cum accidentibus, aut inexistentiæ ejusdem in ipsis: ergo omnimoda desitio, vel destrucción, non requiritur ad veram conversionem. prob. mi. ad veritatem verborum consecrationis tantum requiritur, ut sub accidentibus panis, & vini, adsit Christus, & non amplius adsit panis, aut vinum: sed hoc totum possit verificari, et si panis, & vinum alibi miraculosè conservarentur: ergo.

Si quis diceret, Tridentinum non inferre conversionem ex solis verbis consecrationis, sed insuper ex negatione miraculi, quod necessarium esset, ad conservationem panis, & vini, sine accidentibus: contra esset; quod id planè gratis diceretur; quia Tridentinum prorsus nullam mentionem hac de re facit: sicut tamen c. 3. ubi definit præsentiam sacri sanguinis sub specie panis, accuratè mentionem facit naturalis connexionis inter partes Christi Domini, post resurrectionem viventis, & non amplius morituri.

1425. Ob 1. contra 2. conclus. Debet in conversione produci novum totum: ergo etiam debet produci terminus ad quem. Resp. neg. conseq. Non potest dari no-

vum totum, in quod transeat antiquum, quin detur nova pars: adeoque debet nova unio cum medio, vel inexistencia in isto, produci, & consequenter totum esse inadæquatè novum: at vero non debet totum esse adæquatè novum: neque etiam ad hoc, ut terminus ad quem possit uniri, vel inexistere communi medio, debet esse de novo productus, ut per se patet. Simile argumentum fit contra conclusionem 3. à desitione omnimoda totius ad desitionem termini à quo: sed etiam similiter respondetur, scilicet non posse dari conversionem, nisi saltet terminus à quo desinat esse unitus, vel inexistens communi medio, adeoque, nisi unio, vel inexistencia, & consequenter aliqua pars totius, ipsūmque totum inadæquatè destruatur, seu desinat: at non debere totum adæquatè deficere, nec terminum à quo simpliciter desinere; cùm absque hac desitione possit non amplius esse unitus, vel inexistens communi medio.

1426. Ob. 2. Iuxta nos conversione esset tantum adductio localis: hoc est falsum: ergo. Resp. 1. Bellarminus citatus n. 1425. admittit, aliquam conversionem adductivam, aliam productivam. Resp. 2. neg. ma. adductio enim localis est productio ubicationis cum motu locali, quæ non fit necessariò in conversione; potest enim terminus ad quem incipere inesse

in esse communi medio sine adductione locali: & sic Christus incipit esse in SS. Eucharistia. Dein, et si per adductionem localem terminus ad quem possit termino à quo succedere in loco extrinseco, tamen hic locus non est communis medium sufficiens ad conversionem simpliciter dictam; nam nem dicit, quod homo succedens a sibi in loco extrinseco convertatur in alium: quamvis negari non possit, quandóque de aliquibus, in loco extrinseco sibi succedentibus, in seculo aliquo, tamen minus proprio, & rarius adhibito, dici, ea invicem converti: sic dicimus in theatris, aulam converti in sylvam, & vicissim.

1427. Dices 1. Si in nuptiis Canæ Galilææ aqua tantum fuisset translata, & in ejus locum aliunde adductum vinum, non fuisset data conversio aquæ in vinum, sed tantum huius adductio localis: ergo ad conversionem requiritur productio termini ad quem. Resp. neg. conseq. in primis enim sic non fuisset data conversio, quam fideles tunc præsentes, & quos Christus non ludificabat, supponebant esse factam: dein in tali casu iterum non fuisset aliud commune medium præter locum extrinsecum; unde nulla est argumentatio ad alias mutationes, in quibus datur longè aliud commune medium, & major unio cum isto. Eadem responsio datur, si obiciatur S. Au-

gustinus, qui *l. 18. de Civit. c. 18.* negat, illos homines fuisse conversos in volucres, quos diaboli inadvertisenter alio transtulerunt, & in eorum locum volucres adduxerunt. Si etiam homines illi non fuissent alio translati, sed quoad exteriorem apparentiam immutati, manente anima rationali, non fuisset data conversio; qui terminus à quo non desisset inexistere communi medio.

1428. Dices 2. Conversio qua conversio est actio, seu productio: ergo per eam debet produci terminus ad quem. Resp. retorq. argum. Introductio qua introductio est etiam actio, & productio: ergo est productio termini ad quem: adeoque, quando introducitur anima rationalis in novam materiam, debet anima de novo produci, quod est falsum. in forma dist ant. conversio est actio, seu productio illius rei, in quam convertitur alia. neg. ant. est productio unionis, vel inexistentiae &c. conc. ant. & neg. conseq.

Ob. 3. In conversione eucharistica debet produci terminus ad quem, seu Christus: ergo multo magis debet produci in aliis conversionibus, prob. ant. SS. Patres dicunt, corpus Christi fieri, confici, creari: ergo. Resp. dist. ant. debet produci Christus ideo, ut detur conversio. neg. ant. ideo, quia SS. Patres id docent, aut aliae rationes

rationes suadent. om. ant. & neg. conseq. ad prob. om. totum. Iam diximus n. 1422. nolle nos quæstiōnem de conversione evcharistica ingredi, quæ ad Theologiam spe-  
rat. Si quis in ea conversione asserere velit, produci terminum ad quem, id probare debebit, non ex conceptu conversionis, sed, vel ex Patribus, vel ex aliis ratio-  
nibus.

1429. Interim Theologi plures negant ant. ad prob. dist. ant. SS. Patres dicunt fieri, creari &c. corpus Christi denominativè acceptum. neg. ant. concretivè acceptum. conc. ant. & neg. conseq. Scilicet fit hoc concretum *Corpus Christi substans his accidentibus*: ut autem dicatur aliquid fieri, non opus est, ut omnes ejus partes fi-  
ant; alias non posset dici Verbum caro factum: sed sufficit, si fiat ali-  
qua ejus pars, e. g. unio, vel præsentia corporis Christi sub spe-  
ciebus panis &c.

Innuunt autem ipsi SS. Patres, quod loquuntur de corpore Christi concretivè sumpto; nam communiū dicunt, fieri corporis Christi præsens in hoc sacramento, confici sacramentum corporis Christi: & quando etiam dicunt, corpus Christi creari, non debent, vel etiam non possunt, sumi de corpo-  
re Christi denominativè accepto, propter antecedentia, aut conse-  
quentia: e. g. S. Cyprianus, quo vel maximè nituntur auctores op-

positi, sic habet serm. de cœna Dom. *Qui usque hodie hoc veracis-  
sum, & sanctissimum corpus  
suum, creas, & sanctificas, & be-  
nedicis. & pie summisibus dividis:  
quæ vox dividit, ut patet, non  
potest sumi de corpore Christi de-  
nominativè accepto, sed necessa-  
riò debet sumi de corpore concre-  
tivè accepto.*

1430. Dices 1. SS. Patres com-  
parant conversionem evcharisti-  
cam aliis conversionibus, in qui-  
bus terminus ad quem de novo  
producitur, e. g. conversioni vir-  
gæ Moysis in serpentem, conver-  
sioni alimenti in alitum: ergo sup-  
ponunt, etiam corpus Christi de  
novo produci. Respondent op-  
positi Theologi. neg. . conseq.  
Omnis similitudo claudicat: quod  
etiam de prima hic allata necessa-  
riò admittendum est; nam in ea  
conversione serpens per primam  
actionem productus est: non au-  
tem ita producitur corpus Christi  
in SS. Evcharistia: altera verò  
conversio alimenti potius probat,  
terminum ad quem non debet pro-  
duci; cum in nutritione hominis  
anima rationalis non producatur;  
unde similitudo adstruitur tantum  
in hoc, quod etiam in SS. Evcha-  
ristia fiat vera conversio, & qui-  
dem substantialis.

1431. Dices 2. Si corpus Christi non produceretur, conversio evcharistica non esset transubstan-  
tiatio, sed tantum transacciden-  
tatio:

*ratio : hoc est falsum : ergo.* Resp. neg. ma. *Talis est conversio eucharistica, quales sunt ejus termini: vel certe, ut habet Haunoldus l. 4. tr. 3. n. 841. talis est conversio, non qualis est terminus formaliter produc-  
tus, sed qualis est terminus, in com-  
mune medium introductus: termini autem conversionis eucharisti-  
cae, tam à quo, quam ad quem,  
sunt substanciales, & terminus in-  
troducingus, nempe Christus Domi-  
nus, vel ejus corpus, etiam est sub-  
stantialis, adeoque ipsa quoque con-  
versio est substantialis: & quia est  
conversio totius substancialis, est ex  
Tridentino scilicet 13. c. 4. transub-  
stantiatio.*

1432. Ob. 4. contra 3. conclus. S. Thomas 3. p. q. 75. a. 2. in corp.  
sit: *Quod ex eo convertitur in  
aliquid, facta conversione non ma-  
nes: & iterum 3. p. q. 77. a. 5. in corp.  
Manifestum est enim, quod ex  
corpte, & sanguine Christi, que  
ibi veraciter sunt, non generantur  
aliquid; cum sint incorruptibilia:  
ergo terminus à quo in conversio-  
ne simpliciter definit, seu omnino  
destruitur. Resp. neg. conseq. An-  
gelicus primo loco tantum vult,  
panem, & vimum, non manere, seu  
non amplius adesse in Eucharistia,  
sub speciebus panis, & vini: an al-  
ibi maneant, vel non, ibi prorsus  
abstrahit, ut manifestum est legen-  
ti contextum.*

Secundo vero loco, ut bene etiam  
notat Haunoldus l. 4. tr. 3. n. 841.  
*Tom. II.*

S. Doctor tantum vult, ex corpte  
Christi incorruptibili non genera-  
ti formas illas, que post corruptas  
species quandōque nascuntur, e. g.  
formae vermium, vel, ut ibi habet  
Angelicus, forme cinerum, si ho-  
stia consecrata comburantur: que  
non faciunt ad rem; nam, sive de-  
struatur, sive non destruatur, termi-  
nus à quo, seu panis, nunquam il-  
lae forme ex corpte Christi gene-  
rabuntur.

1433. Dices. Hæc questio est  
de nomine; nam queritur, quid  
intelligatur nomine conversionis;  
ergo in ea standum est auctoritate:  
sed auctoritas stat pro adversariis:  
ergo. Resp. 1. etiam pro nostra sen-  
tentia stare auctoritatem sufficien-  
tem. Resp. 2. neg. ant. nam de ex-  
pliacione nominis *Conversio*, sive  
de hujus definitione, jam conven-  
tum est ab utraque parte auctorum,  
quod scilicet sit transitus unius rei  
in aliam: quo supposito questio ul-  
terior, quid requiratur ad talem  
transitum, strictè loquendo est que-  
stio de re: sicut supposito, quod  
conventum sit in definitione entis  
rari, quod nempe sit illud, quod  
sub magnis dimensionibus contine-  
parum materię, non est amplius  
questio de nomine, an ad hoc, ut  
aliquid fiat rarum, requiratur pro-  
ductio majorum ubicationum, an  
vero immixtio alienorum corporis-  
culorum. Hoc tamen concedo, quod  
pertineat ad questionem de nomi-  
ne, quid in definitione conversio-  
nis

D d d

nis intelligatur per particulas *unius rei in aliam*: an tantum transitus unius totius in aliud, an etiam unius formæ in aliam: & sane, saltem ordinariè, tantum intelligitur transitus unius totius in aliud, ut n. 1418. observatum est.

1434. Ob. 5. SS. Patres contra Eutychetem docent, naturam divinam non potuisse converti; quia non potuit desinere: ergo ad conversionem requiritur desitio termini à quo. Resp. dist. conseq. requiritur ea desitio ad omnem conversionem in genere. neg. conseq. ad aliquam conversionem in specie, de qua Patribus erat controversia cum Eutychete. conc. conseq. Eutyches contendebat, in incarnatione ex confusione naturæ divinæ, & humanae, prodilisse in Christo naturam aliquam unam, ita, ut non amplius manserint duæ naturæ distinctæ, sed tantum una: quæ conversio utique requireret immutationem, aut desitionem termini à quo, & fortè etiam generationem, seu productionem termini ad quem: sane S. Thomas 3. p. q. 2. a. 1. in corp. infert, nihil posse converti in naturam divinam; eoquid hæc sit immutabilis: at nos non soquimur de tali conversione in specie, sed tantum de conversione in genere. videatur etiam Hauholdus l. 4. tr. 3. n. 828.

1435. Ob. 6. Si terminus à quo non debet desinere, poterit dictum quod per mortem hominis anima

rationalis convertatur in formam cadavericam: hoc est absurdum: ergo. Resp. 1. cum quibusdam, neg. mihi. si enim non est absurdum, quod per nutritionem forma cadaverica alimenti convertatur in animam rationalem (quod adversarii admittunt; quia illa forma in nutritione destruitur) neque erit absurdum, quod vicissim anima rationalis convertatur in formam cadavericam. Resp. 2. neg. ma. Ut jam observavimus n. 1418. denominatio conversionis non nisi valde raro soleat tribui formis, praesertim substantialibus, ordinariè autem tantum totis: sive, non nisi valde raro dicitur una forma converti in alteram, ordinariè autem tantum dicitur converti unum totum in alterum, quod loco sit. probavimus exemplo peccati, & gratiae; quare non est dicenda anima rationalis conversa in formam cadavericam, sed homo conversus in cadaver.

1436. Dices. Saltem, quando corrumpuntur species evcharisticæ, & inter eas nascuntur vermes, debet juxta nos admitti, Christum fuisse conversum in vermes: hoc est absolum: ergo. prob. ma. in tali casu unum totum succedit alteri: ergo juxta nos nihil deest ad conversionem. Resp. 1. Aliqui negant mihi. dicuntque, eam propositionem rite explicatam non esse absolum: quamvis non sit proferenda coram indoctis, eam intelligentibus in sensu falso; quasi ipsa materia corporis

poris Christi postea substaret formæ vermium, sicut alia materia carnis putridæ, ex qua vermes nutriuntur; cum tamen illa propositio in vero sensu aliud non significet, quam loco Christi Domini adesse vermes. vide Haunoldum l. 4. sr. 3. n. 828.

Resp. 2. neg. ma. ad prob. neg. conseq. deest enim commune medium; neque enim accidentia eucharistica manent in vermis; quia non est dicendum fieri novum miraculum, quo quantitas, vel alia accidentia, quo prius fuere in pane, postea variantur physicè alteri subiecto, nempe vermis: sed ipsa pereunt, & ex materia prima, quo de novo creatur, producitur nova forma vermium, nova quantitas &c. quare in tali casu non datur aliud medium, commune Christo, & vermis, quam locus extrinsecus, qui non sufficit ad conversionem, ut jam diximus n. 1426.

1437. Equidem S. Thomas 3. p. q. 97. s. 1. in corp. videtur doceré, quod vi consecrationis quantitati conferatur, ut possit esse subiectum sustentationis formæ substantialis: sed sic debet admitti, quod talis vermis initio non constitutur materia prima, adeoque non sit compositum substantiale, & nutriti possit solis accidentibus, si scilicet alias hostias consecratas devoret: possit autem postea alia devorando adgenerare sibi materiam, ejusque animam diuisibilem partim sustentari

à sola quantitate, partim à materia prima, quo, & similia, videntur valde difficultia. Similiter respondendum est, si objiciatur, quod, si Petrus in portando onere succedat aliqui asino, converteretur in asinum; nam onus non est medium communne sufficiens; alias, si Petrus imponebet sibi pileum Pauli, posset etiam dici conversus in Paulum, quo non nisi ridiculè dicerentur.

1438. Ob. 7. Juxta nos posset dici, quod ad conversionem etiam non requiratur, ut terminus à quo non maneat in communi medio, sed tantum, ut ipsi non amplius variatur: hoc est contra communissimam: ergo. Resp. neg. ma. nam converti significat idem, ac transire in commune medium, ex quo aliud cedit: & hoc communissime intelligi supponit ipsa objectio; & sane S. Thomas citatus n. 1432. aperte ait: *Quod autem convertitur in aliqua, facta conversione non manet;* idem docet S. Thomas in q. dis. 11. q. 1. n. 2. idem etiam satis indicare videtur Tridentinum sess. 13. can. 2. ubi videtur, pro uno, eodemque habere, si quis dixerit, in SS. Eucharistia remanere substantialiam panis, & vini: &, si quis negaverit conversionem panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi.

Certè de fide est, in SS. Eucharistia panis, & vini substantialiam non remanere: eam autem omnino destrui colligitur parem ex verbis Dddd 2

con-

consecrationis, & effectus conversionis, partim ex eo, quod non debet adstrui miraculum insuspicibile, quale esset, si conservaretur substantia panis, & vini, sine suis proprietatibus, & quidem insciis omnibus

bus fidelibus; cum tamen Deus miracula non soleat occulta relinquere, sed ad gloriam suam, ac debitum cultum manifestare. videatur Maurus *tom. 3. Theol. l. 12. q. 139. n. 28.*

## ARTICULUS III.

*An in Corruptione Substantie detur Resolutio usque ad Materiam Primam.*

1439. **R**esolutio usque ad materiam primam tunc daretur, si in corruptione substantiae materialis completae, non tantum forma substantialis, sed etiam omnia priora accidentia destruerentur, ita, ut ex priore composito nihil remaneret, nisi nuda materia prima. Hanc resolutionem in quavis corruptione substanciali contingere, tenent communiter Thomistae, quibus ex nostris accedunt Conimbrigenses, Fonseca, Rubius, Maurus: at oppositum afferunt Scotistae, Nominales, & nostri communissime: ex quibus Hurradus *disp. 1. de Generat. sec. 5.* ostendit, Aristotelem, & S. Thomam, Thomistis non consentire.

1440. Dico. Non datur resolutio usque ad materiam primam. **P**rob. Quadiu de objecto sensibili datur eadem experientia sensuum, tamdiu cessendum est, esse idem numero objectum, nisi fides, aut ratio efficax evincat oppositum: sed de accidentibus sensibilibus, tam

ante, quam post corruptionem compositi substancialis, datur eadem experientia sensuum: ergo cessandum est, esse eadem numero accidentia. **m.** habetur ex communissimo sensu omnium: certe ex hac ratione omnes judicant, manere eundem solera, ac stellas, eadem arbores, aut animalia &c. prob. mi. quando e. g. ex ligno fit ignis, eadem experientia datur de calore, qui fuit introductus in lignum, ac de illo, qui existit in igne recente producto: & sic de aliis: ergo.

1441. **C**onfir. 1: Aristoteles *l. 1. de Gener. text. 24.* docet, quod, si ex aere fiat aqua, eadem in recente generata aqua maneat diaphaneitas, & idem frigus, quæ fuere prius in aere corrupti: rursus *l. 3. de Gener. text. 27.* ait, quod ex igne corrupto remaneat ejus calor, ex aqua corrupta ejus humiditas &c. ergo manent aliqua accidentia post corruptionem substancialis: & quidem, cum sine subjecto esse non possint, manent, vel immediatè, vel saltem

tem mediatae. in materia prima, quæ prius fuit subjectum prioris compositi, & modò est novi. Dicunt quidem adversarii, juxta Aristotelem manere accidentia, tantum specie, non verò numero eadem: sed id prorsus gravis sine ulla probatione dicunt.

Confir. 2. Juxta adversarios deberent corruptâ substantiâ produci semper nova accidentia, prioribus simillima; nam experimur, in nova substantia dari similem calorem, quantitatem &c. atqui prorsus gravis, & contra communem sensum, assertur hæc nova productio, & multiplicatio accidentium; cùm natura suum finem & quæ possit obtinere per conservata priora, quam per producta nova accidentia: ergo. Alias rationes vide apud Hurtadum loc. cit.

1442. Ob. 1. Aristoteles *l. 1. de Gener. sext. 23.* ait, quod tunc generatione sit, quando.. totum transmutatur, non manente aliquo sensibili, à subjecto eodem: ergo in generatione novi compositi, cum qua datur corruptio veteris, non manet ullum sensibile, seu accidens. Confirm. Idem Philosophus in *Prædicam. tr. 2. c. 1. de substantia* ait: Non ergo existensibus primis substantiis impossibile est, aliquid aliorum esse: ergo destruēta substantia non possunt manere accidentia. Resp. neg. conseq. Per sensibile Aristoteles non intelligit accidentia; nam ista non sunt subjectum, &

multò minùs sunt subjectum, quod possit mutari in suis passionibus, de quo tamen loc. cit. aperè Philosophus agit; unde per sensibile inteligit, ut dictum supra n. 1407. compotum substantiale. Ad confirm. neg. conseq. Aristoteles per vocem *aliorum* non tantum intelligit accidentis, e. g. colorem, de quo ibi meminit, sed etiam prædicata essentialia, ut animal, quod *ibidem* adducit: & tantum docet, quod non existentibus primis substantiis (per quas probabilius intelligit individuales substancialias) neque manent prædicata specifica, neque accidentalia; eoquod ista debeant de primis substantiis prædicari: id quod totum facile admittimus; quia sublato subjecto non potest de eo dari prædicatio, & sublato recto non potest manere concretum, quale saltem ferè semper est prædicatum.

1443. Ob. 2. Sensus non discernunt individua: ergo nostra probatio est nulla. Confirm. Experiencia sensuum sœpe fallit; nam. e. g. baculus rectus in aqua apparet quasi fractus: ergo ab ea fit debile argumentum. Resp. om. art. neg. conseq. Non frustra nobis dedit Deus sensus, etiam ad cognoscenda individua, quæ per eos satis cognoscimus, dum fides, & ratio non corrigit sensus: certè Aristoteles *l. 1. de Gener. sext. 58.* implicitè reprehendit transcendentes sensum, & despiciens eum. Ad confirm.

Dd dd 3

diss.

dist. conseq. quando ratio, aut fides eam corrigit. conc. conseq. se-  
cūs. neg. conseq. in objecta autem  
baculū intra aquas apparitione sen-  
sus ratione optica satis corrigitur.

1444. Ob. 3. Si manent accidentia corrupti in genito, forma sub-  
stantialis non est actus primus; quia  
jam eam præcedunt accidentia: sed  
debet esse actus primus: ergo. Con-  
firm. Accidentia deberent mutare  
subjectum: sed hoc non potest fieri:  
ergo. Resp. dist. ma. forma non est  
actus primus tempore, aut execu-  
tione. conc. ma. dignitate, vel in-  
tentione. neg. ma. & dist. sic mi.  
neg. conseq. Forma substantialis  
est actus primus in hoc sensu, quod  
fit finis cui intrinsecus, ad quem  
principaliter ordinantur omnia,  
quæ sunt in illo composito: si ad-  
versarii adstruant alium sensum,

eum probare non possunt; nec enim  
omnis prioritas concedi potest for-  
mæ; alias actio ejus productiva non  
esset prior origine.

Ad eonfir. dist. ma. accidentia  
deberent mutare subjectum infor-  
mationis, aut sustentationis. neg.  
ma. subjectum inadæquatum de-  
nominationis. conc. ma. & dist. sic  
mi. neg. conseq. nam, cum acci-  
dens non debeat uniri toti subjecto  
denominationis, sed ad summum  
alicui ejus parti, non est mirum,  
quod, si tantum mutetur illa pars,  
cui accidens non fuit unitum, ipsum  
adhuc in suo subiecto, cui unitum  
est, maneat, et si toti nova aliqua  
pars, attamen accidenti non unien-  
da, adveniat, quam dein accidens,  
in quantum potest, denominet: sed  
de accidente mutante, vel non mu-  
tante subiectum, plura à n. 1452.

## ARTICULUS IV.

*Quodnam sit Subjectum Accidentium, & an id possit ab iis mutari.*

1445. **Q**uestio hæc, quamvis  
non immediatè de sub-  
stantia, sed de accidentibus agat,  
explicanda tamen hoc loco est, ut  
melius intelligatur corruptio sub-  
stantialis, & præsertim conclusio  
*art. præc.* statuta, de resolutione  
usque ad materiam primam. Scien-  
dum autem, triplex esse subjectum,  
nämpe *denominationis*, *informa-  
tionis*, & *sustentationis*. Primum,  
seu *Subjectum denominationis* est

juxta omnes, quod recipit ab alte-  
ro *denominationem*, sive dein ipso  
uniatur, sive non. Alterum, seu  
*Subjectum informationis*, juxta Ar-  
riagam *disp. 4. Phys. sec. 4. n. 102.*  
& 103 cui videntur alii consentire,  
est illud, quod ab altero imme-  
diatè unito perficitur.

Tertium, seu *Subjectum suspen-  
sionis*, sive ut etiam vocatur *Sub-  
jectum inhabitationis*, est juxta com-  
munem Peripateticorum illud, ex  
quo

quo alterum tanquam forma educitur, seu generatur: sive est illud, in quo actio productiva alterius essentialiter recipitur, tanquam in subjecto naturā priore, de quo fuisse egimus n. 1219. Quæstio autem præsens est de subjecto sustentationis, & informationis; quod enim spectat ad subjectum denominacionis, communiter dicitur, illud esse totum cōpositum; nam e. g. totus homo denominatur albus, pius, doctus, quamvis albedo non recipiatur in anima, nec pietas, aut doctrina in corpore.

1446. Dico 1. Subjectum sustentationis, seu sustentativum quantitatis, est materia prima. ita omnes, qui nobiscum afferunt, quantitatem esse accidens, & eam à materia prima distinguunt. Prob. concl. Quantitas utpote accidens (quod hīc supponit, alibi probandum, quamvis rationes, pro tertia conclusione adducendae, id non inefficaciter probent, ut patebit consideranti) indiget subjecto sustentationis, & aliud assignari non potest, quam materia prima: ergo.

Ant. quoad 1. p. supposito, quod quantitas sit accidens, est certum: quoad 2. p. prob. non possunt tanquam subjectum naturā prius assignari alia accidentia, aut forma substantialis: ergo nullum. prob. ant. alia accidentia, atque etiam forma substantialis, præsupponunt in materia quantitatem, nec possunt generari, aut recipi, nisi in materia

quanta, ut concedunt omnes; nam hæc est prima dispositio materiæ ad educationem, aut receptionem formarum quarumcunque: ergo. Non autem dicas, materialism non posse simul sustentare formam substantialem, & quantitatem; nam, si potest causa efficiens plures, & diversos effectus, substantiales, & accidentales producere, etiam poterit causa materialis plures sustentare, ut rectè ait Suarez *disp. 14. Metaph. sec. 3. n. 14.*

Dico 2. Subjectum informationis respectu quantitatis, etiam est materia prima. Probatur. Omne Subjectum sustentationis naturaliter esse debet etiam subjectum informationis; nam formaeducta naturaliter immediatè unitur subjecto, ex quo educitur, illudque etiam perficit, ut colligitur ex dictis n. 624. & seq. ergo.

1447. Dico 3. Subjectum sustentationis aliorum accidentium materialium, non vitalium, aut ex vitalibus ortorum, est ipsa quantitas. ita Bellarminus *tom. 3. Controv. 3. gener. de SS. Euchar. l. 3. c. 24.* & communis Philosophorum, adeò ut Suarez *disp. 14. Metaph. sec. 4. n. 7.* dicat, juxta omnes Philosophos alia accidentia mediante quantitate recipi in materia prima. Dixi autem *accidentium materialium, non vitalium, aut ex vitalibus ortorum;* non accidentia spiritualia non possunt habere naturalem perpetuam connexionem cum

eum quantitate; cùm ens materia-le communiter definiatur ens ha-bens talēm connexionem.

Dein actiones vitales etiam ma-teriales, quæ præsertim afficiunt ipsas animas, cásque denominant e. g. videntes, audientes &c. juxta communiorem recipiuntur, in ipsis formis, seu animabus, aut fortè etiam in substantia organi (si hoc, ut est probabile, est causa earum physica) tanquam actiones ipsis im-manentes: de quibus actionibus hic non agimus. Sed neque velim af-ferere, species phantasticas, vel si-milia accidentia, à sensationibus orta, sive in hominibus, sive in brutiis, licet sint materialia non vita-lia, recipi immediatè in quantita-te, aut ex ea educi. Quare con-clusio hæc agit de aliis accidenti-bus, sive dein sint connaturalia for-mæ, sive violenta; nam etiam ista, si generentur, debent habere sub-jectum sustentationis, & quidem in paſſo, cui sunt violenta, ut patet consideranti.

1448. Jam prob. conclusio. Ac-cidentia ista supponunt in materia quantitatem: & non est supra per-fectionem quantitatis esse subje-ctum, ex quo educatur aliud acci-dens: insuper, nisi hoc dicatur, debent in SS. Eucharistia valde mul-tiplicari miracula, & quidem con-tra communem opinionem fide-lium: ergo convenientius dicitur, quod quantitas sit subiectum sus-tentativum aliorum accidentium. ant.

quod 1. p. probatum est n. 1446. quoad 2. p. prob. ex eo, quod, ut habeat Suarez citatus n. præc. quan-titas habeat sufficientem propor-tionem ad hoc, ut sit subjectum ac-cidentium; quia hæc cum ipsa sunt in eodem ordine accidentis, & tan-tum debent uniri subjecto per unio-nem accidentalem: quamvis, ut ibidem docet Eximius, quantitas non habeat proportionem ad hoc, ut sit subjectum sustentationis re-spectu formæ substantialis; nam hæc forma est altioris ordinis, & debet suo subjecto uniri per unionem sub-stantialem, qualis dari non potest, si unus terminus unitus est acci-dens, heut est quantitas.

1449. Prob. nuñc ant. quoad 3. p. sic. In opposita sententia debet admitti, quod in SS. Eucharistia non tantum quantitas, sed omnia accidentia, conserventur crevitivè: quod accidentia illa nunquam ab ullo agente creato naturaliter alte-rentur, e. g. calciant, aut frige-stant; quia nullum agens creatum potest producere motum, sive alte-rationis, sive alium, nisi ex subjecto, quod juxta adversarios in SS. Euc-haristia nullum daretur: quod mo-ta una parte hostiæ non etiam simul aliæ naturaliter moveantur, vel transferantur; quia non haberent ullam naturalem unionem inter se, nec mediatam, nec immediatam: hæc sunt miracula plura, & quidem contraria communī opinioni fide-lium: ergo:

Econ-

Econtrà in nostra sententia sola quantitas conservatur creative, sìla autem accidentia tantum generative: & possunt ista ab agentibus extrinsecis naturaliter alterari; quia ex quantitate, supernaturaliter conservata, potest e. g. frigus, vel calor, naturaliter educiri, & generari: sicut etiam juxta adversarios ex aqua supernaturaliter conservata posset admoto igne generari calor, ita, ut talis generatio tantum effet presuppositivè supernaturalis. Sanè, si accidens, supernaturaliter conservatum extra subjectum, potest naturaliter operari, seu influere efficienter, ut defendit Suarez *disp. 34. Metaph. sec. 7. n. 16.* non est negandum, quod possit idem influere passivè, scilicet tanquam causa materialis. Item, cum in nostra sententia partes quantitatis sint inter se continuative unitæ, & accidentia alia unita sint partibus quantitatis, adeòque mediately unita inter se, utique, mota una parte hostis naturaliter sequuntur aliæ.

1450. Nec dicant adversarii, se non adstruere nova miracula, sed tantum illud, quod nos admittimus fieri in quantitate, extendere etiam ad alia accidentia; nam, licet forte in hoc non multiplicent miracula in specie, tamen ea multiplicant in numero, ut patet; utique enim non dicent, per eandem actionem physicam, qua nos dicimus produci quantitatem, etiam

produci omnia alia accidentia. Dein non possunt negare, se in alteratione, & motu locali specierum evcharisticarum, adstruere nova miracula.

Nec iterum dicant, accidentia evcharistica mediately inter se uniri per eam unionem, quam habent cum corpore Christi; nam hæc non est unio physisca, sed tantum moralis, consistens in intima presentia Christi, & decreto Dei, ea accidentia specialiter ad Christum ordipante: adeòque mota una parte specierum alia non moverentur-ex ulla naturali exigentia, sed vi solius decreti divini supernaturalis: quod est contra communem opinionem fidelium.

1451. Dico 4. Subjectum informationis strictè dictum, accidentium supradictorum etiam est quantitas. ita satis communiter auctores. Prob. Subjectum informationis strictè dictum *ex n. 1445.* est illud, quod ab altero immediately unito perficitur: atqui tale subjectum respectu illorum accidentium est quantitas: ergo. mi. probatur eo modo, quo *n. 1446.* probatum est, materiam primam esse subjectum informationis respectu quantitatis.

Quodsi autem subjectum informationis non adeò strictè sumatur, sed per illud intelligatur quodcunque subjectum, quod perficitur, & denominatur à forma mediately unita, poterit admitti, quod subje-

*Ecc*

*ctum*

Etum informationis dictorum accidentium etiam sit materia prima, cui ea accidentia mediatae uniuertur, eamque denominant calidam, frigidam &c. immo etiam aliquæ formæ substantiales, sicutem inanimatae, partiales, aut elementares, poterunt dici subjectum informationis eorum accidentium; quia ab his dehominantur calidæ, & frigidæ &c. atque etiam ex n. 366. sufficienter perficiuntur. Non tamen videntur posse respectu talium accidentium dici subjectum informationis, etiam minus strictè dictum, illæ formæ, que non recipiunt ab ipsis denominationem: e. g. non videtur anima rationalis posse dici, etiam in sensu minus stricto, subjectum informationis respectu caloris, aut frigoris; quia non potest denominari calida, aut frigida.

1452. Dico 5. Accidens non potest, transire naturaliter de uno subjecto in aliud: intelligitur autem subjectum sustentationis, aut informationis strictè dictum; nam, quod accidens possit mutare subjectum denominationis, jam dictum est n. 1441. Prob. conclusio præcipue auctoritate communissima, sicutem ferè omnia auctorum cum S. Thoma 3. p. q. 77. a. 1. in corp. cui auctoritati contradici non debet sine gravi ratione: atqui nulla datur pro opinione contraria: ergo. Confir. Hic transitus, ut patet, fieri non potest, nisi acci-

dens perdat unionem cum priore subiecto, & acquirat novam unionem cum novo subiecto: atqui hoc naturaliter non potest fieri: ergo.

1453. Prob. mi. Vel accidens perderet unionem priorem ex defectu causæ conservantis: & neque aderit causa productiva novæ unionis in alio subiecto: aut, si haec adsit, citius, & sensu communi conformius, producet novum accidens simile; nam communiter, & universaliter judicatur, à talibus causis produci novum accidens, e. g. ab igne novum calorero in manu potius, quam tantum unionem istius cum aliquo gradu caloris, prius uniti cum igne. Vel accidens perderet unionem ob aliquod contrarium: & istud impedit etiam unionem novam cum subiecto propinquuo: in remoto autem non possit in distans non transito medio produci nova unio. Vel tandem accidens perderet unionem ex defectu finis: & tali casu neque dabitur finis novæ unionis: aut certè, si adsit finis, vel exigentia in alio subiecto, aderunt etiam causæ productivæ novi accidentis, exque istud juxta sensum communem, ut paulò ante diximus, producent: ergo.

1454. Ob. 1. contra 3. conclus. Concilium Constantiense sess. 45. damnavit hanc propositionem Wiccleffii. *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento:*

*Quoniam si subjectum accidentium, & non possit mutari.* 187  
mento: sed, si quantitas esset subjectum accidentium, verè ista non manerent sine subiecto: ergo. Resp. dist. mi. non manerent accidentia in complexo simul sumpta sine subiecto. neg. mi. non manerent singula accidentia sine subiecto. subdist. non manerent sine subiecto accidentalii. conc. mi. sine subiecto substantiali. neg. mi. & conseq. Wicleffum intellexisse subjectum substantialie est clarum ex prima ejus propositione: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in sacramento altaris; nam volunt, in SS. Evcharistia manere substantialiam panis, & vini, atque non dari transubstantiationem.* Et de hoc subiecto hucusque Wicleffum, & Concilium, intellexere communissime Philosophi, & Theologi, cum S. Thoma 3. p. 4. 77. a. 2. in corp. ubi docet, quantitatem esse immediatum subjectum accidentium evcharisticorum.

1455. Dices. Saltem magis propriè sumuntur verba Concilii, si excludatur etiam subjectum accidentale: ergo. Resp. neg. ant. nam sensus ille non est intentus à Concilio, ut colligitur ex auctoritate gravissima doctorum, longè communiùs Concilium in nostro sensu explicantium, adeoque non est sensus ille proprius ad mentem Concilii. Sanè sensus strictè proprius verborum est is, qui ab omnibus communiter est receptus, qua-

lis est noster: alter autem adverfariorum potest esse magis scrupulosus. Sic certè ridiculè scrupulosus esset, qui videns Sanctum quendam, in extasi elevatum à terra, non auderet dicere, illum totum sine sustentaculo fuisse in aëre suspensum, sed tantum superficiem infimam pedum ejus fuisse ita suspensam: aut, qui videns columnam, prodigiosè in aëre pendulam, diceret, tantum infimam ejus basim esse sine fulcro.

Scilicet, quando infima pars aliuscujus totius non habet fulcrum, jam dicitur, totum esse sine fundamento, aut fulcro; quia nempe ex communissime recepto, adeoque maximè proprio sensu, intelligitur totum in complexo acceptum. Pariter ergo, cum quantitas in SS. Evcharistia, quæ est quasi infima pars complexi accidentium evcharisticorum, sit sine subiecto (quod ex conclusione prima deberet esse substantia) totum complexum illorum accidentium, in sensu maximè proprio, dicitur esse sine subiecto.

1456. Ob. 2. De materia prima constat, quod possit sustentare accidens, nempe quantitatem: de quantitate id non constat: ergo melius dicitur, quod materia prima sustinet omnia accidentia. Confirm. Aristoteles de l'z. dic. 1r. 2. c 1. de substans. ait: *Maxime vero proprium substantia esse videtur, cum unum & idem nu-*

*Ecc 2*

*mero*

*mero sit, contrariorum suscepti-  
vum esse: scilicet contrariorum  
accidentium, frigoris, caloris &c.  
ergo accidentia immediatè recipi-  
untur in substantia, & non medi-  
ante quantitate distincta.*

Resp. Etsi constet, quod mate-  
ria prima possit sustentare quantita-  
tem, aut accidentia aliqua modali-  
ta, tamen non constat, quod  
possit sustentare qualitates, pre-  
sertim absolutas, quæ differunt  
toto genere: inquit etiam non con-  
stat, quod possit sustentare sensa-  
tiones, vel species sensivæ, aut  
phantasticæ; cum istæ possint su-  
stentari ab ipsis animabus materia-  
libus, vel formis partialibus or-  
ganorum, sensu interni, & externi:  
sicut intellecções, & species in-  
tellectuales, sustentantur ab anima  
rationali. Econtra constat de  
quantitate, quod etiam possit su-  
stentare sua accidentia modalia,  
durationem, ubicationem &c.  
quoad accidentia alia non quidem  
constat evidenter, quod quanti-  
tas ea possit sustentare: attamen  
id constat majore probabilitate,  
cum ex auctoritate incomparabi-  
liter majore, tum ex nostris rati-  
onibus. In forma om. ant. (quod  
ex dictis multipliciter potest, aut  
debet distingui, antequam conce-  
datur) neg. conseq.

Ad confir. neg. conseq. Substan-  
tia quidem est subjectum denomi-  
nationis accidentium, & in hoc  
sensu est susceptiva contrariorum;

quia eadem substantia, modò po-  
test denominari calida, paulò post  
& contrario frigida: non tamen  
propterea substantia est immedi-  
atum subjectum sustentationis, aut  
informationis accidentium, sed  
tantum mediatum: sive, ut habet  
Suarez. *Disp. 40. Metaph. Sec. 2.*  
*z. 23.* substantia est subjectum  
primum, quatenus illa primò re-  
cipit quantitatem: ac quantitas  
est subjectum proximum acciden-  
tium aliorum.

Dices 1. Probatio nostra potis-  
simùm nititur miraculosa conver-  
sione evcharistica: sed non debet  
ex miraculis desumi natura rerum:  
ergo. pto. mi. alias posset dici,  
quod rosa naturaliter exigat pro-  
duci in hyeme; quia per miracu-  
lum hyemali tempore potest pro-  
duci: ergo. Resp. neg. mi. ad-  
prob. neg. ant. Non asserimus,  
quod beatum dici, id naturaliter  
fieri, quod miraculose fit; sic en-  
im non inferretur aliiquid ex mi-  
raculis, sed negarentur miracula:  
sed dicimus, quod sepe ex aliisque  
miraculo, vel effectu supernatura-  
li, possimus inferre aliiquid de ipsa  
natura rerum. Et sane ex mira-  
culo evcharistico efficaciter infer-  
tur, non, quod conversio illa na-  
turalis sit, sed, quod natura acci-  
dentium absolutorum sit talis, ut  
ipsa possint separata à substantia con-  
servari, adeoque ab hac sint realiter  
distincta: quod aliis argumentis  
tam efficaciter probari non potest.

1457. Sic ex actibus nostris supernaturalibus, quos elevati elicimus, inferimus, non, quod nobis naturale sit, eos elicere; hæc enim esset hæresis: sed, quod natura nostra sit ad eos actus supernaturaliter elevabilis: & sic etiam ex eo, quod rosa supernaturaliter producatur in hyeme, vel quantitas creativè conservetur in SS. Eucharistia, non inferimus, quod rosa, vel quantitati, hæc sint naturalia; sic enim negaremus miracula, contra communem sensum fidelium: sed tantum inferimus alia, e.g. rosam non essentialiter dependere à tempestate verna, nec quantitatem à subjecto. Adde, quod naturam quantitatis, ejusque potentiam sustentandi alia accidentia, non tam inferamus ex miraculo eucharistico, quam ex hoc principio naturali, quod miracula non sint multiplicanda sine necessitate.

Dices 2. Iuxta nos quantitas foret incorruptibilis, utpote subjectum accidentium: ergo esset perfectior qualibet forma substantiali materiali, quod est falsum, Resp. 1. neg. ant. saltem hoc non sequitur; nam, cum quantitas ipsa habeat pro subjecto materiam primam, posset destrui manente ejus subjecto, adeoque corrumpi. Resp. 2. om. ant. neg. conseq. Sicut materia prima, quantumvis incorruptibilis, non est perfectior forma substantiali corruptibili, ita, & adhuc majore ex ratione, quan-

titas, licet incorruptibilis, non est perfectior forma substantiali corruptibili. videantur dicta n. 34.

1458. Ob. 3. contra 4 conclus. Accidentia perficiunt intrinsecè materiam, & formam: ergo recipiuntur immediatè in materia, & forma, adeoque istæ sunt eorum subjectum, saltem informationis strictè dictum. prob. ant. forma, & materia, intrinsecè melius se habent cum accidentibus: ergo per ista perficiuntur. Resp. neg. conseq. ad prob. conc. totum, Poteat aliquid perfici ab altero, mediare tantum unito, modò hoc alterum ordinetur ad illud, tanquam ad suum finem cui, atque ad eius bonum intendatur, & serviat, ex dictis n. 366. hoc autem verificatur de accidentibus respectu materiarum, & formarum: & hinc accidentia etiam possunt dici proprietates, passiones, instrumenta formarum, atque forma cum ipsis melius se habere &c.

1459. Dices 1. Unio inter materiam, & formam, recipitur immediate in materia, & forma: ergo etiam alia accidentia. prob. conseq. ista non minus perficiunt materiam, & formam, nec minus naturaliter indigent subjecto, quam unio: ergo. Resp. neg. conseq. ad prob. iterum neg. conseq. Ratio, cur unio debeat immediatè recipi in materia, & forma substantiali, non est, quod unio istas perficiat, aut subjecto indi-

indigeat, sed quod sit immediatus nexus materiae cum forma, & immediata communicatio unius cum altero, quae non possunt intelligi sine immediata receptione unionis in utroque extremo; neque enim in creatis potest unum immediatè connecti alicui alteri, nisi nexus immediatè recipiatur in ipso, & nisi vicissim per eundem nexus ipsi connectatur alterum.

Si forte velles opponere unionem hypostaticam, quae non recipitur in Verbo, facile reponerem, non oppertere difficultatem captu difficultissimam, & maximis fidei mysteriis annumerandam, transferre ad quasvis uniones naturales: adderem, admissa paritate inter illam unionem supernaturalem, & alias naturales, eo ipso negatum iri, quod unio necessaria recipiatur in materia, & forma: quo negato non amplius potest inferri, quod accidentia necessaria debeant in iisdem recipi.

1460. Dices 2. Accidentaliter magis sunt propter materiam, & formam, quam propter quantitatem; ergo debent immediatè uniri illis, non isti. Resp. neg. conseq. Recta temperies quatuor primarum qualitatum etiam magis est propter animam rationalem, quam propter materiam, aut quantitatem, quin tamen immediatè unitur animae rationali. Scilicet accidentia, propria alicui formae, ideo dicuntur magis esse propter

formam, quam propter quantitatem, aut materiam; quia magis determinatè debentur formæ, & huic magis serviant ad operandum, & existendum, quam alia accidentia: ad quae tamen, tam materia, quam quantitas, sunt indifferentes.

1461. Ob. 4. Accidentia tribunt plures denominations formæ: ergo debent huic immediatè uniri. prob. conseq. ideo accidentia materialia non vitalia non uniuertur animæ rationali; quia non tribuunt ei suas denominations: ergo, si has accidentia tribuant aliis formis, debent istis immediatè uniri. Resp. om. ant. (nam aliqui id negant, dicuntque, e. g. non formam ignis, sed ignem esse calidum) neg. conseq. ad prob. iterum, om. ant. (quia videtur debere subintelligi, non adesse aliam rationem quae probet, illa accidentia uniri animæ) neg. conseq. Argumentum est simile huic: *Equus non est homo; quia est brusum: sed arbor non est brusum: ergo est homo.* scilicet potest aliqua ratio esse sufficiens ad aliquid excludendum, quia sit ita necessaria, ut sine ipsa alterum excludi non possit: sic ad excludendum prædicatum hominis sufficit prædicatum bruti, sed non est necessarium; nam eodem modo sufficit prædicatum plantæ: & pariter ad excludendam immediatam unionem (saltem nisi ea aliunde probetur) sufficit, si res non tribuat denominationem:

nationem: sed non minus sufficit. alia ratio, à nobis in probatione adducta.

1462. Dices 1. Si accidentia possunt suam denominationem tribuere formæ, quin ei immediate uniantur, poterant etiam animæ rationales dici nigræ, vel albæ, quin etiam calor dici niger, si sit in subiecto nigro: sed hoc est ridiculum: ergo. Resp. neg. ma. Quod animæ rationales non denominantur albæ, vel nigræ, ratio non est, quod ipsis non sunt immediate unitæ albedo, aut nigredo; nam, etiamsi istæ essent immediate unitæ, tamen non denominarent illas albæ, aut nigras: sed ratio est; quia animæ non sunt subiectum capax ad has denominations; cum non habeant materialitatem, quæ requiritur ad capacitatem subiecti, in ordine ad eas denominations. Sic, licet Christo Domino sit immediate unita gratia sanctificans, quæ est forma denominans filium adoptivum Dei, tamen habeat denominationem ei non tribuit; quia ipse non est ejus capax; eoquod non habeat naturam extraneam: de qua re plura Theologi. Quod spectat ad calorem, iste nec est forma, nec subiectum nigredinis, & vicissim, adeoque nec tribuit nigredini, nec ab ea recipit denominationem.

Dices 2. Æthiops non dicitur simpliciter albus; quia albedo non recipitur in toto æthiope: ergo eti-

am non potest totus ignis dici calidus; si calor non recipitur immediate in ejus materia, vel forma. Resp. retorq. arg. Etsi nigredo non recipiatur in anima, seu forma æthiopis, tamen totus dicitur niger: ergo etiam totus ignis potest dici calidus. in forma. neg. conseq. quod autem ad hoc, ut homo possit dici simpliciter albus, requiratur, ut albedo sit in potissima parte superficie, vel cutis illius, ratio est; quia per album communiter hoc intelligitur. vide etiam dicta in *Logica* n. 251.

1463. Ob. s. contra s. conclus. Major est dependentia accidentis à causa efficiente, quam à materiali (quia sine causa efficiente accidens absolute non potest produci: potest tamen produci sine causa materiali) & tamen idem accidens potest mutare causam efficientem; nam e. g. calor, ab igne productus in aqua, postea remoto igne conservatur à Deo: ergo accidens etiam potest mutare causam materialem, seu transire ab uno subiecto substantiationis ad aliud. Resp. dist. ant. major est dependentia accidentis à causa efficiente in genere, quam à causa materiali in genere. conc. ant. major est dependentia à causa efficiente in individuo, neg. ant. & conseq.

1464. Accidens absolutum quod ad primam productionem non magis dependet à causa efficiente in individuo, quam à materiali in indivi-

individuo; quia est ad utramque et quae indifferens: at vero quoad conservationem minus dependet a causa efficiente in individuo, quam a materiali in individuo; nam potest quidem naturaliter conservari per aliam causam efficientem, at non per aliam materiale, ut habet communissimus sensus auditorum, judicantium, naturam velle quidem saepe subrogari aliam causam efficientem (cum prior saepe deficiat, vel certe saepissime non maneat applicata, adeoque, nisi alia subrogari naturaliter posset, effectus statim deberet perire): attamen nolle, subrogari aliam causam materiale; cum semper eadem quantitas, vel materia maneat, & quidem accidenti unita, consequenter sufficientissime applicata.

1465. Ob. 6. Potest idem subjectum recipere plura accidentia: ergo potest quoque idem accidens informare, etiam in sensu stricto, plura subjecta. Confirm. Forma substantialis potest mutare subjectum: ergo etiam forma accidentalis. ant. patet in anima rationali: & idem debet admitti in animalibus brutorum, si sint indivisibles; nam adgenerant in nutritione sibi semper novas partes materialia, & per evaporationem, vel aliam viam, saepe perdunt antiquas. Resp. neg. conseq. Illud est necessarium ad generationes, & corruptiones, a natura intentas, non autem istud. Ad confirm. iterum

neg. conseq. Anima rationalis potest naturaliter esse sine omni subiecto; unde non est mirum, quod illud etiam possit mutare. Si formæ brutorum sunt indivisibles (quod tamen plurimi negant), eadem mutatio est ipsis omnino necessaria ad earum nutritionem, a natura intentam: similis ratio non pugnat pro accidentibus.

1466. Ob. 7. Si quis manum, qua lapidem tenet, evibret quasi projecturus lapidem, & tamen eum non projiciat, seu è manu non emittat, sentiet majorem impulsum in brachio, quam sentiret, si lapidem è manu emisset: ergo impulsus ex lapide transit in brachium. Confirm. Si quis libero brachio sustinet pondus, valde fatigatur: si vero brachium imponat fulcro, mox fatigatio minuitur: ergo gravitatio, seu impulsus, ex brachio transit in fulcrum.

Resp. neg. cons. Experiencia refundi debet in impulsu impressum lapidi, qui in manu, tanquam in obstaculo, producit aliud novum impulsu: quod non fieret, si lapis è manu emitteretur. Ad confir. neg. conseq. Fatigatio brachii provenit ex intentione muscularum, qui cum sunt liberi, soli debent resistere ponderi, ideoque debent magis intendi, & consequenter fatigari: at, si accedat fulcrum, tunc hoc resistit maximè ponderi, adeoque musculi liberantur sua intentione, cessatque fatigatio.

1467. Ob. 8. Si lumen, quod est accidens, non potest mutare subiectum, debet admitti, quod non tantum, quando e. g. candelas accensa transfertur in aliud cubiculum, sed etiam, quando commovetur aer, vel lumen incidit in diversum medium, & refringitur, vel incidit in aliquod speculum, & reflectitur &c. semper producatur novum lumen: hoc est nimium: ergo. Confir. Debet ex eadem ratione admitti, quod ad

commotionem aeris etiam debeat produci novus semper sonus: hos etiam gratis dicitur: ergo. Resp. neg. mi. sed de lumine, Deo dante, alibi fusiis. Ad confirm. ma. fors potest negari; cum enim sonus sit, vel ipse tremor aeris, vel certe non propagetur sine aere, potest fors dici, quod & subiectum, & sonus, simul transirent de loco in locum: si hoc dici non possit, iterum neg. mi. verum etiam de sono alibi plura.

## QUÆSTIO SECUNDA.

### *De Alteratione.*

*Quid fit Alteratio, & Intensio, & Quomodo haec fiat.*

1468. *A*lteratio in genere, seu latius sumpta, est mutatio in qualitatibus: quid autem Qualitas sit, Aristoteles explicat de *Predicam.* tr. 2. c. 4. de *Qualitate, & quali.* sic scribens: *Qualitatem vero dico, secundum quam quales quidam esse dicuntur: communiter, & clarissima ita describitur: Accidens absolutum, distinctionem à quantitate.* Talem alterationem latius sumptam etiam subit aer, quando ex tenebroso fit illuminatus. *Alteratio in specie vero, seu strictius accepta, est mutatio in qualitatibus corruptivis, & habentibus contrarium: quales sunt calor, frigus &c. & in hoc sensu alterationem definit Aristoteles 1. de Gener. text. 23. his verbis: Alter. tom. II.*

*ratio quidem est, quando manente subiecto, sensibili existente, transmutatur in ejus passionibus, aut contrariis, aut mediis existentibus: brevius, & clarius dicitur: Mutatio in passionibus contrariis, aut mediis, manente eodem sensibili subiecto.*

1469. In hac definitione mutatio est genus, in quo alteratio convenit cum generatione, & corruptione substantiali: reliqua sunt differentia: per passiones autem intelliguntur qualitates: per contrarias intelliguntur se invicem ex subiecto expellentes, & sub eodem genere maxime distantes, ut sunt summus calor, & summum frigus: per medias intelliguntur, quae non maximè inter se distant, e. g. calor

lor ut quinque, & frigus ut quinque.

Debet autem manere *Subiectum sensibile*, seu compositum substantiale; alteratio enim dicitur dari, quando *Subiectum* fit alterum, & non aliud: cuius exemplum Philosophus *r. de Gener. text. 23.* adducit, si homo sanus postea ægrotet. Jam alteratio, tam latius, quam strictius sumpta, dividitur in intensionem, & remissionem. *Intensio est mutatio à qualitate minore ad maiorem in eodem subiecto*, ut cum aqua ex minus calida fit magis calida: *contra Remissio est mutatio à qualitate majore ad minorem in eodem subiecto*, ut cum aqua ex magis calida fit minus calida. Ubi tamen nota, hanc definitionem, vel descriptionem, esse intensionis, & remissionis in fieri potius, quam in facto esse; nam, si aliqua qualitas in eadem intensione aliquamdiu persisteret, non daretur mutatio: & tunc definiri, vel describi posset *qualitas major in eodem subiecto*: sicut *remissio qualitas minor in subiecto eodem*. Additur in eodem subiecto; quia intenso, & remissio, sunt species alterationis, in qua, ut modo dictum, debet manere idem *Subiectum*.

1470. In explicanda ista mutatione, præsertim intensione, valde usitati sunt Philosophis isti termini *ut octo*, *ut tria*, *ut unum &c.* & quidem per terminum *ut octo* intelligitur summa intenso: per ter-

minum *ut unum* intelligitur infimum initium intensionis: per terminos *ut septem*, *ut quinque*, *ut duo &c.* intelliguntur intensiones intermediaz. Vocantur etiam *Gradus intensionis*, per metaphoram à scala desumptam; quia per eos quasi per scalam ab infimo initio ad summam intensionem ascenditur, nempe à primo gradu per secundum, tertium &c. usque ad octavum.

Non tamen putandum est, qualitatem intensam, e. g. calorem in igne, esse tantum divisibilem in octo particulas realiter distinctas; nam est divisibilis in quamplurimas, ita, ut quilibet gradus in se contineat plures centenas; unde hic sumitur tantum numerus certus pro incerto. A quibusdam dividitur etiam alteratio in extensionem, & intensionem: & *Extensio alterativa* dicitur tunc dari, quando plura *Subiecta* alterantur: *Intensio vera*, quando idem *Subiectum* magis, seu intensius alteratur: e. g. quando plura cubicula calefiunt, est *extensio*: quando autem unum magis calefit, est *intensio*.

1471. Nunc declarandum est, quomodocumque intenso qualitatum fiat. Dixi *qualitatum*; non enim agimus de intensione, ab Atomistis asserta, quæ juxta ipsos constituit in majore, vel minore effluvio, aut intromissione corpusculorum; cum enim supra n. 242. efficaciter probaverimus, debere admitti qualitates, seu accidentia, à corpusculis reali-

reahiter distincta, negari non potest, has ipsas qualitates posse formaliter intendi : quamvis negare non velim, corpuscula, sive effluentia, sive immissa, saepe posse esse causam intensionis.

Non etiam hinc agimus de intentione actuum vitalium, e. g. sensationum, intellectionum, appetitum &c. nam supponitur, intentionem talium actuum non consistere in eo, quod aliquid quomodounque magis cognoscatur, vel appetatur (nam utique res aliquo modo magis extensivè cognoscitur, vel appetitur, per duas cognitiones, vel appetitiones, quam tantum per unam) sed consistere in clariore modo cognoscendi, vel efficaciore modo appetendi : qui modi juxta communem sunt ipsis cognitionibus, & appetitionibus identificati, nec possunt constitui ex conjunctis similibus actibus : certè ex additis sibi invicem pluribus cognitionibus probabilibus non constituetur unquam cognitio evidens, nec ex cognitionibus obscuris aliqua clarior, aut magis discretiva objecti : sicut nec ex additis sibi pluribus inefficacibus desideriis unquam constituetur desiderium efficax.

1472. Quare in his actibus vitalibus non potest fieri intensio per additionem similium actuum : an autem fieri possit per additionem dissimilium, e. g. cognitionis clarioris ad obscuram, res est incertior: attamen vix videtur taliter cognoscere.

scens rem clarius cognoscere per utramque, quam per solam cognitionem clariorem, posito etiam, quod simul manerent: quod tamen naturaliter unquam fieri difficulter probaretur: sed non vacat huic rei nimium immorari; unde de hac intentione abstrahimus. Addendum tamen hic, non eandem rationem esse de habitibus, si consistant in speciebus relictis ab actibus; hi enim se habent ad intentionem, ut aliæ qualitates; nam multitudo specierum similium servit, tum ad faciliorem excitationem earum, tum etiam ad faciliorem assensum, aut appetitum, ut patet ab experientias in qua tamen majore, vel minore facilitate, stat major, vel minor intensio habitus.

1473. Neque etiam hinc agimus de intentione motus successivi localis, qui, utpote essentialiter fluens, non potest fieri per additionem motus ad motum, neque etiam per additionem ubicationis ad ubicacionem; cum istae, utpote locis distinctis affixa, inter se addi, aut penetrari saltem naturaliter non possint; unde motus hujus intensio stare debet, vel in celeriore productione novarum ubicacionum, vel in productione majorum, prout diversæ sunt sententiae de continuo, de quo alibi.

Sed neque hinc agimus de intentione figuræ: e. g. si lamina ferrea minus curva fiat magis curva; nam, cum figura stet, tum in negatione

partium superfluarum, tum in situ, seu ubicationibus partium necessariarum, non potest talis intensio fieri per additionem ubicationum, ex ratione modò allata, sed debet constitui per productionem novarum ubicationum: si tamen figura capax est veræ intensionis, quod expressè negat Suarez *disp. 46. Metaph. sec. 2. n. 10.* verum his, & aliis omisssis, agimus nunc de intensione qualitatum corruptivarum: & de his solis procedit nostra conclusio *s. 1485.* statuenda.

**1474.** Prima itaque sententia est Aegidii apud Suarez *disp. 46. Metaph. sec. 1. n. 26.* volentis, intensionem fieri per depurationem à contrario, e. g. frigus intendi in aqua per depurationem à calore, vel per istius expulsionem. Sed, nisi tantum intelligatur, quod ista depuratio sit aliquid requisitum, ad intensionem, vel cum ea connexum, ut putat Suarez *loc. cit.* ab Aegidio intelligi, hæc sententia vera esse non potest; nam omisso, quod aliqua qualitates, quæ non habent contrarium, intendantur sine hac depuratione, ut lux in aëre, & habitus supernaturales gratiæ, & virtutum in homiae justo.

Contra est 1. Si frigus intenditur per depurationem à calore, tunc calor intendetur per depurationem à frigore: nec tamen ista depuratio fieri instantaneò, aut indivisibiliter, sed successivè, & per partes, ut est manifestum ab experientia: ergo,

tan calor, quam frigus, debent habere partes, quæ successivè expellantur in remissione (nam intensio unius contrarii est remissio alterius) adeoque etiam pariter debent per partes crescere in intensione. Sane, si calor, quando depuratur à frigore, non crescat quoad aliquas partes, est imperceptibile, quomodo postea frigus possit successivè intendi per depurationem à calore: ergo intensio, & remissio non fit per puram depurationem à contrario, sed per incrementum partium unius, & per decrementum partium alterius qualitatis. Contra est 2. Supernaturaliter possunt conjungi duo contraria in maxima intensione: & sic putant quidam in damnatis conjugendum summum frigus, & summum calorem: ergo intensio non stat in depuratione à contrario. Quod autem qualitas, magis depurata à contrario, possit magis agere, non probat, eam esse magis intensam, ut dicemus *n. 1483.*

**1475.** Secunda sententia est Durandi, & aliorum, apud eundem Suarez *disp. 46. Metaph. sec. 1. n. 2.* docentium, intensionem fieri per destructionem prioris qualitatis imperfectioris, & productionem novæ qualitatis perfectioris. Sed contra est. In hac opinione non potest explicari remissio; si enim intensio fit per productionem novæ qualitatis perfectioris, remissio debet fieri per successivam productionem qualitatis imperfectioris: sed hæc

hec produci non potest; cum nulla adsit causa ejus productiva: e. g. si aqua fervens fit tepida, nulla adest causa producens teporem, sive minorem calorem: ergo.

1476. Prob. mi. Talis causa non est ignis, qui supponitur, vel extintus, vel remotus: non aqua; quia ipsi calor, præsertim ut quinque, qui sape deberet produci, est omnino violentus: non Deus; quia ad hunc non debet recurri, si res alia vi possit explicari: non aër ambiens, qui sape est frigidior, quam aqua, præsertim initio remissionis: non calor præcedens; quia ponitur destrutus: vel, si quis dicere vellet, calorem e. g. ut sex, ultimo instanti sue existentia, producere calorem ut quinque, deberet admittere, in eo instanti dari majorem intensiōnem, quam antecedenter fuerit; nam deberent simul in subjecto dari calor ut sex, & calor ut quinque: quod est contra omnem experientiam: ergo.

Confirm. In sententia Durandi non potest dari actio, & reactio, præsertim suppositis nostris principijs, juxta quæ accidentia ad extra, e. g. calor, & frigus, non producuntur à substantia, sed ab accidentibus ad intra: ergo non debet admitti. prob. ant. dum frigidum agit in calidum, & vicissim, adeoque tam calor in calido, quam frigus in frigido minuitur, deberet juxta Durandum totus calor, & totum frigus destrui: atqui hoc non po-

test dici: ergo. prob. mi. sic in primis deberet calor, & frigus, se mutuo destruere, quando non amplius darentur (quia statim in primo instanti frigus, & calor totaliter destruerentur) dein non haberetur illa causa, de novo productiva caloris, aut frigoris, ut constat ex modò dictis: ergo.

1477. Tertia sententia est Thomistarum, afferentium, intensionem fieri per majorem radicationem qualitatis in subjecto. Sed in primis (in quoconque consistat hæc radicatio) vel adveniente majore radicatione destruitur minor, vel non. Si dicant adversarii primum, incident in sententiam Durandi, quam nolunt, quamque jam refutavimus: si secundum, intensio fit per additionem radicationis ad radicationem: at longè intelligibilius dicitur, eam fieri per additionem qualitatis ad qualitatem. Rursus juxta hanc opinionem qualitas intensa, & remissa, non different ratione sui, adeoque, si separarentur à subjecto, non esset inter eas ultimum discrimen, quod est contra sensum communem: ergo.

1478. Dein (quod præcipue notandum) adversarii nunquam possunt satis ad captum explicare, in quo consistat hæc major radicatio. Evidem aliqui dicunt, eam consistere in productione perfectioris existentia qualitatis.. Sed, ut probavimus n. 370 essentia, & existentia rei, sunt idem, adeoque in hoc

casu productio perfectioris existentiaz est productio perfectioris qualitatis. Jam, vel prior existentia, aut qualitas destruitur: & hæc sententia est re ipsa sententia Durandi, quæ jam est rejecta: vel non destruitur: & intensio fit per additionem qualitatis ad qualitatem, seu gradus ad gradum, quamvis fors isti ponantur esse heterogenei, de qua controversia paulò inferius plura.

1479. Alii volunt radicationem majorem stare in productione melioris unionis. Sed preterquam, quod etiam isti dicere non possint, an unio prior imperfectior semper destruatur, an non, etiam non potest explicari, in quo stet melior unio; neque enim debet esse tantum quomodo cunque materialiter melior, ut videtur clarum, sed debet esse melior formaliter in ratione uniendo: ergo ejus perfectio, seu melioritas, videtur non posse in alio stare, quam in hoc, quod extrema reddat à se invicem difficultius separabilia: sed sic melior erit unio qualitatis remissæ; nam e. g. remissus calor longè difficultius expellitur, quam intensus: si aliud intelligent, ad captum explicit, & poterimus illud etiam impugnare.

1480. Alii dicunt, radicationem majorem stare in eo, quod qualitas profundius educatur ex subiecto, vel inducatur in subiectum. Sed istæ sunt metaphoræ, & indigent declaratione. Vel enim profundius educi, aut induci, est tantum

pluribus, & magis internis particulis uniri: & est extensio, non intensio: vel est aliquid aliud: & debet explicari. Alii tandem cum Goudino dicunt, hanc radicationem stare in modo, qualitati superaddito, & ab ejus unione distincto. Sed contra est: si dicunt, priorem modum qualitatis, qui constituit minorem ejus intensionem, debere destrui, incident in sententiam Durandi: si autem dicunt, cum modum non debere destrui, longè melius admittitur additio qualitatis ad qualitatem, quam additio modi ad modum: dein non debent sine ratione valde gravi induci novi modi; nam semper velle denominaciones explicare per novos modos, est multiplicare modos sine modo: & cur non etiam dicunt adversarii, calorem, & frigus, tantum differre ratione diversi modi?

1481. Quarta sententia est Cardinalis Ptolemæi, qui *disp. 22. Phys. general. sec. 2. n. 6.* docet, pro diversitate qualitatum etiam esse diversas intensiones: & addit, nolle se loqui de intensione gratia sanctificantis, vel habituum supernalium, aut etiam actuum vitalium, sed tantum de intensione primarum qualitatum, & præcipue caloris: dein *n. 9.* asserit, intensiō nem istarum qualitatum consistere in certa modificatione ejusdem individui, e. g. caloris. Ait ulterius, *n. 11.* quod, sicut crystallus, licet recipiat lucem, non tamen illuminatur

natur(id est, non fit visibilis) quamdiu manet diaphana, mox autem illuminatur, quando, vel per contusionem, vel per attritionem, modificatur, ut fiat opaca, ita etiam possit idem calor fieri intensus per aliquam modificationem.

Postea n. 13. videtur, hanc modificationem constituere in ipso calore, informante subjectum, & connotante actum primum proximum, ab aliis requisitum ad productiōnem plurium graduum qualitatis. Tandem n. 14. ob. 2. 3. *contra* 3. admittit, intensiōnem fieri per additionem modalitatis ad modalitatem: simul tamen negat, eas modalitates esse aliquid realiter distinctum ab ipsa qualitate: quæ omissa forte non immixtum videri possunt satis obscurè dicta.

1482. Sed quidquid de hoc sit: contra est. Hæc opinio admittit, & ne incidat in sententiam Durandi, n. 1475. rejectam, debet admittere, quod intensio fiat per additionem modificationis ad modificationem: atqui longè perceptibilius dicitur, quod fiat per additionem gradus ad gradum; nam facile ab omnibus, nullo præjudicio occupatis, capitur, quod in corpore magis calido, vel frigido, detur plus calor, aut frigor, quam in alio: item, quod in corpore magis lucido, detur plus lucis, quam in alio: & adversarius *loc. cit.* n. 14. ob. 1. 3. *contra* 3. contra communem sensum negat, quod in particula solis

non sit plus lucis, quam in quavis candela, molem talis particulæ solaris adæquante. Deinde percipi non potest, nec etiam verum est, quod modificationis qualitas non sit ab ista realiter distincta, de qua regimus suprà n. 113. Rursus vix etiam percipi potest, quomodo per aliquam modificationem, vagè assertam, nec ad captum explicatam, qualitas fiat intensa.

1483. Si replicetur, hanc modificationem esse informationem caloris, sive ejus unionem cum subjecto, & connotationem actus primi proximi, ab aliis requisiti, non satisfit intellectui; meritò enim iterum querit, quid sit ista connotatio. Evidem ad mentem hujus auctoris non videtur aliud esse posse, quam qualitas unica, & actus primus proximus: sed qualitas unita est penitus indifferens ad intensiōnem: & actus primus proximus potest quidem esse causalis, at non formalis determinatio ad intensiōnem, aut formalis intensio: sicut actus primus proximus ad calorem est tantum causa caloris, & non ipse calor.

Verum est, quod qualitas propter diversum actum primum proximum possit fieri diversimodè activa: at non potest fieri diversimodè intensa; nam hæc valde diversa sunt: sic idem in se calor citius magis calefacit lanam, vel pelles, quam sauum; quia ex parte actus primi datur diversa dispositio subjecti: at non

non propterea est magis intensus, dum agit in pelles, quām, dum agit in saxonum; siquidem calor intensus potest cum eodem actu primo proximo, & in iisdem circumstantiis, per se plus agere, quām remissus.

1484. Quinta tandem sententia Scotistarum, Nominalium, & nostrorum communissima est, intensionem istarum qualitatum fieri per additionem partis ad partem, sive gradus ad gradum. An hanc etiam tenuerit S. Thomas, videre poteris apud Hurtadum de *Generat. & Corrupt. disp. 5. de alterat. & ejus sermino. sec. 5* ubi conatur ostendere, S. Doctorem ab hac sententia differre quidem quoad modum loquendi, non verò quoad rem; cùm admittat in qualitate, idem subjectum informante, partes realiter distinctas, et si non admittat numero distinctas; eoquod juxta Ange-

licum distinctio numerica qualitatum desumi debet ex distinctione numerica subjectorum.

1485. Dico. Hæc ultima sententia est aliis probabilior, & absolute tenenda, saltem circa intensiōnem qualitatum corruptivarum, ut jam notatum n. 1473. Prob. conclusio præcipue negativè. Alii modi explicandi intensionem, hucusque adducti, ut patet ex dictis, non subsistunt: nec videtur alius melior excogitabilis, quām hic ultimè alatus: qui insuper est satis clarus, expeditus, ac captu facilis: ergo est tenendus. Confirm. à pari. Extensiō qualitatis fit per hoc, quod plures gradus, seu partes ejusdem qualitatis, inducantur in alias, & alias partes subjecti: ergo intensio fit per hoc, quod plures partes, seu gradus ejusdem qualitatis, inducantur in eandem partem subjecti.

## ARTICULUS II.

### Solvuntur Objectiones.

1486. **O**b. 1. pro sententia Durandi contra dicta n.

1475. In omnimatione perit terminus totalis à quo: ergo etiam in intensione: sed in hac terminus à quo est intensio minor, seu qualitas imperfectior: ergo hæc perit. Resp. dist. subsumpt. terminus à quo est intensio minor qua talis. conc. subl. est intensio minor, qua talis. neg. subl. & conseq. Scilicet in hoc

casu terminus à quo est intensio minor, ut involvens negationem pluriū graduum: si ergo addantur plures gradus, eo ipso tollitur ista negatio, constituens intensionem minorē ut tales: sublata autem una parte jam perit totum, nec est necesse auferri plures partes, aut ipsas qualitates. Idem debent solvere adversarii in mutatione extensionis à minore ad majorem, ut patet consideranti.

1487. Ob.

*Quid sit Alteratio, & Intensio, & quomodo hac fiat.* 601

1487. Ob. 2. Intensio qualitatum est motus successivus: ergo se habet ut motus localis: sed hic non potest intendi per additionem gradus ad gradum: ergo. Confirma. Lumen intenditur, non per additionem gradus ad gradum, sed per productionem luminis semper novi, & perfectioris: ergo etiam aliae qualitates ita intenduntur. Resp. dist. ant. intensio est motus successivus, hoc est, motus successivè productus. conc. ant. motus essentialiter fluens. neg. ant. & conseq. dein conc. subs. neg. iterum conseq. Ad confirm. om. ant. neg. conseq. De lumine alibi erit sermo: interim disparitas sufficiens est, quod lumen non spectet ad qualitates corruptivas, de quibus solis loquitur conclusio: item, quod in casu mutationis luminis semper adsit causa productiva, tam perfectioris luminis in intensione, quam imperfectioris in remissione: non autem ita se res habeat in qualitatibus corruptivis.

1488. Ob. 3. Potest in intentione unius qualitatis assignari causa remissioris, seu imperfectioris qualitatis contrarie: ergo potissima ratio contra Durandum est nulla. prob. ant. potest assignari Deus: ergo. prob. ant. non est absurdum juxta nos recurrere ad Deum in conservatione qualitatis antiquæ remissa; quia hanc exigit bonum universi; eoquod in-

mediatus transitus ab uno extremo ad aliud, e. g. à summo calore ad summum frigus, secum ferret plurimum entium, præsertim viventium, destructionem: sed ex eadem ratione bonum universi exigit productionem qualitatis imperfectoris in remissione; ergo etiam non est absurdum, in ista recurrere ad Deum.

1489. Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. ad prob. neg. mi. Facilè omnes Philosophi admittunt, quod conveniens sit recurrere ad Deum in conservatione, tum substantiarum, tum etiam accidentium, à causis, à quibus conservari possint, remotorum, e. g. caloris in aqua post remotum ignem; nam, cum ipsis nulla possit assignari causa secunda conservans, debet assignari prima, ob exigentiam universi, in objections adductam. At non ita se res habet in prima rerum productione; nam, si de ista agitur, omnes Philosophi maximè diligentè inquirent in causas secundas, & vix aliquis audet unquam recurrere ad Deum: certè communissime scientiunt, talera recursum sine aperta necessitate esse inconvenientem. Quare hoc ipso, quod non possit assignari causa novi effectus, nisi Deus: experientia autem possit explicari per conservationem antiqui effectus, convenientius dicitur, à Deo conservari antiquum.

1490. Dices 1. Posset dici, Gg gg quod

quod ipsa aqua, dum se reducit ad frigus, producat calorem remissum: ergo. prob. ant. arcus violenter curvatus, dum reducit se ad connaturalem situm, producit intermedias ubicationes semper minus, & minus curvas: item lapis, ex alto decidens, producit in aere ubicationes semper minus, & minus altas: ergo etiam aqua potest producere calorem, semper minorem, & minorem. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Arcus, & lapis, naturaliter non possunt pervenire ad suum finem, si tantum conservarentur antiquæ ubicationes, sive omnes, sive aliquæ.

Unde debent produci aliquæ novæ, consequenter, cum in productione novorum effectuum non facile debeat recurri ad Deum, debet potius dici, quod ipse arcus, & lapis, possint producere tales ubicationes novas, ad finem ipsorum necessarias, adeoque ex dictis n. 700. non simpliciter violentas; præsertim, cum sine tali potentia non videatur posse explicari vis elastica in arcu, & gravitas in lapide. At in aqua nulla similis est necessitas, admittendi potentiam producendi calorem; cum nulla nova productio sit necessaria, sed experientia facile explicetur per conservationem aliquot antiquorum graduum caloris.

1491. Dices 2. Saltem potest dici, calorem remissum produci ab igniculis, in aquam ab igne im-

missis, & successivè per evaporationem imminutis, adeoque minus agentibus: ergo. Resp. neg. ant. Etsi forte in aliquo casu hæ ratione possit assignari causa remissioris caloris, tamen id non potest universaliter fieri, & consequenter non potest intensio, ut debet, uniformiter explicari; nam, sicut non sola aqua frigus, ita verosimilius non solus ignis potest producere calorem: adeoque potest absque igniculis calor intendi. Dein sèpè aqua calefit per specula caustica intensissime, ubi, ut suo loco probabimus, non datur immissio igniculorum, sed accidentalium radiorum calidorum. Tandem valde difficulter capitur, quod, tam immissio, quam evaporationi igniculorum, in omnibus partibus aquæ, etsi ingens hujus copia in diversis vasis calefiat, tam æqualis sit, quam æqualem, saltem ad sensum, intensiōnem, aut remissionem caloris, in omnibus talibus vasis experientia monstrat. Et quomodo fiet remissio frigoris, dum manus, e. g. hyeme valde frigefactæ, iteram ad nativum calorem se reducunt? quænam tunc corpuscula frigus, minus, & minus causant? Sanè incredibiliter assignarentur aquæ, vel nivea: quomodo enim, cum crastiora sint, potuissent in tanta copia poros manuum penetrare?

1492. Dices 3. Deus nunquam conservat accidentia: ergo neque calorem

calorem in aqua: ergo hic debet conservari ab igniculis. prob. ant, si Deus conservaret accidentia, tunc illa, quae non habent contrarium, e. g. lumen, nunquam destruerentur: hoc est contra experientiam: ergo. Resp. neg. ant. quod est contra communissimam Peripateticorum. ad prob. neg. ma. Licet Deus aliqua accidentia, quorum existentiam, remotâ etiam causâ secundâ, potente ea conservare, probat experientia, conservet ob exigentiam universi, ut dictum n. 1482. non sequitur, quod conservare debeat omnia, & etiam illa, de quibus nullâ experientiâ constat, quod conserventur remotâ causâ secundâ, potente ea conservare, ut nullâ experientiâ constat, lumen conservari remotâ omnî causâ lucida.

Quare talia accidentia, et si non pereant ratione contrarii, tamen pereant ob defectum cause conservantis, vel etiam ob defectum finis; quia finis ipsorum non est semper, sed alternatim suo tempore existere; alias saepe obessent aliis, e.g. lumen perpetuum oculis fatigatis, & capiti somnolento, atque in nebris suavius dormienti, quam in pleno lumine, quod excludi non posset, si indestruibile esset: & hinc datur etiam aliqua exigentia in universo, ut istæ qualitates non sint perpetuae, sed mutabiles.

1493. Ob. 4. pro sententia Thomistarum contradicta n. 1477. Ea-

dem forma potest perfectius, & imperfectius, informare idem subjectum, seu perfectius, & imperfectius eidem subjecto uniri: ergo potest diversitas intensionis refundi in diversitatem unionis. prob. ant. eadem anima perfectius unitur cerebro, quam ossibus; quia in illo potest elicere sensationem internam, non in ipsis: ergo. Resp. neg. ant. quidquid sit de bonitate consequentiæ. ad prob. iterum neg. ant.

Cum anima immediatè uniatur soli materia, non autem accidentibus, aut formis partialibus, si quæ dantur, adeoque extrema unita in cerebro, & in ossibus, sint ejusdem rationis, etiam unio est ejusdem rationis. Quod autem anima in cerebro eliciat sensationem internam, non vero in ipsis, non fit ratione diversæ unionis, sed ratione diversi organi. Idem respondendum est, si objiciatur, species visivas non tam perfectè uniri aeri, quam oculo; cum in isto, & non in illo visionem causent; nam iterum hoc refunditur in diversitatem aeris, & oculi, utpote organi ad videndum.

1494. Dices. Esse formaliter calidum est habere unicum calorem: ergo esse formaliter magis calidum, est habere calorem magis unicum. Resp. dist. ant. id est, esse formaliter calidum est habere unionem caloris. neg. ant. est habere calorem ipsum, & quidem

Gg gg 2

unitum. conc. ant. & dist. etiam conseq. esse magis calidum est habere majorem unionem caloris. neg. conseq. est habere majorem calorem unitum. conc. conseq. Nempe forma denominans calidum non est unio, sed calor unitus: sicut forma denominans corpus vivens non est unio animæ, sed anima unita.

1495. Ob. 5. contra nostram sententiam n. 1485. statutam. Aristoteles *Phyfic. text. 84.* dicit, quod fiat ex calido magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non erat calidum, quando minus erat calidum: ergo intensio non sit per productionem, sive additionem novi gradus caloris. Resp. neg. conseq. Est clarum legenti totum illum textum, quod Philosophus ibi tantum velit, ad hoc, ut fiat aliquod subjectum magis calidum, non requiri, ut aliquæ novæ partes ei addantur, & calefiant: vel, ut calor propagetur in alias partes subjecti, que prius non erant calidae: quod neque juxta nos est necessarium ad intensionem, sed ad extensionem; unde in intensione non calidum calido, sed calor calidæ addi debet.

1495. Ob. 6. Aristoteles de *Predic. 1r. 2. c. 4. de qualit. sub. fin.* ait, quod quidem qualia in concreto suscipiant magis, & minus, non autem qualitates in abstracto, e.g. quod quidem dicatur magis,

vel minus justus, aut albus, non tam magis, vel minus justitia, vel albedo: hoc juxta nos non esset verum: ergo. Resp. dist. ma. Aristoteles dicit, quod qualitates non suscipiant magis, & minus, in ratione essentiali. conc. ma. in ratione integratatis. neg. ma. & dist. sic. mi. neg. conseq. Utique definitio justitiae convenit omnibus & equaliter, adeoque una justitia non potest in ratione essentiali, seu quoad partes metaphysicas, genus, & differentiam, esse magis justitia, quam altera: potest autem esse major, vel minor, quoad partes integrales, ita, ut una constitutur ex pluribus gradibus, quam altera.

Nec dicas, quod etiam *justus in concreto* non recipiat magis, & minus, in ratione essentiali, adeoque Aristoteles non sit in hoc sensu locutus; nam negatur suppositum; *justus* enim non est concretum esse entiale, sed accidentale, & sumitur accidentaliter: e contra *justitia*, cum sit terminus abstractus, hoc ipso non potest sumi accidentaliter; quia nihil dicit, accidentaliter adveniens sibi, sive suo recto. Conimbreenses in *hunc locum* ajunt, qualitates non suscipere magis, & minus logicè, sed ut ipsis istæ particulæ addantur, & dicatur *magis justitia*, *minus justitia*: suscipere tamen magis, & minus physicè: hoc est, posse augeri, vel minuti.

1497. Ob. 7. Est commune axioma: *Essentia rerum consistunt in indivisibili*: ergo etiam essentia qualitatum: ergo istis nihil potest addi, vel demi. Resp. dist. ant. consistunt in indivisibili, quoad essentiam. conc. ant. quoad integratem. neg. ant. & conseq. Hoc est: nulli rei potest addi, vel demi aliquod praedicatum metaphysicum, seu essentialie, quin destratur prior, & fiat nova essentia ejus: potest tamen addi, vel demi aliqua pars integralis, & sic fieri major, vel minor. Et quis dicat, essentiam aquæ destrui, vel mutari, si ei affundatur alia aqua, vel pars ejus aliqua collatur? Idem responderetur. ad simile axioma ex Aristotele & Metaph. text. 10. desumptum: *Essentia rerum se habens sicut numeri*; nam ipse Philosophus eod. loc. se explicat, quod scilicet, sicut numerus mutatur, addita, vel dempta unitate, ita etiam mutetur essentia, vel, ut ipse habet, *definitio*, addito, vel dempto praedicato. videri etiam potest S. Thomas 1. p. q. 25. a. 6. in corpore: item dicta in Logica n. 630.

1498. Ob. 8. Nulla qualitas habet partes integrales, sed has sola habet quantitas: ergo qualitas non potest intendi per additionem graduum, aut partium. Confirm. Omnis qualitas est ens simplex: ergo non est composita ex partibus, nec in has divisibilis. Resp. neg. ant. Goudinus quidem

dicit, esse ridiculum concipere qualitatem intensam, tanquam cumulum qualitatularum: sed id non probat, nec ejus existimatio debet prævalere plurimis gravissimis auctoribus aliter sentientibus. Ad confirm. dist. ant. qualitas est ens simplex essentialiter. conc. ant. integraliter. neg. ant. & dist. conseq. non est composita ex partibus physicè essentialibus. conc. conseq. ex partibus integralibus. neg. conseq. Etiam elementum, e. g. aqua, dicitur ens simplex; quia scilicet non est compositum ex aliis elementis, realiter, vel virtualiter inexistenteribus: & tamen utique est divisibile in partes integrantes: multò autem minus qualitas est composita; nam neque est composita ex partibus physicè essentialibus, seu ex subjecto, & forma, ex quibus tamen compositum est elementum: & hinc qualitas verissimè dicitur ens simplex, quamvis sit composita ex partibus integralibus, & in has divisibilis.

1499. Dies 1. Itæ partes qualitatis non sunt continuæ; quia non sunt sibi contiguae, aut unione continuativa immediatè unitæ, quod tantum competit partibus quantitatis: nec etiam sunt discrete, sive ab invicem separatae existentes; quia qualitates discrete non faciunt intensionem: ergo sunt nullæ. Resp. om. ant. neg. conseq. nam partes qualitatis in casu intensionis, sibi nec sunt continuæ,

tinuæ, nec discretæ, tamen pos-  
sunt esse in eadem parte subjecti  
compenetratæ, sive mediæ unitæ:  
sicut juxta adversarios diversæ qua-  
litates, e. g. calor, & frigus in  
eodem mixto, nec sunt continuæ,  
nec discretæ, sed compenetratæ,  
& mediæ unitæ: & per hanc com-  
penetrationem, ac unionem, habe-  
tur discrimin inter intensionem,  
& extensionem; nam in ista par-  
tes qualitatis non compenetrantur,  
aut mediæ in eodem subjecto,  
sive in eadem parte subjecti, uniun-  
turi: sed recipiuntur in diversis par-  
ibus subjecti.

1500. Dices 2. Vel gradus su-  
peradditus esset perfectior præce-  
dente, vel non: neutrum potest  
dici: ergo. prob. mi. non potest  
dici primum; alias gradus præce-  
dens esset superfluus: non secundum;  
quia superadditus nihil pro-  
dedit; eoquod præcedentem non  
eveheret ad majorem intensionem:  
ergo. Resp. neg. mi. ad prob.  
iterum neg. mi. Primum mem-  
brum non est verum; nam, sicut  
argenteus nummus non est super-  
fluus præsente aureo; quia cum  
hoc potest constituere complexum  
pretiosius solo aureo, ita etiam non  
est superfluus gradus præcedens  
imperfectior; quia potest cum per-  
fectiore constituere complexum  
magis intensum, quam sit solus gra-  
dus perfectior.

Secundum membrum non est  
verum; quia additus gradus simi-

lis, licet non faciat præcedentem in  
se perfectiorem, tamen potest cum  
ipso constituere complexum magis  
perfectum, vel intensum, quam  
esset unus gradus solus: adeoque  
potest facere intensionem, &  
subjectum ipsum reddere intensius,  
conjungendo in eo plures gradus,  
quorum virtus conjuncta est for-  
tior: & hoc intelligunt multi au-  
tores, quando dicunt, quod qua-  
litas per intensionem perficiatur,  
scilicet, non, quod quilibet gradus  
seorsim, sed tantum, quod com-  
plexum graduum, seu qualitas ex  
gradibus constituta, perficiatur,  
sive augeatur, per eosdem gradus  
mediæ unitos, & magis etiam acti-  
va reddatur: an autem unus gra-  
dus sit perfectior altero, dicemus  
n. 1507.

1501. Ob. 9. Non possunt  
plura accidentia ejusdem speciei  
inesse eidem subjecto: ergo nec  
plures partes, aut gradus ejusdem.  
prob. ant. accidentia non distin-  
guuntur numero, nisi ratione di-  
stincti subjecti: ergo. Resp. neg.  
ant. ad prob. iterum neg. ant. res  
eiam quilibet distinguitur nume-  
ro ab altera, non per subjectum,  
sed per prædicatum individuale,  
sibi realiter identificatum: certè,  
si calor Petri, & calor Pauli, con-  
servarentur extra omne subjectum,  
non propterea identificarentur,  
sed unus non esset alter, sicut prius.  
vide etiam dicta in Logica n. 624.

Dices

Dices 1. Non possunt recipi plures ubicationes similes in eodem subiecto: ergo neque plures qualitates similes. Resp. 1. retorq. arg. Non potest ubicatio magis radicari, vel modificari in eodem subiecto: ergo neque qualitas. Resp. 2. neg. conseq. Plures ubicationes similes in eodem subiecto non haberent finem naturaliter intendibilem (quid supernaturaliter fieri possit, non est hujus loci decidere) at plures gradus qualitatis in eodem subiecto habent finem naturaliter intendibilem, scilicet intensionem: quin immo ad istos datur exigentia in agente, quod saxe potest producere, adeoque, quia est causa necessaria, actu producit intensionem: insuper etiam passum, saltum, si hoc sumatur pro toto composito, saxe ratione temperamenti sibi debiti exigit aliquam intensionem certae qualitatis.

1502. Dices 2. Non possunt in eodem subiecto dari simul plures formæ substanciales: ergo nec accidentales. Resp. neg. conseq. Ratio suprà n. 555. adducta, quæ probat, non posse simul dari in eadem parte materiaæ plures formæ substanciales, nullatenus probat, etiam dari non posse plures accidentales.

Dices 3. Plures formæ substanciales, receptæ in eodem subiecto, non facerent intensionem: ergo etiam hanc non faciunt plures formæ accidentales, seu qualitates.

Resp. 1. retorq. arg. Etiam major radicatio, vel modificatio formarum substantialium non faceret intensionem. Si dicant, formas substanciales non posse magis radicari, vel modificari, quæro, quare non; cum possint radicari qualitates, à quibus ipsimet faciunt paritatem: certè debent respondere; quia formæ substanciales non possunt intendi: adeoque.

Resp. 2. neg. conseq. Formæ substanciales non sunt capaces intensionis: certè in hoc conveniunt omnes auctores cum Aristotele de Practic. tr. 2. c. i. de Substancia post medium. ubi hoc pluribus probat. Insuper nulla prorsus experientia monstrat, eas unquam intendi, ut tamen frequens experientia monstrat intendi qualitates: quod autem in naturalibus nunquam fit, censandum est, non posse fieri, ut probavimus n. 378. vide etiam Arriagam disp. 1. Metaph. sec. 2. & n. 39. item Suarezum disp. 46. Metaph. sec. 2. n. 6. ubi sic discurrit. Si forma substantialis posset intendi, & remitti, tunc forma aquæ intencè calefactæ deberet remitti: sed hoc non fit; alias enim aqua non posset sibi recuperare, seu reparare suam priorem intensionem, & consequenter neque priorem intensionem frigoris: quod est contra experientiam.

1503. Dices 4. Si possunt plures gradus ejusdem qualitatis in specie recipi in eodem subiecto, non

non est ratio, cur non possint recipi infiniti: sed hujus rei debet esse aliqua ratio: ergo. Resp. 1. retorq. argum. in qualitatibus dissimilibus, quæ possunt plures recipi, sed tamen non infinitæ. Resp. 2. neg. ma. nam quodlibet agens naturaliter tantum exigit certam mensuram propriocatum, & accidentium: sed & quodlibet agens naturaliter tantum exigit, producere qualitates ad extra in certa mensura, quæ nunquam est æqualis, vel certè nunquam major, quam sit mensura intensionis in agente: hæc autem nunquam est infinita. Quid supernaturaliter fieri possit, ruitum dependet à possibilitate infiniti, de qua alibi.

1504. Ob. 10. Si intensio fieret per additionem gradus ad gradum, deberent in quavis minima parte subjecti produci innumeri gradus: sed hoc est incredibile: ergo. prob. ma. Sæpe singulis momentis, vel in aëre, vel in alio subjecto, augetur nonnihil calor: ergo deberet semper aliis gradus produci. Resp. neg. mi. in primis enim hoc non est incredibile in extensione, e. g. si calor semper in profundioribus terræ partibus producitur. Dein hoc est longè credibilius, quam quod innumeris vicibus, vel destruatur tota antiqua qualitas, & producatur totaliter

nova: vel, quod destruatur prior radicatio, aut modificatio, & iterum producatur totaliter nova. Tandem nil videtur incredibile in hoc, quod causa necessariæ, habentes totum actum primum proximum expeditum, singulis momentis agant, & suum effectum producant.

1505. Dices. Si intensio fieret per additionem gradum, tunc, si compenetrarentur duo subjecta, quorum quodlibet esset intensum ut quatuor, e. g. duæ aquæ frigide ut quatuor, daretur intensio ut octo: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. utenim detur certa intensio strictè dicta, debent esse in eodem subjecto illi plures gradus, qui eam intensionem constituant, adeoque debent gradus uniri eidem subjecto, & consequenter mediata inter se: quin etiam videtur ad intensionem strictè dictam, non quidem sufficere, sed tamen requiri, ut qualitas intensa possit saltem per se plus agere: at non videntur tales octo gradus compenetrati plus agere posse, quam quatuor; cum enim in tali casu cum octo gradibus frigoris compenetrarentur etiam octo gradus caloris (nam quælibet aqua frigida ut quatuor est simul calida ut quatuor) impeditur ab istis gradus frigoris ab effectu, quem in aliis circumstantiis producerent.

## ARTICULUS III.

*An Gradus Intensionis sint Homogenei, vel Heterogenei,  
et quomodo inter se uniantur.*

1506. **A** Græcis defumpta sunt vocabula *Homogenium*, & *Heterogenium*, quorum primum significat *Simile*, alterum *Dissimile*; unde hic queritur, an gradus intensionis, e. g. caloris, sint inter se perfectè similes, & habeant eadem praedicta essentialia, ità, ut primus æquè potuisse esse octavus, & vicissimum: an verò sint dissimiles, & habeant diversa praedicta essentialia. Auctores in utramque partem stant multi, & graves. Pro homogeneis gradibus stat Vasquez *tom. 1. in 1. 2. disp. 32. c. 6.* n. 25. ubi citat Niphum, Arriaga *disp. 3 de Gener. sec. 3.* ubi plures alios citat: & accedunt multi recentiores. At pro gradibus heterogeneis stat Suarez *disp. 46. Metaph. sec. 1. n. 38.* Hartadus *disp. 5. de Gener. & corr. seu de alteras. qd ejus termino. sec. 6. f. 63.* Comptonius de Ortu, & interis. *disp. 10. de gradib. homog. & heterog. sec. 2. n. 8.* Murcia, Haunoldus, Maurus, & alii plures, præsertim recentiores.

1507. Non tamen omnes, qui gradus heterogeneos statuant, in explicanda eorum heterogeneitate conveniunt; nam aliqui volunt, gradus non esse diversos in ratione  
*Tom. II.*

qualitatis, e. g. caloris: sed tantum esse diversos inter se ordine successionis, ità, ut unus exigit esse prior, alter verò esse posterior. Aliù verò probabilitius volunt, dari inter gradus diversitatem aliquam in ratione ipsius qualitatis, ità, ut superior gradus, e. g. caloris, sit aliquanto calidior inferiore, itemque magis activus: econtra gradus inferior sit minus calidus, & minus activus, atamen magis resistitivus (quæ se la major potentia resistendi non videtur posse compensare in gradu inferiore defectum activitatis, & majoris caliditatis) adeoque inferior gradus sit re ipsa non tam perfectus, quam superior.

1508. Afferitur insuper satis communiter à patronis heterogeneitatis, gradus intensionis inter se non differre specie completa, sed tantum incompleta: sicut differunt materia prima, & formæ; eo quid, sicut istæ ordinantur ad se invicem, & ad faciendum unum compositum, ità etiam gradus ordinantur à natura, ad faciendam unam intensionem: sicut etiam diverse formæ partiales, si dantur, ordinantur ad idem corpus animalis: ut autem ait Arriaga *disp. 3. de Gener. sec. 2. n. 49.* hæc spectant ad modum lo-  
*h h h* quen-

quendi, & omnis difficultas facilè collitur explicacione: interim negari non potest, hos gradus, quomodo tuncque differant, à natura coordinari ad faciendam intensionem.

1509. Dico. Gradus intensionis in qualitatibus corruptivis probabilius sunt heterogenei. Dico in qualitatibus corruptivis; nam ab aliis abstraho, præsertim à lumine: quamvis celeberrimus Nevvthon putet, etiam solis radios esse heterogeneos, quæ de re alibi: excipio etiam impetum, ob speciales difficultates, de quibus suo loco. Prob. conclus. Admissis gradibus heterogenieis convenientius possunt explicari experientiaz, quæm assertis gradibus homogeneis: ergo probabilius est, gradus esse heterogeneos.

Consequentia non videtur neganda; nam Philosophi est naturilibus experimentis, quantum fieri potest, causas secundas, & quidem convenientiores assignare, aut ea per rationes, in intrinsecis rerum essentiis fundatas, explicare: non autem sine gravissima ratione ad Deum, vel ad causas universales, aut, nescio quas, conditiones configere: sane communiter censetur, melius esse cæteris paribus, aliquam entitatem, aut perfectionem intrinsecam, in aliquo ente creato admittere, quæm ad similes machinas recursere: certè longè communius, præsertim nunc temporis, admittitur vita in seminibus, & aliquaque-

vitas in ære usuali, quæm ad causas universales, vel exigentias universi, aut similes, fiat recursus.

1510. Prob. jam ant. I. Juxta omnes, & juxta manifestam experientiam, in qualitatibus corruptivis simile non potest agere in simile, id quod à n. 1542. ulterius pluribus probabimus: & hujus ratio valde conveniens dari potest ab heterogeneistis: nulla autem apta ab homogeneistis: ergo. prob. I. p. ant. si gradus sunt heterogenei, tunc gradus quartus, utpote imperfectior, non potest producere gradum quintum: ergo. Nec dicas, saltem totum complexum quatuor graduum non esse imperfectius gradu quinto; nam plures cause, quarum qualibet in sua specie imperfectior est aliquo effectu, et si totum complexum earum sit in aliqua ratione estimabilius eodem effectu, tamen non possunt istum producere, nisi forte in casu valde raro, in quo id ipsum debebit positivè probari: cœrè equa, & asinus simul, sunt aliquid perfectius, quæm solus equus, & tamen non possunt producere aliquid perfectius equo, sed tantum mulum minimè perfectiorum.

Prob. jam 2. p. ant. Si gradus sunt homogenei, tunc sextus gradus non est perfectior, quæm qualibet ex quinque in agente existentibus: passum etiam est capax recipiendi sextum gradum (nam, si applicaretur agens iatensem ut se- ptem,

ptem, facile in tali passo produc-  
ret sextum gradum) applicatio quo-  
que ponitur adesse immediatione  
suppositi sufficientissima: ergo nihil  
deest, quo minus ab agente inten-  
so ut quinque possit in passo simili-  
ter intenso produci sextus gradus.

1511. Respondent adversarii di-  
cendo, deesse conditionem, nem-  
pe dissimilitudinem passi, & agen-  
tis, sive praeminentiam agentis su-  
pra passum, quæ conditio non mai-  
nus requiratur, quam applicatio  
eauit. Sed contra est. Necessestas  
applicationis alicujus respectu cau-  
se creatæ admittitur ab omnibus,  
etiam à Scotistis, qui, etsi admit-  
tant aliquam actionem in distans,  
tamen volunt, passum debere exi-  
stere intra sphæram activitatis agen-  
tis: item hæc necessitas probata  
ab evidenti experientia, atque in-  
fertur ex ipsa essentia causæ creatæ;  
ut potè limitatæ, & consequenter  
habentis etiam sphæram activitatis  
limitatam, nec potentis agere in  
spacium infinitum. At verò neces-  
sitas dissimilitudinis non ita infer-  
tur ex essentia causæ creatæ: neque  
ab experientia; cùm hæc non in  
dissimilitudinem agentis, & passi,  
sed in perfectionem majorem effe-  
ctus referenda sit: mindus adhuc ab  
omnibus admittitur necessitas dis-  
similitudinis; cùm à plurimis nege-  
tur: quamvis admittatur, dissimi-  
litudinem per accidens dari.

1512. Dein conditiones similes  
communes, ab universales, prorsus

gratis, & ex puta necessitate, ut  
possint defendi gradus homogenei,  
adstruantur: ergo non sunt admit-  
tendæ à Philosopho, si intensio ali-  
ter explicari possit. Nec retor-  
queant adversarii argumentum, di-  
ceando, nos etiam gratis adstruere  
aliquas perfectiones in gradibus su-  
perioribus; nam illa perfectio non  
gratis adstruitur in aliqua causa,  
quæ necessaria est, ad ejus effectum  
convenienter philosophicè expli-  
candum; ex hac enim ratione dici-  
mus, lapidem esse intrinsecè gra-  
vem, & ignem intrinsecè calidum.  
An autem hæc probatio talium per-  
fectionum sit à priori, vel poste-  
riori, non refert, modò sit efficax.  
Ex his tamen perfectionibus, tan-  
quam à priori, rectò inferimus, si-  
mile non posse agere in simili.

1513. Rursus est valde difficul-  
ter perceptibile, quod ad agendum  
tanquam conditio necessaria sit ma-  
jor resistentia passi, quam secum af-  
fert dissimilitudo, aut praeminent-  
ia agentis, ab adversariis requisi-  
ta; nam, si agens habeat plures gra-  
dus caloris, passum habebit plures  
gradus frigoris, productioni calo-  
ris resistentes. Evidem, si ponatur,  
tam agens, quam passum, esse ca-  
lidum ut quatuor, posset fors dici,  
quatuor gradus frigoris æquare suā  
resistentiā quatuor gradus caloris,  
& impedire, ne amplius quid calo-  
ris, in passo producatur: attamen re-  
poni posset, calorem esse magis acti-  
vum, quam frigus. Sed quidquid

de hoc sit, saltem hæc exceptio ad-  
verſiorum locum non habet, si  
ponatur agens, & paſſum, calidum  
ut quinque, quo eaſu tantum dan-  
tur tres gradus frigoris, qui quin-  
que gradibus caloris reſiſtere ne-  
queunt: & tamen etiam duo in te-  
ſa ut quinque in ſe non agunt.

1514. Prob. jam ant. ſuperius  
poſitum 2. In intentione qualitat̄  
violentæ, primi, ſeu infimi gradus  
facilius, ultimi verò ſeu ſupremi diſ-  
ſificilius introducuntur in paſſum:  
e. g. gradus caloris primus, aut ſe-  
cundus, facile introducitur in  
aqua: at diſſicillimè quintus, vel  
ſextus: econtra in remiſſione qua-  
litatis connaturalis, gradus ſupremi  
facile expelluntur, ultimi autem diſ-  
ſicillimè: e. g. ex eadem aqua gra-  
duis octauis frigoris facile expelli-  
tur: at gradus ſecundus, aut tertius  
diſſicillimè: hujus rei ratio con-  
gruentiſſima potest dari, ſuppoſita  
heterogeneity graduum, non ve-  
rò ſuppoſita homogeneity: ergo  
ab heterogeneity convenientius  
explicatur hæc experientia.

1515. Prob. i. p. mi. Juxta he-  
terogeneity potest dici, gradus ſu-  
periores esse magis actiſos, mi-  
nus reſiſtitivoſ: & vicifim gradus in-  
feriores esse magis reſiſtitivoſ, mi-  
nus verò actiſos: ſed hoc poſito fa-  
cile, & convenienter explicatur  
hæc experientia: ergo. prob. ma.  
inter qualitat̄ aliquæ ſunt magis  
reſiſtitivoſ, aliæ magis actiſoſ: id  
quod tam certum eſt, ut ferme tan-

quam principium receptum ſit,  
quæd qualitat̄ maximè actiſoſ  
ſunt mihi reſiſtitivoſ, & viceiſim:  
ſic ex communi opinione Peripate-  
ticorum ſiccitas eſt maximè reſiſti-  
tiva, deinceps humiditas, tum frigus,  
at omnium minimè calor. Econtra  
maximè actiſus eſt calor, tum fri-  
gus, minimè autem ſiccitas. (vide  
*Coimbricenses in l. 1. de Generat.*  
& corr. c. 9. q. 3. a. 3.) ergo facile  
capi potest, gradus ſuperiores ejus-  
dem qualitat̄ intentione præ inferio-  
ribus eſſe actiſos, non autem ita  
reſiſtitivoſ, & econtra inferiores  
præ ſuperioribus eſſe reſiſtitivoſ,  
non autem ita actiſos.

1516. Prob. etiam mi. Si gra-  
duis octauis, e. g. frigoris in aqua, eſt  
mihi reſiſtitivoſ, facile expelliſtur  
a gradibus caloris in igne, & intro-  
ducitur primus gradus caloris: & ſi  
inferiores gradus frigoris ſunt ma-  
gis reſiſtitivoſ, diſſicilius expelliſtur,  
& conſequenter diſſicilius in-  
troducuntur ſuperiores gradus ca-  
loris: ergo hæc experientia conve-  
nienter explicatur.

Prob. jam 2. p. minoris n. 1514.  
poſitæ. Si gradus ſunt homogenei,  
tunc omnes ſunt æqualiter actiſi,  
& æqualiter reſiſtitivoſ: ergo, quo  
plures junguntur, eo major eſt eo-  
rum reſiſtentia: & quo pauciores  
junguntur, eo minor eſt eorum re-  
ſiſtentia: ergo major deberet dari  
reſiſtentia in gradibus ſuperioribus,  
ad huc adjutus per inferiores con-  
junctos, quam in gradibus inferio-  
ribus,

ribus, relictis post destructos superiores: consequent̄ deberent difficultius expelli gradus superiores, quām inferiores, quod repugnat experientia.

1517. Respondent adversarii 1. ipsam substantiam magis exigere gradus inferiores, seu ipsis magis indigere, ad vitandam suam destructionem, adeoque magis resistere. Sed contra est. Ipsi substantia non resistit, nisi mediantibus proprietatibus, vel accidentibus; nam juxta commune proloquium, substantiae non sunt sibi invicem immediate, sed tantum mediare contrarie, nempe mediantibus accidentibus; si ergo accidentia remissa non resistunt magis, ut contingit in sententia homogeneistarum, neque ipse substantiae magis resistunt.

Ipsa autem exigentia substantiae non potest physicē resistere, nisi habeat medium physicum resistendi: sic sane, licet etiam formaligni exigit resistere suę destructioni, tamen, quia non habet medium physicum, non potest impedire suam destructionem, si ignis applicetur. In nostra quidem sententia habet exigentia, e.g. aquę, medium tale physicum, neque gradus magis resistitivos: in adversa verò sententia habet nullum. Si dicant adversarii, substantiam moraliter resistere, exigendo conservationem suorum accidentium à Deo, recurrunt iterum ad machinam.

1518. Respondent 2. ignem, vel

ejus calorem, dum calefacit aquam, debere semper plus facere; cum debeat conservare gradus, in aquam jam introductos, & simul novos in ea producere: cum igitur causa semper difficultius faciat plus, quām minus, hinc fieri, ut, quo gradus sunt superiores, eo difficiilius introducantur in aquam; eoquod plures gradus jam introductos, adeoque conservandos supponant. Sed contra est. Causae necessariae, quidquid possunt facere, necessariō faciunt, adeoque sine difficultate, nisi inventant resistantiam alicujus contrarii. Certè aqua, in statu connaturali positā, facilimē conservat gradus frigoris sibi debitos: & frigus unum facilimē producit frigus alterum in alio subjecto disposito; unde difficultas tantum eritur à resistantia contrarii: & quo major, vel minor est ista, eo major, vel minor est difficultas: atqui juxta adversarios, ut probatum est n. 1516. non esset major resistantia in casu iactiōductiōnis graduum superiorum, quām inferiorum: ergo.

1519. Simili modo rejicitur responsio, quam adversarii dant, dīcendo, aquam facilius facere minus, quām plus, id est, facilius conservare pauciores gradus, quām plures; nam etiam aquę, tanquam causae necessariae, & quē facile est conservare plures gradus sibi debitos, quām pauciores, nisi quoad unam conservationem detur major resistantia, quām quoad alteram,

ram, quæ in nostro casu nullatenus datur.

Confirm. Si gradus sunt homogenei, nulla potest assignari sat conveniens ratio, quare potius hic, quam alius gradus expellatur; nam iterum recurrere ad determinacionem à Deo faciendam, non est factis philosophicum: econtra, si gradus sunt heterogenei, hujus rei ratio potest assignari valde congrua, scilicet dicendo, quod gradus minus resistivus expellatur ante alium magis resistivum: ergo præferenda est sententia adstruens gradus heterogeneos.

Respondet ingeniosus recentior, ex gradibus homogeneis eos, qui prius introduci fuere, posterius expelli; eoquod actio conservativa ipsorum sit fortior; quia fortior fuit actio productiva eorum, utpote quæ debuit vincere majorem resistentiam contrarii, e. g. octo graduum qualitatis contrariae: sed contra est. Quidquid sit, an actio productiva graduum priorum fuerit fortior, an non: non est amplius fortior actio conservativa, quæ procedit seorsim ab alia causa, & præsertim à Deo, atque in aliis postea circumstantiis, quando non amplius datur prior resistentia: certè Deus non videtur inutiliter ponere actionem fortiorem, quando sufficit debilior: nec conservare unum gradum præ altero per actionem fortiorem, quando omnes sunt similes, & in similibus circumstantiis, atque da-

tur æqualis resistentia contrarii respectu omnium.

1520. Ob. 1. Potest fieri intensio per gradus homogeneos: ergo gratis adstruuntur heterogenei. prob. ant. plures gradus homogenei in pluribus subjectis plus faciunt, quam unus, præsertim, si sint in subjectis, per condensationem magis conjunctis, e. g. plures gradus caloris in partibus ferri candentis: ergo multò magis plus faciunt plures gradus homogenei in eodem subjecto conjuncti. Resp. 1. me jam n. 1483. dixisse, valde diversa esse, qualitatem esse magis activam, & magis intensam; unde neg. ant. ad prob. conc. ant. & neg. conseq. Resp. 2. om. ant. neg. conseq. ad prob. o. n. totum. Natura censenda est, taliter intensionem ordinasse, ut non tantum qualitas possit dici quomodounque intensa, sed, ut etiam convenienter possint explicari experientiae omnes, quæ circa intensionem contingunt, quod non potest fieri in adversa sententia.

1521. Dices 1. Per qualitates specie diversas non potest fieri intensio: ergo debet fieri per homogeneas. prob. ant. albedo per additam dulcedinem non sit intensior: ergo. Resp. dist. ant. per qualitates specie completa diversas non potest fieri intensio. conc. ant. per specie tantum incompleta diversas. neg. ant. & conseq. ad prob. neg. conseq. nam albedo, & dulcedo, sunt

sunt qualitates specie completa diversæ, quæ non ordinantur à natura ad unam intensionem: à quibus non est paritas ad qualitates specie tantum incompleta diversas, & à natura coordinatas; ex his enim, tanquam partibus, potest constitui intensio: sicut ex materia, & forma, tanquam partibus, quamvis inter se valde differentibus, potest constitui compositum substantiale.

Dices 2. Est commune axioma ex Aristotele: *Magis, & minus non variant speciem*: atqui, si gradus essent heterogenei, variarent speciem: ergo. Resp. dist. ma. & hoc axioma principaliter intelligendum est de subjecto, à qualitate informato. conc. ma. intelligendum est de ipsa qualitate. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Axioma tantum vult, quod e. g. ferrum, magis, vel intensius calidum, non differat specie à ferro minus, vel remissius calido. Si autem contendas, axioma intelligendum esse de ipsa qualitate, aliter dist. ma. magis, & minus, non variant speciem completam. conc. ma. non variant speciem incompletam. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Axioma ad summum vult, per intensionem non fieri novam speciem completam qualitatis, e. g. ex calore non fieri frigus, aut humiditatem &c.

1522. Ob. 2. Multarum experientiarum non potest dari ratio, nisi dicendo, requiri talem, vel

talem conditionem, aut dari talem, vel talem exigentiam naturæ: ergo hæc ratio etiam potest à Philosopho assignari, circa experientiam de simili non agente in simile. prob. ant. sic pro ratione, quod animal non sentiat calorem internum con-naturalem, aut motum cordis perpetuum, non assignatur differentia istius caloris, aut motus, ab aliis caloribus, vel motibus, aut aliquid simile: sed tantum dicitur, talem esse exigentiam animalis: ergo.

Kesp. om. ant. neg. conseq. Utique plurium effectuum causas adhuc ita ignoramus, ut nullam determinatam, cum aliqua solida probabilitate, assignare possimus: quibus in casibus aliquando ex pura necessitate ad tales conditiones, aut exigentias recurrunt: id autem nullatenus universaliter faciendum est: sed, si fieri potest, etiam cum multiplicatione perfectionum, alia causa est assignanda; hoc enim absque dubio Philosopho magis dignum est. ad prob. neg. ant. ratió hujus experientiae magis philosophica defumenda est ex ipsa perfectione animæ limitata, quæ non potest ad nimis multa simul attendere, præsertim sine ingenti defatigatione, quam non vult subire; unde contingit, ut etiam illa, quæ in sensu incurruunt, sèpe saltē intelle-ctualiter non cognoscamus; quare vel maximè non ita cognoscimus, quæ continūd in nobis aguntur, ut est motus cordis, & arteriarum &c.

&c. hinc illud axioma: *Ab affectis non fit passio.*

1523. Dices. Etiam nos ad hoc, ut agens possit in passo producere aliquem gradum, requirimus conditionem mirabilem, & captu difficultem: ergo non sumus melioris conditionis, quam adversarii. prob. ant. requirimus, ut passo insit gradus qualitatis contraria superior, & magis activus: e. g. ut possit agens intensum ut quinque producere quartum gradum in passo, requirimus, ut huic insit quintus gradus frigoris: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. iterum neg. ant. Ad producendum quartum gradum juxta nos per se tantum requiritur, ut in passo non adsit, nisi tres gradus caloris; nam, si adesset quartus, hoc ipso agens intensum ut quinque, non posset alium gradum, id est, quintum producere, & sic assimilare sibi passum, cuius rationem paulo post dabimus: quod autem cum tribus gradibus caloris adsit quintus gradus frigoris, est agenti per accidens; nam, si in passo, sive naturaliter, sive supernaturaliter, adessent cum tribus gradibus caloris etiam tantum tres frigoris, calidum ut quinque posset producere quartum gradum caloris.

1524. Ob. 3. Nos non possumus dare rationem, quare agens non possit sibi assimilare passum: ergo nostra sententia non est præferenda. Resp. neg. ant. Hujus experientiae duplex ratio a nobis dari potest.

Prima, quam etiam videntur dare posse adversarii, est reactio passi: sic e. g. si confundantur aqua una calida ut sex, & altera calida ut quatuor, adeoque adhuc habens quatuor gradus frigoris, isti gradus reagunt in aquam calidam ut sex, & reagendo destruunt quasi aliquem gradum caloris: consequenter aqua prius calida ut sex manet tantum calida quasi ut quinque; unde non potest aqua prius calida ut quatuor ab aqua prius calida ut sex ita assimilari, ut fiat calida ut sex.

Hinc non potest passum assimilari agenti in hoc sensu, ut fiat tam intensum, quam intensum fuit agens ante actionem, & reactionem. At vero potest assimilari ita, ut ex agente, & passo, post actionem, & reactionem, tandem fiat unum complexum, sicutem quoad sensum æqualiter intensum; nam, si aqua calida ut sex confundatur cum aqua calida ut quatuor, tota massa erit ad sensum æqualiter calida, quamvis non ut sex, sed quasi ut quinque. Hæc tamen ratio non est universalis; quia, ut infra n. 1525. dicimus, non semper datur reactio passi.

1525. Altera ratio hujus experimenti, quæ vix, aut omnino non potest dari ab adversariis, attamen à nobis, est hæc. Nullus gradus qualitatis habet secunditudinem, ad producendum se solo adæquatè aliud gradum omnino sibi similem, sed debet semper concurrens gradus superior:

perior: adeoque quartus gradus in agente non potest producere se solo quartum in passo: quod requiriatur ad assimilationem passi, dicitur. Hic defectus fecunditatis in primis sat facile capitur in gradibus heterogenieis: dein probatur ex eo, quod alias non daretur decrementum activitatis in agentibus accidentalibus: sed calor intensus propagaretur simili intensione in infinitum; cum calor existens in loco A, posset sibi similem producere in loco proximo B, & hie in loco C, utpote eodem modo applicatus, & eandem habens virtutem &c. quod est contra experientiam. Unde ad salvandam hanc experientiam meritò dicitur, quod quivis gradus non sit fecundus, ad producendum sibi similem: &, si replicetur, quod sepe adsit in subjecto vicino gradus superior, dicendum, eum non esse sufficienter applicatum; quamvis enim sit applicatus per concausam, non tamen haec applicatio sufficit ad producendum hunc effectum. vide dicta n. 1062.

Si etiam adversarii vellent dicere, quod unus gradus homogeneus non possit se solo adaequare producere aliud, sed debeant semper plures concurrere, possint quidem dare aliquam rationem, quare activitas accidentium non necessario propagetur in infinitum: attamen per hoc non possent dare rationem, quare agens intensum

*Temp. II,*

non possit sibi assimilare passum; unde conveniatio dicitur, quod etiam requiratur in fluxus gradus superioris heterogenet, ut hujus experientia ratio multiplex, & praesertim universalis, assignari possit.

1526. Neque ex hoc sequitur, quod gradus superior, e. g. sextus in agente, possat statim se solo producere in passo solum gradum quintum; nam in primis ipse gradus sextus non potest naturaliter sine inferioribus gradibus, inter quos quintus est, in suo subjecto existere: adeoque etiam quintus gradus in agente, utpote eodem modo applicatus, & aequalis effectui, seu gradui producendo, debet concurrere: dein etiam quintus gradus non est naturaliter producibilis in passo; nondum per prævios gradus inferiores informato, seu disposito.

Ubi addo, juxta nos posse quidem superiorum gradum cum inferiore producere gradum similem inferiori, e. g. gradum sextum cum quinto posse producere alium gradum quintum: non vero posse gradum aequalem cum inferiore producere gradum sibi aequalem, e. g. gradum sextum cum quinto non posse producere gradum sextum; quia, licet gradus superior, adeoque perfectior, possit supplere defectum inferioris: non tamen viceversa etiam potest gradus inferior, & imperfectior, supplere defectum superioris. An autem gradus

iii

mancant gradus, inter se compenetrati, controversia hæc reducetur ad questionem de nomine; nam dabitur qualitas, æsta, item potens plus agere (nam in hoc casu non daretur impedimentum, quale daretur in casu, de quo n. 1505. in quo simul darentur compenetrati cum gradibus caloris, sive multi, vel plures gradus frigoris)

quod aticui fors poterit videri, sufficere ad intensionem. Evidenter sit. n. 1505. dictum est, quod ad intensionem strictè dictam requiratur unio mediata graduum: si quis tamen contenderet, etiam si in tali unione posse supernaturaliter dari aliquam intensionem, minus strictè dictam, non foret opera pretium, ei multis se opponere.

## ARTICULUS IV.

*An etiam per Antiperistasis fiat Intensio Qualitatum.*

1532. **G**racie voci *Antiperistasis* correspondet Latina *Circumobscissio*, vel pressius *Circumobscensio*, quæ tamen his pro codem sumuntur: dicitur autem tunc dari antiperistasis, quando unum contrarium quaii oblidet alterum: id est, circumdat, vel circumstat: e. g. quando in hyeme frigidus aer circumdat aquam calidam. Quaritur jam, an etiam per antiperistasis quandoque qualitas intendatur: questio autem hæc, ut supra n. 1473. dictum de intensione in genere, instituitur a nobis tantum de qualitatibus corruptivis.

Peripatetici communissime assertunt, intensionem fieri per antiperistasis, non quidem tanquam per causam immedietate efficientem; nam unum contrarium, e. g. frigus, non producit alterum, e. g. calorem; sed tanquam per

causam remotam, & quasi per accidens, quatenus unum contrarium sua circumobscientia facit, ut alterum contrarium, vel in se ipso producat qualitatem intensionem, vel ab aliis agentibus productam recipiat.

Atomistæ vero (non tamen omnes) negant, per antiperistasis fieri ullam re ipsa intensionem, ajuntque, eam, quæ videtur fieri, esse meram illusionem sensuum: quibus videtur in æstate aqua ex puto esse magis frigida, quam in hyeme, tantum ideo; eoquod organa animalia, quæ ab aqua afficiuntur, sint in æstate calidiora, seu aquæ frigidæ dissimiliora: quæ dissimilitudo, ut ajunt, facit, ut aqua existimetur magis frigida, quamvis re vera talis non sit.

1533. Dico 1. cum communis Peripateticorum, & multis etiam corporisculariis Philosophis. Per antipe-

antiperistasis sepe intendantur qualitas. Prob. 1. Aquæ, ex puteis extractæ, sunt in æstate frigidiores, quam in hyeme (quod idem docet Aristoteles in Problem. sec. 24. prob. 8. de balneis) ergo ob calorem æstivum, circumobsidentem aquas in puteis, istarum frigus intendantur: & vicissim ob frigus hybernus, circumobsidens calorem, sive ipsis aquis, sive fundo earum inexistenter (de quo paulò post) intendantur calor aquarum, adeoque per antiperistasis. conseq. patet; quia non appetat assignabilis ulla alia causa hujus effectus.

Prob. ant. 1. auctoritate Aristotelis, qui in Problem. sec. 24. prob. 8. ait, aquas balneariorum in hyeme esse calidores, quam in æstate: & simul hujus rationem ait esse antiperistasis; nam sic ait: *Quoniam calor hyberno potius, quam æstivo tempore, seris circumfundens frigore intercluditur.* Prob. idem ant. 2. ratione. Organæ, præcipue guttæ, & stomachus, quæ maximè sentiunt frigus, sunt in hyeme calidiora, quam in æstate, ut docet Aristoteles in Probl. sec. 24. prob. 13. ajens: *Per hyemem omnibus accidit, calidiorum suorum esse partem inscriorem:* & probatur etiam ex eo, quod in hyeme magis appetantur cibi, & melius concoquantur, ad quam concoctionem juxta communem juvat multum calor major: & hiac stomachus copiæ ingestis cibis, &

haukibus frigidis, debilitatur, & male concoquit: sed hujus majoris caloris nulla ratio conveniens potest assignari, quam antiperistasis: ergo. Nec dicas, ex hoc sequi, meliorem fore concoctionem in laborantibus febri calida; nam in primis in his calor est prorsus aimius, & animali violentus: deinde accedunt plura alia bona concoctionis impedimenta.

1534. Prob. conclus. 3. Cryptæ profundæ in hyeme sunt calidores, & in æstate frigidiores: hujus rei alia ratio non est, quam antiperistasis: ergo per istam intendantur calor, & frigus. prob. ma. quilibet hoc experitur, si eo tempore in cryptam talem defoendat, adeo ut Semery p. 3. Philos. disp. 5. de condit. ad agend. requisitis q. 3. in fine dicat: *Frigidiores esse cryptas æstate, quam hyeme, negari nequit, nisi ab eo, qui potest omnia negare:* ne autem dicatur, id tantum esse deceptionem sensuum, probatur eadem ma. ex illa crypta, de qua mentio fit in historia Académie Parisiensis ad an. 1712. (Ut referunt Mémoires pour l'histoire des sciences. à Trevoux tom. 3. an. 17. 5. Inillet. a. 95 pag 1112.) & quæ visitur in Comitatu libero Burgundie, ac quinque leucis distat Vesontione, estque naturaliter excavata in rupe quadam, ad 80 pedum profunditatem; de hac enim crypta in dicta historia memoratur, quod aqua, in ipsam defluens,

fluens, in æstate conglacietur, in hyeme verò saltem aliquatenus solvatur, &, quod plus est, etiam per densas nebulas evaporet: in quo nulla se miscet deceptiō sensuum.

Rursus eadem ma. prob. ex suspensiis intra cryptas thermoscopiis, quæ sensum non habent; sed ascensu, vel descensu spiritū, aut liquoris, in tubo vitro contenti, indicant calorem, vel frigus: in horum enim uno (ex communibus, quæ descensu liquoris, seu potius ejus depressione, ab aëre dilatato facta, indicant calorem: ascensu verò liquoris indicant frigus) in horum, inquam, uno, P. Nicolaus Zucchius (ut ipse testatur, *Nov. de Machin. Philosoph. part. 4. experim. 3.*) per triennium in eadem crypta retento, semper in æstate aér fuit magis compressus, & aqua ascendit: econtra verò in hyeme aér fuit magis dilatatus, & aqua descendit, seu deorsum extrusa fuit: ergo indicavit majorem calorem in hyeme, quam in æstate.

1535. Evidenter Burgundi tom. 4. *Philosop. tr. 3. diff. 2. c. 2. conclus. 1.* referunt, in crypta subterranea regii observatorii Parisini (quæ 84. pedes alta est) thermometron fuisse affixum, in quo spiritus vini per annum ferè integrum eandem penè altitudinem qualibet anni parte retinuerit: sed huic experimento meritò opponi potest triennale P. Zucchii.

Nec replices, Parisinas observationes, utpote accuriores, esse præferendas; nam in faciendo hoc experimento haud opus est magna accuratione, sed tantum inspectione, quam P. Zucchius (vir à Roberto Boyle, in experimentis physicis accuratissimo, magni status, & doctissimus appellatus in *Nov. Exper. Physicomachaz. exper. 31.*) absque dubio diligenter, & diutiùs fecerit: præterquam, quod valde difficulter capiatur, in thermometro Parisino, si exactum fuit, eandem per annum ferè totum altitudinem retinuisse spiritum vini, adeoque tanto tempore nunquam fuisse in ea crypta notabilem diversitatem caloris, aut frigoris, licet sepiissime fuerit aperta, adeoque superiori aéri patefacta: item absque dubio interea variae mutationes subterraneæ acciderint.

Dein specus Parisina potuit esse constructa in tali regione terræ, quæ non erat foeta calidis exhalationibus, ut crypta Itala P. Zuchhii; est enim certum, terras pro diversitate locorum habere exhalationes, aut evaporationes diversas: & utique longè aliis halitibus imbuta est terra in specubus sulphureis, quam nitrosis. Rursus potuit eadem crypta Gallica, ob alias circumstantias, à frigido extrinseco non ita fuisse circumobsessa, ut exhalationes calidæ facilius potuerint avolare, aut quacunque deum

num ex ratione calor cryptæ impediti, vel auferri.

Tandem ( ut testantur Du Hamel, & Maignanus, apud Cardinalem Poalemæum *dissert. 10. Phys. Gener. sec. 4. n. 5.* & potest à quovis experientia deprehendi ) in thermoscopio Florentino ( in quo alio, ut agunt, evacuato, liquor ascensu calorem, descensu vero frigus indicat; hoc enim thermoscopium Cardinalis ibi describit ) per hyemem intra cubiculum suspeso, liquor minus ascendit, quam ascendat in eodem thermoscopio, intra cryptam subterraneam suspeso: adeoque haec cryptæ sunt in hyeme calidores, quam superiora ædificia: quod non videtur refandi posse in aliam causam, quam in antiperistasi.

Confirm. Ut referunt *Memoires pour l'histoire Rég. à Trevoux tom. 4. an. 1703. Octobr. a. 162. pag. 1717.* D. Geoffroy ostendit, prunas ardentibus, in frigidam aquam injectas, hanc ad aliquod tempus reddere frigidorem, quoad partes exteriæ, seu à prunis paulo remotiores: hujus autem experientia ratio convenientior dari non potest, quam antiperistasis, nempe dicendo, quod effluvia calida prunarum è loco suò propellant corpuscula frigida ad partes exteriæ, ac ita expulsa ibi obsideant: & hinc dicta corpuscula frigida in partibus exterioribus conglomarentur, adeoque conjuncta majorum vim ererant,

ac majus frigus aliquamdiu producant, donec calor prunarum ( quod paulo post sit ) prævaleat, ac frigus destruat: ergo debet antiperistasis intensiva admitti.

Quidam hic opponunt, oleum in hyeme intra cryptas concrescere, seu congelascere, non autem idem fieri in æstate: adeoque cryptas in hyeme non esse calidores: sed respondet, glaciem non prevenire à solo frigore, sed ab aliis etiam causis: certè nitro, & sale aquæ communi mixtis, ac fortiter agitatæ, potest produci glacies in hypocusto calido. Dein saltem tales cryptæ sunt calidores in hyeme, quam eodem tempore sunt cubicula superiora; nam in his oleum longè intensius congelatur: cuius tamen ipsius ratio sicut antiperistasi dari non potest.

1536. Dico 2. Intensio propter antiperistasis aliquando contingit per collectionem corpusculorum homogeneorum, aliquando vero per evaporationem heterogenorum. Prob. 1. p. conclus. Habetur ab experientia, quod omnia ferme corpora naturalia emittant copiosum effluvium corpusculorum: ergo, quando impeditur istud effluvium, naturaliter necessarium est, ut illa corpuscula repressa, & impedita, congregentur ad se invicem majore numero in iis partibus, unde ulterius pergere prohibentur, adeoque conjuncta intensiore calorem, vel intensius

tensus frigus ibi producant: atqui, quando datur antiperistasis, seu circumobscens corporis contrarii, impeditur illud effluvium; eoquod pori corporum, è quibus effluvium prodire deberet, obstruantur, vel certè nimirum constringantur: ergo ratione antiperistasis corpuscula congregantur, & majorem intensiōnem, seu frigoris, seu caloris, causant, & consequenter fit intensio per collectionem corpusculorum homogeneorum.

1537. Prob. jam 2. p. conclus. Per evaporationem corpusculorum sepe corpus liberatur ab halitibus, vel vaporibus contrariis, quo posito potest in seipso producere qualitatem sibi connaturalem in debita intensione, quod prius non potuit: sed hæc evaporatio potest etiam fieri per antiperistasis, quatenus corpus contrarium circumobsidens, vel ejus effluvia, possunt aperire poros alterius corporis: e. g. aër calefactus potest aperire poros terræ, ita, ut ex hac halitus ignei avolent, ac dein terra, ab iis libera, nativum frigus in debitasibi intensione producat: ergo.

His positis solvi possunt varia experimenta, quorum aliqua in exemplum juvat adducere. Per primam speciem antiperistasis, seu per repressionem, & congregationem homogeneorum corpusculorum, solvitur experimentum de calce viva, per affusam aquam incalefaciente, de quo supra n. 207.

item experimentum de phosphoro, de quo n. 214. rursus illud experimentum de manibus nive lotis, & propterea incandescentibus; nam frigore constricti pori manuum non permittunt amplius spiritibus calidis exitum; unde isti manus calefaciunt: sic etiam Aristoteles in Probl. sec. 1. probl. 29. ait, quod ii, qui se aquâ frigidâ laverint, dein à frigore tuti sint; quia, ut ait, *caro spissescit, calorque introrsus se colligit*: & ibidem ait Philosophus, tandem hanc esse causam, quod hyeme periūs, & autumno, quam aliis anni temporibus, febres ardentes hominibus infestæ sint.

1538. Per alteram speciem antiperistasis, seu per evaporationem heterogeneorum, solvitur experimentum de cryptis frigidioribus, in aestate, quam in hyeme; quia nempe terræ poris, aestate magis apertis, avolantes halitus ignei terram non infestant, sed permittent, ut ipsa seipsam ad nativum frigus reducat. Item solvitur experimentum, quod adducit Aristotelis in Problem. sec. 24. probl. 13. de rebus calidis soli expositis, & sic citius, quam in umbra refrigeratis; quia scilicet, ut ait Philosophus, in umbra circumfusum frigus calorem non sinit effluere: at vero in sole vi nulla arcere calor effluit, atque ocyus evanescit.

1539. Ob. Non potest ostendi, per quid determinantur halitus, vapores,

vapores, vel quæcunque effluvia, ut se colligant, aut congregent in locum determinatum, e. g. centrum corporis: ergo antiperistasis gratis configitur. prob. ant. effluvia illa non sentiunt contrarium, ut ab eo fugiant: nec istud potest in interiora penetrare, ut illa propellat: ergo. ant. 1. p. patet. 2. p. prob. etiam summa hyeme frigus intensem, & glaciale, non penetrat in terram ultra quinque pedes: ergo nec alia effluvia facile penetrant.

Resp. 1. om. ant. neg. conseq. nam, et si non possit semper assignari causa alicujus rei, si tamen ejus existentia est ab experientia certa, non propterea debet dici, esse gratis confictam. Resp. 2. neg. ant. in primis enim causa, quod effluvia, e. g. spiritus calidi, ex manibus nive lotis, non avolent, sed maneant in suprema cute, eamque, immo etiam aliquantum aërem vicidum calefaciant, eausa, inquam, est constrictio pororum in cute, quam efficit frigus nivis. Pariter, quod etiam exhalationes calidæ non avolent in hyeme à fundo putei, sed hæreant in partibus, superficie propinquis, & has, atque etiam aquas incumbentes calefaciant, iterum causa est constrictio pororum terræ, quam efficit frigus: neque ad hunc effectum opus est, ut frigus penetreret in profundiora terræ, ut patet.

1549. Quodsi autem aliquando spiritus generosiores, & calidiores,

*Tom. II.*

à frigore repellantur usque ad centrum corporis, tunc etiam frigus eousque penetrat: idque contingit, quando conglaciatur e. g. dolium plenum vino, aut cerevisia; tunc enim (ut testatur experientia, sa- pius visa in regionibus magis frigidis) in centro glaciei invenitur li- quor generosissimus, & veluti pu- rus vini, aut cerevisie spiritus, qui, dum prius totam vini, aut cerevi- sie quantitatem pervaserat, & qua- si animaverat, postea actione frigo- ris, undique æqualiter per totum circuitum dolii instantे, adactus, in medium confluxit; unde, si dein separato illo liquore glacies solvi- tur, non nisi in vappam resolvitur.

1541. Scilicet spiritus, exhala- tiones, & similia, à contrario po- ros constringente impediuntur, à suo effluvio, adeoque determinan- tur, ne avolent: &, quia semper novæ exhalationes &c. ex interio- ribus partibus ejusdem corporis ef- fluere conantur, atque iterum im- pediuntur, constituitur tandem ex omnibus concurrentibus causa ma- jor, ac fortior, quæ dein producit aliquam intentionem. Dico ali- quam; nam utique tanta non est, quanta est in contrario; neque enim aquæ putcales tam calidæ sunt, quam frigidus est aëris circumobsi- stens.

Ut autem ad centrum corporis aliquando convolent exhalationes, spiritus &c. determinantur à contra- rio, tum poros constringente, tum

K k kk

etiam

etiam eos spiritus erudente, atque urgente ad motum, ex omni parte sequaliter; tunc enim isti ob innatam sibi lubricitatem, & subtilitatem, data etiam non adeo magna impressione contrarii, in eam par-

tem erumpunt, in quam via ipsis patet, seu, in quam minor est actio contraria, sedoque etiam minor obstructio pororum, quæ in tali casu minima est versus medium: consequenter ad hoc tendunt.

## ARTICULUS V.

*An Simile possit agere in Simile.*

1542. Non instituitur hæc quæstio de similibus quoad substantiam; utique enim una substantia agit in, seu contra aliam substantiam; sic homines, & alia animalia, sepe necant sibi similia, imò etiam devorant: & eodem modo duo vitra, duo vasa testacea &c. mutuò collisa se frangunt. Sed instituitur quæstio de similiter incensis quoad aliquam qualitatem: & queritur, an simile agat in alterum, sive, an istud intendat, per eam qualitatem, in qua simile est: e. g. an unum simile alteri quoad calorem, ita, ut utrumque habeat quantuor gradus caloris, agat in alterum per calorem, ita, ut in altero producat gradum quintum; nam extra controversiam est, quod unum, simile alteri quoad aliquas qualitates, dissimile tamen quoad aliam, possit per istam in illud agere: e. g. saxum unum, de cetero simillimum alteri, attamen calidum, dum alterum est frigidum, potest utique in istud agere: & si agat, non dicitur, simile agere in simile, ut per se patet.

1543. Restringimus insuper hanc quæstionem ad qualitates corruptivas; an eam lumen possit intendere scipsum per actionem refractam, aut reflexam: e. g. an à minori, vel æquale lumine, existente in aëre, per refractionem, in vitro caustico factam, producatur in foco majus, vel æquale lumen: item, an candela opposita speculo per reflexionem luminis scipsum: vel, an unum lumen possit intendere aliud simile, e. g. una candela accensa alteram: hic non inquirimus, acturi ab ibi fuisse de lumine: potest, integrum videti Scenery p. 3 Philosoph. Disp. 5. de condit. ad agend. requis. q. 2. & simul Cardinalis Pcolemaeus disserit. o. Phys. general. sc. 4. ubi n. 4. negat, quod candela opposita speculo per lumen reflexum scipsum totam intendat.

Sed docet, quod per reflexionem illam tantum producatur aliquod lumen, seu aliqua species ignis, in parte flammæ candelæ inferiore cærulea, & quod per illam partem cæruleam solam videatur in speculo tota flamma candelæ. Addit, quod ea

ea pars magis diaphana sit, & multum aeris contineat, atque ideo minus lucida, minusque intensa sit, & consequenter, a partibus aliis flammæ candelæ magis intensis, absque actione similiis in simile intendi possit. Et sane, quando candela deficiens tantum cœruleum ignem, vel flammarum, adhuc habet, etiam valde modicum lumen habet, ut experientia testatur.

Eadem responsio dari potest, si objiciatur, quod per unam candelam, seu ejus inferiorem cœruleam flammarum, traluceat alia flamma candelæ alterius, retro priorem posita. Idem Cardinalis sec. cit. n. 11. ait, hallucinari eum, qui putat, duas flamas, vicinas sibi invicem statutas, lucidiores esse, quam, si a se longius distarent; quamvis, dum simul sunt, locum extrinsecum magis illuminent; hic enim effectus est longè aliud, quam earum intensio: verum de lumine fusiùs alibi.

1544. Sed neque de impetu, quamvis hic qualitatibus corruptivis annumerandus videatur, hic questionem instituo; cum circa hunc sint speciales difficultates, an agat, vel non agat similis in similem: e.g. quando duo globi æquali vehementia in se mutuo impingunt, & ab invicem resilire coguntur: vel, quando navi major tardiùs mota, & impingens in minorem, in hac producit celeriorem motum, quam detur in navi majore: vel, quando pondus etiam minus grave, impo-

situm graviori, in istud gravitat, aut impetum, seu nisum deorsum in eo producit: aut, quando in acceleratione motus gravium impetus augetur: quæ difficultates alibi sunt pertractandas; unde conclusio, quam hic statuimus, tantum intelligenda est de calore, frigore, & similibus qualitatibus alterativis, & corruptivis. His præmissis.

1545. Dico. Simile non agit in simile. ita communissimè Philofophi, adeò, ut Cardinalis Ptolemæus differt. 10. Phys. gener. sec. 4. n. 10. dicat, oppositum à seculo non esse auditum. Prob. 1. concl. auctoritate Aristotelis, qui l. 1. de Gener. text. 46. sic ait: *Muli enim concorditer hoc discunt, quod simile quidem à simili omne impassibile est, propterea, quod non magis actrum, quam passivum, sit alterum altero; omnia enim similiter existunt eadem similibus: dissimilia autem, & differentia, facere, & pati ad invicem non sunt.* & text. 48. addit: *Si à simili aliquid pati possibile est, & ipsum à seipso: intellige: pati potest.* Similia habet text. 50. & 51. & pluribus aliis locis.

1546. Prob. concl. 2. ratione à posteriori. Certum est ab experientia, quod, si duo æqualiter calida, vel æqualiter frigida &c. confundantur, nunquam exurgat totum calidius, vel frigidius &c. sed totum tale sit, quales prius fuere partes: ergo unum simile non agit in alterum, seu non integrat alterum.

Kk kk 2

Alii

Alii confirmant conclusionem ex heterogeneitate graduum, quem in finem videri possunt dicta n. 1510. ne autem videamur facere circulum vitiosum, omitto hanc confirmationem.

1547. Ob. 1. Ferrum candens potest producere ignem in stupa: ergo etiam potest producere (sive mediætate, sive immediatè) majorem calorem, quam ipsummet habeat: ergo etiam potest producere similem (nam hic necessariò debet præcedere) & dein in simile ulterius agere. prob. 1. conseq. calor in stupa productus est ultima dispositio ad ignem: calor ferri non est talis dispositio: ergo ille est major. Resp. neg. conseq. ad prob. neg. 2. p. ant. In ferri carentis poris, vel etiam superficie, est formalissimè ignis, & hic, non autem substantia ferri, accedit stupam, habetque calorem proprium igni, quo major non datur in stappa accensa.

1548. Dices 1. Aër minus frigidus conglaciat aquam magis frigidam: ergo minus frigus agit in majus. Resp. neg. conseq. Aër concurreat ad conglaciandam aquam, sed probabiliter non solus; & probabilitas non per solum frigus sit glacies; nam aqua in fundo maris, immo etiam in qualibet notabili ejus profunditate, non glaciatur; cùm tamen ibi detur majus frigus; quare, ut multi volunt, ad formandam glaciem concurrunt exhalationes calidæ, corpuscula nitrosoa, parti-

culeæ adstringentes, & exiccantes: immo quidam recentior, ut referunt *Mémoires pour l'histoire des sciences à Trevoux tom. I. an. 1701. Janvier. Février pag. 161.* eruditè contendit, aquam conglaciari ab aëre, maxime per hujus elaterium, quo particulae aquæ comprimantur, ac constringantur, duraque reddantur &c. sed de formatione glaciei aliás.

1549. Dices 2. Aqua superior, in lebete ad ignem apposito, est calidior, quam aqua inferior, & tamen hæc agit in superiorem: ergo minus intensum potest agere in magis intensum, & multo magis simile in simile. Resp. neg. 2. p. ant. Aqua inferior non intendit superiorem, nisi forte in hac essent aliquæ partes, vel ab aëre ambiente, vel ab alia causa, calore intenfiore spoliatae; tunc enim aqua inferior, his intensior, posset in eas agere; aliás enim aqua inferior tantum ascendit ad superiorem, postquam magis rarefacta, & præ aliis partibus levior facta est, vel aliquo motu sursum evecta.

1550. Ob. 2. Duo similia, e.g. duo carbones igniti, & similiter calidi, diutius conservantur: ergo inse agunt, sèque mutuò conservant. Confirm. 1. Dute manus similiter calidæ, invicem affricatae, se magis calefaciunt: ergo. Confirm. 2. Densius subjectum, non magis calidum, quam subjectum rarius, tamen fortius agit, quam istud: ergo potest

potest etiam in istud agere, idque intendere. Resp. neg. conseq. videantur dicta n. 849.

Ad 1. confirm. neg. ant. de quo videantur dicta n. 855. quia experimenta sunt eadem, & eodem modo solvuntur. Ad 2. confirm. neg. conseq. Densitas, quia magis conjugit partes causae agentis, facit quidem, ut istud fortius, & efficacius contra resistantiam passi, vel etiam celerius, suum effectum producat, quam agens rarum: attenuat non facit, ut agens densum producat aliquid intensius, quam sit ipsum: vel producat qualitatem intensiorem.

1551. Dices. Ignis condensatus, aut depuratus ab heterogeneis, longe intensior est, quam rarus, & non ita depuratus: ergo. prob. ant. ignis inclusus in furnis Chymicorum, ibique quasi constipatus: item ignis purissimus, per fistulam exsufflatus, multa dissolvit, aut liquefacit, vel vitrificat, quæ non ita dissolvit &c. alias ignis in aëre libero: certè, et si in ignem in culina immittatur tubulus vitreus, non ideo hermetice claudetur: ergo.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. nam omnis verus ignis, saltem sensibilis, est intensus ut octo, nisi aliquando modieum quid per reactionem de sua intensione perdat (quod tamen puto raro fieri; nunquam autem fieri putat Cardinalis Ptolemaeus *differ.* 22. *Phys. general. sec. 2. n. 3.* item *disp. 10.*)

*Phys. gener. sec. 4. n. 19. & 21.)* & nunquam producitur major intensio, quam octo graduum: quin à quocunque igne aliud tandem non producitur, quam ignis, vel aliqua liquefactio, vitrificatio, vel simile quid: ad quæ sufficiunt septem, vel pauciores gradus caloris, tanquam dispositio. Interim tamen non negamus, quod ignis densior, aut ab heterogeneis prior, plus agat, & producat effectum, quem aliis ignis, non ita constipatus, aut purus, producere non potest: at negamus, quod ullus ignis producat mediata, vel immediata, intensiorem calorem, quam ipse habeat; cum præsertim ipsem habeat intensum ut octo.

1552. Ob. 3. Quando in lente vitrea, vel vitro caustico, colliguntur per refractionem radii solares in focum, fit in isto incomparabiliter major intensio luminis, & caloris, quam sit in aëre vicino, ex quo radii solares in vitrum incidunt: ergo saltem per actionem refractam potest agens minus intensum producere majorem intensiinem: quo posito non videtur negandum, quod etiam simile possit agere in simile.

Jam quidem monui n. 1543. me quæstionem hanc non instituere de lumine: verum, quia hæc objectio adducitur à radiis solaribus, non ut lucidis, sed ut calidis (nam semper radiis solis, aut conjunctus, aut omnino identificatus est aliquis cal-

Kk k 3

lor,

lor, & quidem corruptivus; cum etiam hyeme maxime rigida, attenuata lucente sole sereno, possit per vitra caustica calor, & ignis excitari, ut habetur ab experientia manifesta) idem non videtur, posse argumentum hoc declinari; quare

1553. Resp. neg. conseq. in tali enim casu non radii solares, in aere propinquu existentes, certe non solidi, producunt eam intensionem: sed isti, dum in vitrum incidunt, in hoc tantum colliguntur, & per eos, tanquam per plurimos effectus intermedios, applicatur ipse calor solis intensissimus, atque producit eam intensionem caloris, quam in foco experimur, quæque major utique non est, quam sit intenso calor in ipso sole.

Eadem responsio danda est, si obiectatur, aliquando intensionem fieri per radios solares reflexos, & quidem ita, ut calor in aere videatur seipsum intendere, sive in suo subiecto augere, quatenus radii in se-

ipso reflectuntur, adeoque in se- ipso, seu in subjectum proprium agunt; nam dicendum est, quod etiam in hoc casu tantum calor solis, per duplum viam, directam, & reflexam applicatus, intensius agat. vide Ptolemaeum *dissert.* 10.

*Phys. general.* sec. 4. n. 11. item Suarez *disp.* 18. *Metaph.* sec. 9. n. 26. Simili modo explicari debet experientia illa, quam primò fecerunt nostri Patres in Collegio Pragensi, dum in focum unius speculi concavi posuere carbonem accensum, & in foco alterius similis speculi, è regione prioris positi, & ad 32. pedes distantis, posuere rem aliquam combustibilem, quæ hac ratione accensa est: cujus experientiae mentionem faciunt *Memoires pour l'histoire des sciences*, à Trevoux. tom. 2. an. 1725. *Iniller.* pag. 1335. Scilicet ignis carbonis intensus ut octo, per radios reflexos applicatus, potest, & calorem, & ignem causare.

## ARTICULUS VI.

### *An detur Actio, & Reactio.*

1554. Pluribus Philosophis est in- star axiomatis hæc propositio: *Omnis agens agendo reparatur*: hoc est: a passo reagente patitur: sed, nili valde limitetur hæc assertio (ut bene observat Cardina- lis Ptolemaeus *dissert.* 10. *Phys. ge- general.* sec. 4. n. 19.) non est vera;

nam primò debet causa posse pati; Deus enim, quomodo cunque agat, etiam violenter in creaturas, tamen ab istarum actione nihil reputatur. Secundò debent qualitates in agente, & paciente, esse contrarie, & corruptivæ; nam, si tantum sunt perfectivæ, & consequenter nullam

Iam habent contrarietatem , nulla dabitur resistentia , in qua tamen fundatur reactio. Sie, ut ait Hurtadus *disp. 9. Phys. de causa eff. sec. 11. q. 101.* species, agens in potentiam visivam, ab ista nihil repatur. Tertio debent qualitates esse positivæ; nam, si tantum ex una parte detur qualitas positiva , ex altera vero tantum ipsius negatio , ista nihil reaget: sic, quamvis lumen ex aere expellat tenebras, nihil ab ipsis repatur.

Quarto debet utraque qualitas, tam, quæ est in agente, quæ in paciente, esse activa; nam e. g. si, ut aliqui volunt, siccitas non est activa, humiditas autem activa est, hæc ab illa nihil patietur. Quinto debent agens, & passum, mutuò esse intra sphæram activitatis; unde, licet sol, vel calor ei intrinsecus, agat in frigus terræ, non tamen vicissim patitur; quia, licet terra sit intra sphæram activitatis caloris solaris, non tamen vicissim hic calor, aut sol, est intra sphæram activitatis frigoris terrestris. His positis.

1555. Dico 1. Frequenter datur reactio passi cum actione agentis. ita communissima Philosophorum. Prob. 1. multiplicitate auctoritate Aristotelis , quam exhibent Conimbricenses in *l. 1. de Gener. c. 9. q. 3. &c. 2.* unicum textum afferro ex *l. 4. de Generat. animal. c. 3.* circa medium , ubi sic ait Philosophus : *Omnis agens patitur etiam a patiente, ut, quod fecerit, habeatur*

*tur ab eo, quod fecatur: quod calefacit, refrigeratur a calecente... interdum etiam ita sit, ut, quod agit, magis patiatur, quam agat, & refrigeretur, quod calefacit, calefacat, quod frigefacit; cum aut nihil fecerit aut minus, quam ipsum affectum est.*

1556. Prob. concl. 2. ratione. Experimur manifestè, quod ferrum calentissimum, immisum in aquas, refrigeretur quidem, sed vicissim aquam calefaciat: quod manus frigida, immissa in sinum, & pectori admota, hoc quidem frigefaciatur, ipsa vero caleficiatur: quod nix liquefat per calorem in patina calida, vicissim autem hanc refrigeretur: & sic de aliis plurimis: ergo patiens reagit in agens, &, sicut ab hoc recipit aliquam qualitatem contrariam , ita vicissim in eo aliquam qualitatem contrariam producit. Confirm. In plurimis casibus, tam agens, quam passum, habet potentiam agendi, eamque necessariam, ac sufficenter applicatam: ergo utrumque agit in alterum, & consequenter regit.

1557. Dico 2. Hæc actio, & reactio, sit in iisdem partibus subjecti. ita multò communior contra quosdam, qui putant, non easdem partes agere, & pati, sed quasdam agere, alias vero pati. Prob. concl. Si aqua intense calida infundatur in aliam intense frigidam, tunc tota massa sit æqualiter tepida, adeoque in omnibus partibus aquæ, prius

priùs intensè frigidis , producitur aliquis calor : & vicissim in omnibus , priùs intensè calidis , producitur aliquod frigus : item ferrum calen<sup>c</sup>, imminissum in aquam frigidam, quoad omnes partes frigefit , & ab eo aqua eodem modo caletit: rursus manus frigida, admota alteri calidæ, secundum omnes partes caletit, & vicissim altera pariter frigefit , ut habetur ab experientia : nec est ulla ratio , quæ proberet, id tantum fieri quoad sensum, non autem re ipsa, ut patebit ex solutione objectionum: ergo.

1558. Dico 3. Non tamen semper datur reactio passi. ita Conimbricenses in l. 1. de Gener. c. 9. q. 3. n. 4. Arriagadi p. 3. de Gener. sec. 12. n. 189. & seq. Cardinalis Ptolemaeus dissert. 10. Phys. general. sec. 4. n. 19. ac alii plures. Prob. 1. auctoritate Philosophi, adducta n. 1555. ubi ait, calefaciens, aut frigefaciens, aliquando nihil facere , aliquando verò minus facere , quam in ipso factum sit, vel, ut loquitur, ipsum affectum sit. Prob. 2. ratione. Ut rectè ajunt Conimbricenses loco modocis. potest activitas patientis esse tam parva, & resistentia agentis tam magna, ut illa istam nequaquam superet: ergo in agente nihil vicissim producetur, seu nulla tunc dabatur reactio.

Confirm. 1. Est plænae incredibile , quod ab aqua apposita igni, qui singulis momentis semper est novus, adeoque semper habet se-

ptem gradus caloris, tanquam dispositiones, & producit in se octavum gradum, tanquam proprietatem , producatur aliquid frigoris, præfer- tim, si aqua jam sit intensè calida : & videtur adhuc minùs credibile, quod e. g. modica stupa , vel frustulum papyri, aut festuca ligni siccissimi , & jam priùs calidi , si injiciantur in flamman intensissimam, & singulis quasi instantibus de novo generatam , pròducant in ista aliquod frigus: ergo est incredibile, quod semper detur reactio patientis.

Confirm. 2. Si introducti sunt e. g. in stupam sex gradus caloris , reliqui duo gradus frigoris non possent amplius in igne (qui, vel quia est novus, vel quia iterum reparavit debitam sibi intensionem , habet octo gradus caloris) producere aliquem gradum frigoris: ergo in tali casu non datur reactio. prob. ant. in tali stupa ignis statim producit septimum gradum caloris , & simul novam formam ignis , quæ statim in sua materia pròducit octavum gradum caloris, adeoque destruntur ambo gradus frigoris: ergo non possent amplius physicè producere aliquem gradum frigoris in igne.

1559. Ob. 1. contra 1. conclus. Actio, & reactio, non potest dari inter similia, nec inter dissimilia: ergo nunquam. prob. 1. p. ant. simile non agit in simile: ergo. prob. 2.p. ant. inter dissimilia semper usum est fortius; sed debilius non potest agere

agere in fortius : ergo non potest reagere. Resp. neg. 2. p. ant. ad prob. om. ma. quis sobs habens sex gradus frigoris est aquæ forte, ac habens quinque gradus caloris: sed hoc omissio neg. mi. nam passum debilius, modò vincat aliquam resistentiam agentis fortioris, e. g. resistentiam, quam istud habet ratione octavi gradus, præ aliis minus resistentis, jam potest in ipsum reagere, licet non possit ipsum omnino vincere, aut etiam tantum agere, quantum patitur.

Sicut (quod est exemplum Argætæ disp. 3. de Gener. lcc. 12: n. 156.) quando homo debilior congridetur cum fortiore, eti hunc non possit vincere, aut etiam tantis vulneribus, quanta recipit, afficere, tamen potest, cum leviter vulnerare: & fortior, licet possit debiliorem vincere, non tamen facile, minus semper, potest se ab omni vulnere, aut alia lesione, per debiliorem infligenda, immunitatem conservare. Sed nec semper requiritur major virtus ad debellandum hostem, quam ad se servandum insolum, si hostis non possit evitari, nec sine reciprocâ vulneribus vinci.

1560. Dices 1. Saltæ agens, sic non poterit passum in se convertere: e. g. ignis calidus non poterit in se convertere lignum frigidum: hoc est falsum: ergo, prob. ma. si lignum reageret in ignem, spoliaret eum octava gradu caloris:

Tom. II.

ergo ignis non amplius potest producere septem gradus in ligno (quia non posset sibi assimilare passum), qui tamen gradus sunt necessaria dispositio ad ignem novum: ergo ignis non posset in se convertere lignum.

Resp. neg. ma. ad prob. oth. ant. nam non debet supponi, quod lignum spoliat ignem statim integrò gradu octavo; sufficit enim, si dicitur, quod ipsum spoliat aliqua ipsius parte; nam in plures divisibilis est ex. n. 1470. sed hoc omissio dist. 1. conseq. ergo non potest ille ignis producere septem gradus, nisi prius reparaverit octavum gradum. conc. conf. si cum reparaverit. neg. 1. & 2. conseq. Potest autem ignis in instantibus sequentibus iterum reparare gradum illum; nam, ut n. 1558. diximus, non omnino semper datur reactio passi, praesertim nimium debilitati. 1561. Potest etiam aliter distinguiri 1. conseq. idem ignis non potest producere septem gradus. om. conseq. alias de novo productus, neg. 1. & 2. conseq. Scilicet producitur semper novus ignis, si non ab igne proximo, & aliquantum infrigidato, sive per reactionem aliquid passo, saltæ ab alio, non ita proximo, & nihil passo, qui, cum habeat octo gradus caloris, potest producere septem: ita ignis remotior, nihil passus, potest, per ignem proximiorem, & aliquantum refrigeratum applicari,

L 111

&

& agere, ac producere, tam diſpoſições necessarias, quām iplum ignem novum.

Dices 2. Iuxta nos deberent agena, & paſſum, eſſe mutuū fortiora, & ſe mutuū vincere: hoc eſt imposſibile: ergo. Reſp. neg. ma. Hlud erit ſimpliſter fortiuſ, quod maius damaſcuſ infert, & contrarium ſuum proprieſ adducit ad interitum: viſiſſum autem non tantum patitur, ſed duntaxat ali- quid minus; neque enim, ut paſſum dici poſſit ſteagere, debet tan- tum agere, quantum patitur; nam ſufficit, modū aliquid, etiū multo minus, agat.

1562. Ob. 2. Si admittitur reaſio, ignis non habet tantam vim reſiſtendi, quantam habet vim agendi: hoc non potheſt admitti: ergo. prob. ma. viſ actiua potheſt deſtruere totam aquam: at viſ reſiſtitiva non potheſt reſiſtere toti aqua: ergo viſ actiua eſt major, quām reſiſtitiva. prob. etiam mi. viſ actiua à natura igni eſt data ad propagandam ſpeciem: viſ reſiſtitiva autem ad conſervandum in- dividuum: ſed major debet eſſe viſ conſervandi individuum, quām propagandi ſpeciem: ergo. prob. mi. quodlibet individuum magis exigit conſervare ſeipſum, quām gene- rare alia familiæ: ergo.

Reſp. retorq. arg. nam, ſive ad- mittatur reaſio, ſive non, tamen ab experientia maniſtum eſt, quod ignis longe citoſ extinguitur ab

aqua, quām iſta deſtruatur ab igne: & econtra, quod ignis longe ci- tiuſ aliquid aliuſ convertaſ in ignem, quām aqua convertaſ in aquam. in forma neg. mi. ad prob. diſt. i. p. ma. viſ actiua data eſt tan- tum ad propagandam ſpeciem. neg. ma. etiam ad conſervandum in- dividuum. cone. ma. & om. 2. p. ma. diſt. mi. major debet eſſe viſ for- maliter reſiſtitiva ad conſervandum individuum. neg. mi. viſ actiua reſiſtitiva. om. mi. & neg. conſeq. ad prob. om. ant. & ſub priori di- ſtinctiōne conc. vel neg. conſeq.

1563. Etiam agendo in contra- riuſ, atque iſtuſ deſtruendo, vel debilitando, & non tantum formali- ter reſiſtendo, defendit, vel conſer- vat individuum ſeipſum; unde, quando aliquid habet majorem vim actiua, per hanc ipsam jam habet majorem vim ſe defendendi. Neque debuit natura cuilibet enti etiam dare majorem vim formaliter reſiſtitivam ( quam explicavimus n. 1529. ) quia ad finem na- turæ utilius eſt dari reaſionem, que plurima conduceſt ad genera- tionem mixtorum; hinc, licet me- lius eſſet individuo particuliari, habere majorem vim reſiſtitivam, tamen eam à natura non accepit; atq[ue], cum etiam ligno eſſet me- lius non comburi, deberet eſſe incombustibile:

Quod autem quodlibet in- dividuum magis exigit ſuam conſer- vationem, quod propagationem ſpeciei,

speciei, in primis aliqui negant: dein, si etiam concedatur, nil probat; nam exigentia ista, sive appetitus, non semper est efficax (alijs nihil usquam posset destrui) sed sepe est tantum inefficax, prout scilicet datur, aut non datur potentia, vel activa, vel formaliter resistendi, item magis, aut minus resistendi; nam e.g. stupor quem exigit suam conservationem, ac aurum: non tamen eodem modo potest se conservare in igne, ut patet.

1564. Ob. 3. contra 2. conclusio actio, & reactio, fit in iisdem partibus subjecti, nunquam agens potest agere tota sua intensione, seu octo gradibus: hoc videtur falsum: ergo. prob. ma. eodem instanti, quo agit e. g. ignis, patetur, adeoque perderet unum gradum: ergo non posset agere omnibus gradibus; alijs gradus, non amplius existens, adhuc agerer. Resp. in casu, in quo datur reactio; (nam haec ex n. 1558. non semper datur) neg. mi. Nihil est absurdum, quod non omnes gradus amplius agant: & quia in nostra sententia, adstruente gradus heterogeneos, primò expelluntur gradus superiores, gradus supremus, sive aliqua ejus pars superior, quem destruitur, nihil agit. Dico hinc aliqua ejus pars; nam ex n. 1560. per tractionem non destruitur semper integer gradus.

Insuper addo, non debere sem-

per totam causam agentem pati; num e. g. si aquæ multæ in ampio vase, & valde calidæ, iniciatur aliquod frustum glacie frigidæ, patitur quidem statim aqua calida glacie proxima: sed non ideo etiam patitur aqua remota, & non ita applicata: & hinc quidem in tali casu gradus supremus aquæ proxime non agit in glaciem; quia destruitur: attamen potest in glaciem agere gradus supremus aquæ remotioris, qui non destruitur, & constituit unum agens totale cum aqua propinquiore, per quam, tanquam per concavam, applicator glaciei, juxta dicta n. 1064. Idem contingit, si magnus ignis agat e. g. in aquam frigidam.

1565. Ob. 4. Ex nostra sententia sequeretur, idem ens simul moveri motibus contrariis, sive eodem instanti calefieri, & frigesceri: hoc est impossibile: ergo. prob. ma. ponamus ignem bipalmarem applicari aquæ, ita, ut palmus A sit immediate applicatus lebeti, in quo aqua est: at verò palmus B sit applicatus per palmum A, tanquam per concavam, sic, ut aqua non reagat in palmum B, juxta dicta n. 1558. præc. in hoc casu palmus A frigescet per aquam reagentem, & simul calefiet per palnum B, in ipso tanquam minus intenso producentem aliquid caloris: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. concessio casu, & om. 1. p. ant. ut sit locus argumento, neg. 2. p. ant. seu no-

go, quod palmus ignis A calefacit & palmo ignis B.

1566. Rationem Hurtadus diff. p. *Phys. de causa efficiente creativa* sec. 11. l. 104. & Conimbricenses in l. 1. de Gener. & corr. c. 9. q. 3; a. 5. dant hanc. Palmus B, ut posseatur, non potest impedire reactionem passi in palnum A, adeoque etiam non potest expellere ex eo qualitatem, quæ per eam reactionem producta est; nam hanc idem passum reagens defendit: ergo neque potest in palnum A introduce calorem, qui frigus introductum expelleret: interim tamen palmus B agit in aquam; nam, ut in hanc agat, sufficit applicatio per concavam, nempe per palnum A, et si in istum non agat, expeditis n. 1564.

1567. Ob. 5. Si phiala vitrea admoveatur igni, & simul impleatur aqua frigida, debet simul calefieri ab igne, & frigesceri ab aqua: ergo debet moveri motibus contrariis. Hæc objectio non tangit; saltem immediatè nostram questionem de actione, & reactione, sed aliam, nempe, an idem possit simul moveri motibus contrariis, quod cum communiter negetur. Resp. neg. qpt. Phiala, etiam subtilius confusa, non est absque omni crassitate, unde in dato casu ignis in exteriores phialæ partes inducere potest calorem, & aqua in interiores frigus.

An autem major pars densitatis recipiat calorem, an frigus, pen-

det à fortiore agente; nam hoc in plures partes suam qualitatem inducit. Idem respondendum, si objectio fiat ex aëre, inter ignem, & glaciem medio; nam pars aëris igni vicinior calorem, at vero pars glaciei vicinior recipiet frigus: quamvis in talis casu videatur major pars aëris calore imbueda, ob ignem glaciei prævalentem. Addo, ob mobilitatem, & fluiditatem aëris, mox particulas calidas, & frigidas permiscendas, & totum aërem ad sensum ferme æqualiter temperatum futurum.

1568. Ob. 6. contra 3. conclus. Unica guttula aquæ, ferro carenti etiam valde magnò aspersa, mox excitat strepitum, & aliquam saltem partem ferri refrigerat: ergo datur reactio etiam tunc, quando agens longissimè superat passum. Resp. neg. conseq. In hoc casu agens non longissimè superat passum, ita, specialiter applicatum; nam passum non est omnis ille ignis: sed est tantum aliqua ejus pars: & dum aqua immediate attingit istam, & quidem ita, ut ipsa hæreat in subiecto denso, & duro, prout in hoc casu hæret in ferro, habet ratione specialis hujus applicationis vim agendi superiorē vi resistendi, quam habet illa particula ignis, quæ immediate attingitur ab aqua, & non potest istam evitare cedendo.

Neque tunc aliæ partes ignis possunt, aquam impediare ab omnī effectu,


factu, ut docet experientia: quamvis possint statim iterum in refrigerata particula ferri reparare calorem perditum; unde illa reactio talis guttulae, & refrigeratio ferri, vix per momentum durat. Ex hoc tamen non sequitur, quod in nullo casu possit passum, etiam aqua, ita vinci, ut nihil reagat: certe, si modicum aqua per syringem trajiceretur per aliquam flammarum, ita, ut non tangeret e. g. ligna, ex quibus ea flamma succensa est, nec strepitum ederet, nec ignem, potenter facile cedere, necessario refrigeraret.

1569. Dices. Saltem, quando minutissima animalcula, e. g. formicæ, sèpissimè eundo, & redeundo, cavant etiam duros silices, ita, ut quasi parvas fossas faciant, datur actio, vel reactio: & tamen agens longissimè superatur à passo, nempe actio formicarum à silicibus: ergo. Resp. In hoc casu non videtur dari actio, & reactio; quid enim agit silex in formicas? sed potius difficultas esse videtur in eo, quomodo agens tam debile, nempe formica, possit vincere passum, tam fortiter resistens, ut est silex.

Verum omisso, quod etiam silex sit agens; cum tamen recipia videatur tantum esse resistens, in forma neg. conseq. In hoc casu pon-

reagit totum passum, seu totus silex, sed solum agunt ejus minimæ particulae insensibiles extimæ superficie, quæ non superant potentiam motricem formicarum, nec sati resistere possunt i. impulsui repetito à pedibus, quamvis minutissimis formicarum; unde ab istis commoventur, non quidem omnes simul, sed una post alteram: neque statim, dum formicæ prima vice in eas impingunt, sed postquam successu temporis sèpissimè lapideas illas particulas pertransierunt.

1570. Similiter etiam guttae cavit lapidem; quia extimas tantum particulas lapidis (quarum resistentia non est æqualis impulsui frequentissimo guttarum cadentium) & quidem non omnes simul, sed tantum unam post alteram avellunt. Addi potest, - humiditatem, seu madorem guttarum, aliquid posse ad eam excavationem conferre, quatenus aliquam viscositatem, qua inter se particulae necluntur, dissolvit. Plura utique de generatione, & corruptione, possent eruditè ventilari: sed quia hucusque allata ferè sola in hujcib[us] Lycæis solent disputari, & omnia afferre ob amplitudinem nisi p[ro]piam materiarum non licet, existimatum est, ista instituto nostro sufficere.



# INDEX.

## DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM

### *IN PHYSICA UNIVERSALI.*

#### DISPUTATIO I.

*Numer.*

*De Principiis Corporis Naturalis.* 5

##### QUÆSTIO I.

*De Principiis Corporis Naturalis in Fieri, & in Facto esse.*

*Art. I.* Quid sit principium. 6

*Art. II.* Quæ sint principia corporis naturalis in fieri, & in facto esse. 13

##### QUÆSTIO II.

*De Variis Systematibus circa Materiam primam.*

*Art. I.* An detur materia prima, eaque sit in generabilis, & incorruptibilis. 24

*Art. II.* Solvuntur objectiones. 30

*Art. III.* Quale systema circa materiam primam posuerit Epicurus, vel Gassendus. 39

*Art. IV.* Quale systema circa ma-

*Numer.*  
teriam primam excoxitaverit  
Cartesius. 48

*Art. V.* Quale systema circa materiam primam statuerit Anaxagoras. 62

*Art. VI.* Quale circa materiam primam systema sit Chymicorum. 70

*Art. VII.* Quale circa materiam primam systema sit Empedoclis, seu elementare. 78

*Art. VIII.* Quale circa materiam primam sit sistema Aristotelis. 88

*Art. IX.* An sistema Aristotelicum sit aliis præferendum. 101

*Art. X.* Solvuntur objectiones. 126

*Art. XI.* An elementa sint generabilia, & corruptibilia. 143

*Art. XII.* Ulterior probatio conclusionis. 159

*Art. XIII.* Solvuntur objectiones. 169

*Art.*

## I N D E X.

- Art. XIV. Solvuntur aliae objectiones.* 188  
*Art. XV. Solvuntur reliquæ objectiones.* 207

### QUÆSTIO III.

- De Accidentibus Absolutis.*
- Art. I. Quid sint accidentia, præsertim absoluta.* 232  
*Art. II. An dentur accidentia ab soluta.* 242  
*Art. III. Solvuntur objectiones.* 253

### QUÆSTIO IV.

- De Systemate Chymico, & Cartesiano in Specie.*

- Art. I. Quid specialiter opponi possit systemati chymico.* 286  
*Art. II. Quid specialiter opponi possit systemati Cartesiano.* 292

### QUÆSTIO V.

- De Proprietatibus Materiae Prima.*

- Art. I. An materia prima habeat propriam essentiam, & existentiam, & an istæ inter se distinguantur.* 307  
*Art. II. Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem.* 322

- Art. III. Solvuntur reliquæ objectiones.* 343

- Art. IV. An materia prima habeat sibi identificatam potentiam recipiendi formas substantialiares.* 352

- Art. V. An materia prima possit existerè spoliata omni forma substantiali.* 378  
*Art. VI. An materia prima magis appetat formas nobiliotes, & an etiam corruptas.* 397

### QUÆSTIO VI.

- De Forma Substantiali, ejusque Proprietatibus.*

- Art. I. Quid sit forma substantialis, & an detur in homine.* 405  
*Art. II. An detur forma substantialis vivens in brutis.* 414  
*Art. III. Solvuntur objectiones.* 451  
*Art. IV. Solvuntur reliquæ objectiones.* 475  
*Art. V. An detur forma substantialis vivens in plantis.* 504  
*Art. VI. An detur forma substantialis in mixtis inanimatis.* 526  
*Art. VII. Solvuntur objectiones.* 537

- Art. VIII. An forma sit tota quiditas, vel essentia compositi.* 549

- Art. IX. An duæ formæ principales possint simul informare eandem partem materiæ.* 554

### QUÆSTIO VII.

- De Unione.*

- Art. I. In quo sit inter materia & formam.* 570

- Art. II. Solvuntur objectiones.* 596

- Art. III. An unio sit identificata cum actione productiva formæ.* 616

*Art.*

## I N D E X.

<i>Art. IV.</i> An unio inter materiam, & formam, sit una, & simplex.	<i>629</i>	<i>Art. II.</i> Quotuplex sit causa. 809
<i>Art. V.</i> An præter omnes partes simul sumptas admittendus sit modus totalitatis. 642		<i>Art. III.</i> Quid sit prioritas naturæ. 819
<b>DISPUTATIO II:</b>		<i>Art. IV.</i> An sit possibilis mutua naturæ prioritas inter causas physicas. 834
<i>De Natura, &amp; Arte</i> 657		<i>Art. V.</i> An aliquid tempore poste- rius possit esse priùs natura re- spectu alterius tempore prioris, in genere cause moralis. 864
<b>QUÆSTIO. I.</b>		<i>Art. VI.</i> An possit dari mutua na- turæ prioritas inter duas causas morales, vel unam physicam, & alteram moralēm. 883
<i>De Natura, &amp; Violento.</i>		<b>QUÆSTIO. II.</b>
<i>Art. I.</i> Quid sit natura. 658		<i>De Causa Efficiente in Genere.</i>
<i>Art. II.</i> Quid sit naturale, & su- pernaturale. 670		<i>Art. I.</i> Quid sit causa efficiens. 905
<i>Art. III.</i> An sit possibilis motus neuter. 685		<i>Art. II.</i> Quid sit, & in quo con- stat actio physica. 909
<i>Art. IV.</i> Quid sit violentum, & an possit ab una creatura alteri inferri. 693		<i>Art. III.</i> Solvuntur objectiones. 914
<i>Art. V.</i> An etiam Deus possit crea- turus inferre violentiam. 705		<i>Art. IV.</i> An actio, & passio sint realiter identificatæ. 938
<b>QUÆSTIO. II.</b>		<i>Art. VI.</i> In quo subjecto recipiatur actio. 946
<i>De Arte.</i>		<i>Art. VII.</i> An supernaturaliter possi- bilis duplex actio totalis respectu eiusdem effectus. 963
<i>Art. I.</i> In quo consistat forma ar- tificialis. 718		<i>Art. VIII.</i> An supposicione sit possibilis duplex actio totalis re- spectu eiusdem effectus. 981
<i>Art. II.</i> An sit possibilis chryso- peja. 731		<i>Art. IX.</i> An sit possibilis actio productiva entis priùs corrupti. 1005
<i>Art. III.</i> Quid, & quotuplex sit magia naturalis. 755		<b>QUÆSTIO. III.</b>
<i>Art. IV.</i> Quid sit, & possit ma- gia diabolica. 773		<i>De Causa Efficiente Creatæ.</i>
<b>DISPUTATIO III:</b>		<i>Art. I.</i> An causa creata possit agere phylicè,
<i>De Causis.</i> 790		
<b>QUÆSTIO. I.</b>		
<i>De Causa in Genere.</i>		
<i>Art. I.</i> Quid sit causa in genere. 791		

physicè; quando non existit.	1018
<i>Art. II.</i> An causa creata possit phys- icè agere, ubi non est.	1023
<i>Art. III.</i> Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem.	
	1037
<i>Art. IV.</i> Quænam requiratur, & sufficiat applicatio agentis ad passum.	1061
<i>Art. V.</i> Quid sit substantia.	1087
<i>Art. VI.</i> An substantia creata sit immediate operativa.	1094
<i>Art. VII.</i> Quænam sit causa pro- ductiva accidentium.	1106
<i>Art. VIII.</i> Quænam sit causa pro- ductiva substantiarum.	1122
<i>Art. IX.</i> Solvuntur objectiones.	1133
<i>Art. X.</i> Quæ sit causa sponte na- scientiæ: & an semina vivant.	1162
<i>Art. XI.</i> Solvuntur objectiones.	1189.

## QUÆSTIO IV.

### De Reliquis Causis Creatis.

<i>Art. I.</i> Quid sit causa materialis, & quænam ejus causalitas.	1219
<i>Art. II.</i> Quid sit causa finalis, & quæ- nam ejus, ac aliarum causarum intentionalium causalitas.	1241
<i>Art. III.</i> Solvuntur objectiones.	1260
<i>Art. IV.</i> Quænam ulterius nota- da sint de reliquis causis creatis.	
	1279

## QUÆSTIO V.

### De Causa Prima Increata, sive Deo.

<i>Art. I.</i> An evidenter existat causa prima increata, sive Deus.	1289
<i>Art. II.</i> Solvuntur objectiones.	1307
<i>Art. III.</i> An, & quomodo Deus in- fluit in omnes effectus creatos.	
	1333
<i>Art. IV.</i> An Deus determinet ad individuum.	1354
<i>Art. V.</i> Art, & ad quos effectus indebitos possit Deus elevare creaturam.	1379

## DISPUTATIO IV.

### De Generatione, & Corruptione.

1405

## QUÆSTIO I.

### De Generatione, & Corruptione Substantiali.

<i>Art. I.</i> Quid sit generatio, & cor- ruptionis substantialis.	1406
<i>Art. II.</i> Quid sit conversio, & quid ad eam requiratur.	1415
<i>Art. III.</i> An in corruptione sub- stantiali detur resolutio usque ad materiam primam.	1439
<i>Art. IV.</i> Quodnam sit subiectum accidentium, & an id possit ab eis mutari.	1445

## QUÆSTIO II.

*De Alteratione.*

*Art. I.* Quid sit alteratio, & inten-  
tio, & quomodo hæc fiat. 1468

*Art. II.* Solvuntur objectiones. 1486

*Art. III.* An gradus intensionis sunt

homogenei, vel heterogenei, &  
quomodo inter se uniantur. 1506

*Art. IV.* An etiam per antiper-  
positum fiat intentio qualitatum. 1532

*Art. V.* An simile possit agere in  
simile. 1542

*Art. VI.* An detur actio, & re-  
actio. 1554

O. A. M. D. G.









BIBLIOTECA  
DE  
MONTSERRAT

---

Armari XX B  
Prestatge 8°  
Número 77

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT



13020100029787

